sc.19.pl.4.

37
28 D
21

MAG3246

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IL LUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. F. JOSEPH-MARIÆ PERRIMEZZI

EX ORDINE MINIMORUM

S. FRANCISCI DE PAULA

ARCHIEPISCOPI BOSTRENSIS

SS. D. N. Prælati Domeſtici & Pontificio Solio Epiſcopi Aſſiſtentis, Epiſcoporum in Urbe Examinatoris, & Congreg. Examinis pariter Epiſcoporum a Secretis, ac Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis Conſultoris.

IN SACRAM

DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ,

PARS SEPTIMA.

Ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

JOANNEM-ANTONIUM

GUADAGNI

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM, ET SS. D. N. CLEMENTIS XII. NEPOTEM, AC VICARIUM.

ROMÆ, MDCCXXXVIII.

Ex Typographia Komarek in viâ Curſus.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Eminentiſſimum & Reverendiſſimum

PRINCIPEM

JOANNEM-ANTONIUM GUADAGNI

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM ET SS. D. N. CLEMENTIS XII. NEPOTEM, AC VICARIUM.

AUCTOR

EX quo datum eſt mihi, proxime elapſo Jubilei anno, Te videre ſimul & demirari, *Princeps Eminentiſſime*; quando ſcilicet Aretinæ Eccleſiæ clavum moderaturus, ſacræ ordinationis inſignia ſuſcepiſti; & ego ſacra loca viſitaturus, almam Urbem ad modicum ſane tempus degebam; illico animo concepi venerationem, qua majorem habere non poteram, erga tuam

æque perſonam, ordinem, familiam, & cæteras, quæ Te comitabantur, dotes; & quæ Te ipſum dignum eminenti illa dignitate, quam merito poſſides, præfigurabant. Sive enim modeſtiam tuam contemplarer, ut a perſona exordium ſumam, ſive comitatem, ſive prudentiam, eæ tales ac tantæ erant, ut Te vere, & ex eo ſanguine progenitum, ex quo natus es, & in illo Ordine educatum, in quo Sanctæ Religionis habitum induiſti, demoſtrarent. Illius nanque Principis in Eccleſia eminentiſſimi, & ea conſanguinitate ornatus, in quo ad præſens Sanctiſſimum Chriſti Vicarium adoramus, adeo diſſimulabas generis amplitudinem, ut in nullo Te ſingularem oſtenderes; immo potius inter cæteros tanquam unum ex illis communi conſortio reputares. Quot in Aula honoris & reverentiæ ſigna Tibi exhibebantur, tot erant modeſtiæ tuæ teſtimonia & ornamenta; ea enim omnia dum Tibi ruborem in vultu ſpargebant, cultum in inſpicientium cordibus & amorem excitabant; ex quo Tu quoque ut a ſupremo Eccleſiæ Hierarcha affectionis & laudis argumentis exornabaris, eo pariter ab Eccleſiæ Proceribus, immo ab omnibus Aulæ Præſulibus, admirationis ſpecimina excipiebas,

At quid mirum, ſi in eo Ordine educatus, ad quem confugeras, non ut in eo reſplenderes, ſed ut lateres; & ut lucem potius abſconderes, quam Tibi nativitas dederat, & fortuna augmentarat, quam ut eam latius exetenderes, & quaqua verſus amplificares? Is enim Ordo tuus eſt, quem a S. Matre tua inſtitutum fatentur omnes, ut in eo virtutes acquirantur, honores vero vel relinquantur, ſi alias habiti; vel ſi habendi, deſpiciantur. Norunt omnes, qui excalceatorum Carmelitarum religioſiſſimam familiam ſciunt, quot in dies in eadem, ſive in hominibus, ſive in mulieribus, qui ipſi dant nomen, ſanctitatis conſpiciuntur exempla, & ſeculi hominibus ad imitationem quoque proponuntur. Hoc unum ampliſſimo toti Carmelitarum Ordini deficiebat; ſcilicet quod quum eſſet tot tantorunque Prophetarum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum fæcundiſſima mater, non adhuc inter ſuos aliquot

Emi-

Eminentiſſimo Cardinalium Collegio dederat, qui ipſius amplitudinem augerent. At hoc Tibi, *Ampliſſime Cardinalis*, à Deo reſervabatur; ut Tu nimirum laudes omnes Inſtituti tui ſupra cæteros extolleres; Te ſacra purpura ornatum oſtendens; quod ad præſentem nempe diem nullus alius ex tuis oſtenderat.

Si vero ad Gentem tuam me vertam, in ea generis antiquitatem cum ſanguinis nobilitate conjunctam, a priſcis quoque ſeculis, invenio. Etenim ab Anno 1240. legitur: *Dominus Panſa Melioris de Guadagnis*, qui fuit ditionis Sancti Martini Dominus; ut in Archivo Carmelitarum Feſulanæ Civitatis invenitur; & in ruderibus præfati Caſtri inſpicitur. Scriptores autem obſervant, quod ab Anno 1010.; quando nimirum facta eſt unio inter Feſulanos & Florentinos, majores tui Feſulis diſcedentes Florentiam inhabitarunt; & inibi duodecim deinceps Reipublicæ Confalonerios, & ſex Priores, ſeu libertatis Dominos, habuerunt. Poſtmodum Mattheus Guadagni, Guelphorum Dux legitur, qui contra Henrici VII. Imperatoris Exercitum ſtrenue pugnans, pro Romani Pontificis incolumitate ac poteſtate, diem obiit extremum.

At non in Italia ſolum, verum etiam in Galliis Majores tuos invenimus avitæ fortitudinis ac fidelitatis experimenta dediſſe. Thomas de Guadagnis, Simonis Filius, Franciſco I. Francorum Regi, in Papienſi certamine fortiter ac fideliter, licet infeliciter, adminiſtravit; & in Captivitatis infortunio proprio ſumptu eidem adjumento fuit. Ex quo factum eſt, quod ſubſequentes in Gallia Reges poſteris ſuis ejuſdem amoris & generoſitatis non pauca teſtimonia exhibuerunt.

Thomam alium de Guadagnis, prioris Nepotem, Henricus II. Avenioni viſitavit, ac in Bello Alemanno ſtrenuum habuit adjutorem. Carolus IX. in honore eundem pariter habuit, utpote quia bellum Gallicum proprio ſumptu perfecerat; & Henricus III. Oratorem ad Imperatorem Maximilianum voluit, & inter Spiritus Sancti Equites adnumeravit.

Qui vero Florentiæ Guadagni ſuperſtites remanſerunt,

runt, honoris & virtutis clara ſpecimina pariter dederunt: & præcipue erga Romanam Eccleſiam, cujus fuit Generalis, ut dicitur, Commiſſarius, Verus Guadagni, una ſimul cum Jacobo Salviati, in Bello Neapolitano contra Ladislaum Regem; & tot tantaſque victorias reportarunt, ut Romam introeuntes, antiquorum triumphorum pompas renovarent.

Hæc ſunt Familiæ tuæ decora, quibus, & in patria, & extra ipſam, adeo Guadagnorum nomen elevatum eſt, ut in Gallia nobiliores Familiæ cum tua connubiali nexu conjungi quam maxime concupierint; & in Florentina Republica quoque illuſtriores de eadem unione cum tua omni tempore gloriatæ fuerint; & Eccleſia demum etiamnum Beneficiorum a Proceribus tuis receptorum, cum Guadagnorum nominis honore, recordetur.

Quod ſi ita eſt, juſtitiam oportet judicari ab omnibus Purpuram, qua Te Summus Pontifex ornavit, ut Judex quidem æquiſſimus bonorum, qui in Eccleſia merentur, & pro Eccleſia decertarunt; quam ut Avunculus, qui in Te propriæ Sororis Imaginem recognoverit. Tu vero ita pergis illius beneficentiam commendare, ut in nullo videaris impar muneribus, quæ ſuſtines; quinimmo potius ſupra honores cunctos, quibus adornaris. Siquidem nec zelus Tibi deeſt in pontificia Vicaria authoritate, quam ſuſtines; nec prudentia in te deſideratur in Præfecturiis Sacrarum Congregationum, quas exerces; nec doctrina in Conſeſſibus aliis, quos cumulatiſſime imples.

Patere igitur, *Princeps Eminentiſſime*, ut ultra debiti mei neceſſitatem, hoc qualecunque munus Tibi offeram, in meritorum tuorum exiguam quidem, at ex corde & ex jure, commendationem. Quod ſi ita efficere dignaberis, non erit aliud, quod optem; contentus quidem, quod Tu obſequii mei munus accipere velis, & me inter Clientes vere tuos adnumerare.

LE-

LEGENTIBUS
PROLOQUIUM.

Septimam Tibi theologicarum mearum Diſſertationum Partem, poſt expletum fere annum, reddo; tanquam luculentum teſtimonium laboris, quem pro Te adhuc ſuſtineo, etſi laboribus aliis pro tenuitate mea in hac alma Urbe implicatus. Temporis enim reliquias, quæ ex aliis occupationibus mihi ſuperſunt, nec otio, nec inutilibus conſeſſibus offero; ſed poſt Dei & Eccleſiæ honori ſacrificium, quod cæteris hominum reſpectibus præfero, bono tuo, quantum a divina miſericordia mihi datur, conſulere ſtudeo.

Habes ergo in hac ſeptima parte de Sacramento Pænitentiæ *Diſſertationes, & quidem juxta noſtram conſuetam methodum: Scilicet & pro Hiſtorica. & pro Dogmatica, & pro Schola, quæ conſtituunt Hiſtoricas, Dogmaticas, Scholaſticas Diſſertationes. In iis tuam quoque rogo humanitatem, ut cuncta legas patientia, qua cætera legere conſuevíſti; ſic enim fiet, ut non me terreas ab opere proſequendo, ſed potius animum augeas, ut ipſum compleam & abſolvam.*

Invenies profecto non pauca, quæ tuæ ſapientiæ non placebunt; ſed quis eſt, qui in omnibus, & ſingulis placeat? quis eſt autem, qui ſcribat, & omnium qui legunt, & omnium, quæ ſcribit, acceptationem ſibi promittat? Hoc *difficillimum eſt, ut homines conſequantur, adeoque impoſſibile quoque erit, ut homines, ſi hoc conſequi velint, verbum quidem ſcribant.*

Ego quidem ſcripſi, & multa ſcripſi, ut vere quilibet ſcire poteſt, ſi ad ejus manus opera mea pervenerunt; at nunquam in animo habui omnibus, & in omnibus placere; quin potius Lectorum benignitatem rogavi, ut in ſcriptis meis errores compati dignarentur, & illa benignitate corrigere, qua ſuos vellent alios emendaſſe. Credo, quod hoc ipſum pro veſtra benevolentia conſequutus fuerim; & hoc fuit, quod me ad ulteriora ſcribenda portavit; quod ſi aſſequutus non fuiſſem, cætera profecto nec exaraſſem, nec evulgaſſem.

Accipe ergo hanc meam ſinceram, fidelem, verificanque confeſſionem; videlicet, quod in omnibus, quæ ſcripſi, & ſcribo, non aliqua fuit animi præſumptio, quæ me ad ſcribendum impulit, ſed ſola Lectorum pietas & commiſeratio, qua ſcripta mea proſequi dignati ſunt. Illa animum movit, vires adjecit, ac ſcribendi Cacoethem præſtitit; ut exeque-

rer,

rer, quæ pro Dei honore, pro Religionis ſubſidio, pro Eccleſiæ ſervitute; quæ facere optabam, perficerem. Si factum voto reſpondit, Deo primum, & Vobis deinde, gratias ago, a quibus omne bonum agnoſco; & Deum quoque, ac Vos impenſe rogo, ut ad ſcribenda, quæ deſunt, me adjuvetis; dum interim ego, quæ hactenus ſcripſi, & quæ ſcribam deinceps, ſupremæ Eccleſiæ judicio humiliter ſterno, ac ſincere ſubmitto.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

JUbente Reverendiſſimo Patre Sacri Palatii Magiſtro, ea, qua par eſt, attentione, nec ſine animi jucunditate perlegi ſeptimum Tomum Theologiæ ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino, D. Joſepho-Maria Perrimezzi, Archiepiſcopo Boſtrenſi, compoſitæ; in eoque nil reperi, quod a fide, rectiſve moribus vel tranſverſum unguem deflecteret; ſed e contra in Theologia Polemica argumentorum vim, & pondus, in rebus moralibus opinionum ſecuritatem ſuavitate admixtam, in Theologia Scholaſtica ingenii acumen, in hiſtorica tandem dilucidè expoſitam veritatem, demiratus ſum. Quare opus hoc numeris omnibus abſolutum, celeberrimo Authore, mira operum varietate notiſſimo, dignum, publica luce donandum cenſeo. Datum in Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes de Urbe die 6. Januarii an. 1738.

F. Franciſcus-Maria Mazzel, Ordinis Minimorum, Sacræ Theologiæ lector jubilatus, in primæva ejuſdem Ordinis Provincia ex Provincialis, & S. Congregationis Indicis Conſultor.

APPROBATIONES.

DE mandato Reverendiſſimi Patris S. Palatii Magiſtri pervolvi ſeptimum tomum Diſſertationum Theologico-ſcholaſtico-Dogmatico-Morali-hiſtoricarum compoſitum ab Illuſtriſſimo Domino Joſepho Maria Perrimezzi, Archiepiſcopo Boſtrenſi, a ſecretis in Congregatione Examinis Epiſcoporum, & Conſultore Sac. Rom. Inquiſitionis: In eo neutiquam in aliquod offendi, quod hortodoxæ Fidei, Catholicæ Eccleſiæ ſanctionibus, ac conſuetudinibus; aut morum honeſtati refragetur: quinimmò omnigena doctrina, pietate, ac ſecuritate, & eruditione cumulatum introſpexi: itaut pro operis merito, ac pro faciliori plurium ſacrarum facultatum ſtudio, prælo dignum cenſeo. Datum Romæ ex ædibus S. Silveſtri in Monte Quirinali die ſeptima Februarii 1738.

D. Franciſcus Antonius Cavalcanti, Procurator Generalis Clericorum Regularium, ac Conſultor S. Congregationis Indulgentiarum,

AP-

APPROBATIONES.

PRælum expectat omnibus votis optatiſſimum Opus, prænotatum : In ſacram de Deo ſcientiam Diſſertationum ſelectarum Pars ſeptima ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D.D.Joſepho-Maria Perrimezzi Archiepiſcopo Boſtrenſi, Epiſcoporum Examinatore, ac Congregationis examinis Epiſcoporum Secretario, S. R. ac generalis Inquiſitionis Conſultore, de Eccleſia, de Republica litteraria, ob tot egregia edita volumina, pluribuſque aliis nominibus, optimè merito. Cuncta in eo veritati ſunt conſona, Fidei conformia, morum candori convenientia, ſuoque Autore, ingenio, & eruditione præclariſſimo, digna. Prælaudatum opus a me infraſcripto de mandato Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri ſumma animi voluptate, uberrimoque fructu perlectum, publica luce digniſſimum cenſeo, ut qui ad juſtitiam cæteros erudiunt, ex illo rebelles lumini confutare, & veritatis Sectatores in eadem valeant confirmare. Romæ ex monaſterio S. Bernardi ad Thermas hac die 6.Febr.1738.

D. Valentinus a S. Philippo, Epiſcoporum Examinator, & Congregationis Monachorum S. Bernardi Ciſtercienſis ordinis Procurator Generalis.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius, Epiſc. Bojan. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli, Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CCCLIV.

De Pœnitentiæ nomine. Quotupliciter in Scripturis uſurpetur? An aliis nominibus appelletur a Patribus? Et an aliæ ſint voces, quibus & a Scripturis, & a Patribus, indicetur. pag. 1

Diſſertatio CCCLV.

De Pœnitentia, ut dicitur virtus. An ſit virtus, & qualis? Quodnam ejus objectum, ac ſubjectum? Et quinam actus ejuſdem? 6

Diſſertatio CCCLVI.

De Hæreticorum erroribus contra Pœnitentiam, ut virtus eſt. An ſit ſimplex reſipiſcentia, & nuda ceſſatio a peccato? An ſit veteris vitæ abjectio, & novæ inſtauratio? 12

Diſſertatio CCCLVII.

De Virtutis Pœnitentiæ neceſſitate & efficacia. An ſit præceptum de agenda Pœnitentia? Et quatenus obliget? 18

Diſſertatio CCCLVIII.

De Pœnitentia, ut eſt Sacramentum. Quænam ſit ejus eſſentia, & quæ bona, & ipſius idonea definitio? Quænam Scholaſticorum opiniones circa ipſam? Et quinam Hæreticorum errores contra eandem. 26

Diſſertatio CCCLIX.

De exiſtentia Pœnitentiæ Sacramenti. De antiquorum Heterodoxorum errore contra Pœnitentiæ Sacramenti exiſtentiam. De Montaniſtarum, & Novatianorum hæreſi contra eandem. 31

Diſſertatio CCCLX.

De Exiſtentia Pœnitentiæ Sacramenti. An Pœnitentia ſit proprie dictum evangelicæ legis Sacramentum? An ſit Sacramentum a Sacramento Baptiſmi diſtinctum? An ſit peccatum in hac vita irremiſſibile. 35

Diſſertatio CCCLXI.

De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ. An Chriſtus Dominus conceſſerit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata? An detur Forum Eccleſiæ externum pro Cenſuris? An detur Forum internum Eccleſiæ pro Peccatis? Et quid dicendum de errore Marci Antonii de Dominis, Spalatrenſis Archiepiſcopi, & Apoſtatæ, de peccatis occultis, & manifeſtis? 54

Diſſertatio CCCLXII.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ. Quænam ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ circa quam? *Quænam ſit materia* ex qua? 69

Diſſertatio CCCLXIII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. An ſint verba determinata pro Sacramenti Pœnitentiæ Forma? Quinam ſit verborum illorum ſenſus? Et quænam ex illis poſſint omitti abſque peccato, & abſque invaliditate Sacramenti? 82

Diſſertatio CCCLXIV.

De Abſolutione Sacramentali. An debeat eſſe vocalis? An poſſit ſcripto, & non voce, exprimi? 89

Diſſertatio CCCLXV.

De abſolutione ſacramentali. Quibus verbis exprimi debeat, auctoritativis ſcilicet, indicativis, vel deprecativis? An declaret tantum peccata eſſe remiſſa, an vero re ipſa dimittat? An contineat remiſſionem etiam pœnæ peccato debitæ? 95

Diſ-

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CCCLXVI.

De abſolutione ſacramentali. An poſsit ſub conditione dari? An ſenſus illius ſit: remitta tibi pœnam peccatis debitam? An ſit: remitto tibi peccata tua? An ſit: confero tibi gratiam remiſsivam peccati poſt baptiſmum commiſsi? 114

Diſſertatio CCCLXVII.

De inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. An fuerit a Chriſta Domino inſtitutum? Quando fuerit inſtitutum? 119

Diſſertatio CCCLXVIII.

De Præcepta Sacramenti Pœnitentiæ. An detur præceptum recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ? Quando obliget? & Qaos? 124

Diſſertatio CCCLXIX.

De neceſsitate Sacramenti Pœnitentiæ. An fuerit in qualibet lege neceſſarium? An fit neceſſarium in lege evangelica? Et qua neceſsitate? 130

Diſſertatio CCCLXX.

De Contritione perfecta. In quo ejus eſſentia conſiſtat? 134

Diſſertatio CCCLXXI.

De Contritione perfecta. An reconciliet hominem Deo, etiam extra caſum neceſsitatis, & antequam Sacramentum actu percipiatur? An ſit diſpoſitio neceſſario prærequiſita ad percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ? Et quid ſit Sacramenti votum, quod in Contritione perfecta neceſſario includi debet? 147

Diſſertatio CCCLXXI.

De Contritione imperfecta, ſeu Attritione. An Attritio concepta ex timore Gehennæ ſit bona, honeſta, & laudabilis? An includere debeat aliquem Dei amorem, & qualem? Et quid de hoc Tridentinum Concilium definierit? 156

Diſſertatio CCCLXXIII.

De Confeſſione Sacramentali. Quotupliciter in Scripturis Confeſſionis vox uſurpetur? Quotupliciter pariter intelligetur Confeſſio ſacramentalis? Quænam ſit ejus eſſentia? Et an ſit eadem ac Exomologeſis, apud Veteres Scriptores, præcipue Græcos, commemorata? 177

Diſſertatio CCCLXXIV.

De Confeſſione Sacramentali. De erroribus contra eandem, & de illorum Auctoribus. De Scriptoribus pro eadem, qui quovis ſeculo floruerunt. 181

Diſſertatio CCCLXXV.

De Confeſſione Sacramentali. An ſit neceſſaria in Eccleſia? Qua neceſſitate? Et an variæ Scholaſticorum opiniones ejuſdem neceſsitati adverſentur? 192

Diſſertatio CCCLXXVI.

De Confeſsione Sacramentali. Obligatio ex divino præcepto faciendi illam, quos, & quando, obliget? Cui facienda ſit ex præcepto eccleſiaſtico? Et quando? A quibus? Et de quibus? 201

Diſſertatio CCCLXXVII.

De integritate Confeſsionis ſacramentalis. An ſit neceſſaria integritas formalis? An ſit neceſſaria integritas materialis? An ſint aperiendæ omnes circumſtantiæ peccatorum? 214

Diſſertatio CCCLXXVIII.

De integritate Confeſsionis ſacramentalis. An confiteri quis teneatur peccata dubia? An numera diſtincta? & unde deſumatur numerica diſtinctio peccatorum? An aperiri debeat Confeſſario Complicis perſona? 222

Diſ-

INDEX DISSERTATIONUM.

Diſſertatio CCCLXXIX.

De Integritate confeſſionis. An abſolvi poſſit moribundus, qui ſigna tantum generalia doloris oſtendit, & nullum peccatum in particulari confitetur? An quando Pænitens habet caſus reſervatos, dimidiare poſſit confeſſionem? An Confeſſarius teneatur interrogare Pænitentem, ſi aliquam habeat ſuſpicionem, quod Pænitens, vel ex oblivione, vel ex pudore, vel ex mala fide, omnia & ſingula peccata ſua non confiteatur? 229

Diſſertatio CCCLXXX.

De Veritate confeſſionis ſacramentalis. An qui mentitur in eadem graviter peccet? An qui leviter, etiam peccet? An quis poſſit mentiri in confeſſione ſine peccato? 236

Diſſertatio CCCLXXXI.

De Veritate confeſſionis. An Pænitens aperire debeat in confeſſione effectum, qui ſequitur ad cauſam aliquam peccati, quæ ab ipſo voluntarie datur; An vero ſufficiat explicare tantum cauſam, quam voluntarie dedit? An ſi peccato annexa eſt cenſura, cenſuram incurrat, ſi voluntatem pravam antecedenter retractavit? An idem dicendum ſit de irregularitate, quando peccato annexa eſt irregularitas? 238

Diſſertatio CCCLXXXII.

De ſecreto confeſſionis, ſeu de ſigillo ſacramentali. A quo jure præceptum habeatur, ſitque proinde neceſſarium ſacramentalis confeſſionis ſigillum? Quam ſtricta habeatur ſigilli obligatio? Quæ ſit materia illius? Quas obliget Perſonas? Et quæ ſint pœnæ contra illius Violatores a Legibus inſtitutæ? 242

Diſſertatio CCCLXXXIII.

De ſatisfactione ſacramentali. An neceſſaria ſit in ſacramento pænitentiæ ſatisfactio ſacramentalis? & quid de ea ſenſerint hæretici, ſive antiqui, ſive novatores? Quo tempore impleri debeat? & an debeat præcedere, an ſubſequi abſolutionem? 254

Diſſertatio CCCLXXXIV.

De ſatisfactione ſacramentali. Quænam ſit materia ſatisfactionis ſacramentalis? quinam ſit Miniſter? & quodnam eſſe debeat Subjectum? 272

Diſſertatio CCCLXXXV.

De ſatisfactionum ritibus, & forma, ſecundum antiquæ Eccleſiæ diſciplinam. Quantum fuerit tempus, quod ſatisfactioni, ſeu publicæ pænitentiæ impendi debebat? quo habitu exteriori Pænitentes inducebantur? Et quot erant Pænitentium ſtationes, ſeu claſſes, vel gradus? 280

Diſſertatio CCCLXXXVI.

De Satisfactione Sacramentali. Quo Iure ſit neceſſaria? An debeat eſſe proportionata criminum gravitati? An debeat eſſe publica, vel ſecreta? 287

Diſſertatio CCCLXXXVII.

De Abſolutione Sacramentali. An pro quibuſdam gravioribus Criminibus fuerit olim ſacramentalis abſolutio denegata? An & ad præſens pro iiſdem ſit deneganda? An ſit ad longum, vel breve tempus, differenda? 296

Diſſertatio CCCLXXXVIII.

De iis, qui pænitentiam publicam agebant. An eam egerint Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi? An egerint minores Clerici? An inter hos & Laicos, in pænitentia publica peragenda, fuerit aliquod diſcrimen in Eccleſia obſervatum? 302

Diſſertatio CCCLXXXIX.

De Peccatoribus, qui petunt abſolvi. An abſolvendi ſint, qui adhibere nolunt remedia ſibi a Confeſſario præſcripta? An illi, qui affectum habent ad mortale peccatum? An illi, qui in peccandi conſuetudine,

Digitized by Google

tudine , vel occaſione , verſantur. 305

Diſſertatio CCCXC.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ . Quinam ſit Miniſter Sacramenti pœnitentiæ ratione ordinis ? Quinam ſit Miniſter Sacramenti pœnitentiæ ratione Juriſdictionis ? 309

Diſſertatio CCCXCI.

De Reſervatione abſolutionis . An hæc ſit apud Pontificem, & Epiſcopos? An Regulares Privilegium habeant abſolvendi a reſervatis? An poſſint abſolvi in ea Diœceſi , in qua non ſunt reſervata ? 316

Diſſertatio CCCXCII.

De Peccatorum Reſervatione . An quæcunque peccata reſervari poſſint ? An occurrente dubio in caſu reſervationis poſſit quis valide abſolvi ? 321

Diſſertatio CCCXCIII.

De Indulgentiis . Quæ ſit earum antiquitas? Quod nomen ? Quæ eſſentia ? 324

Diſſettatio CCCXCIV.

De Indulgentiis . An remittant culpam , & æternæ pœnæ reatum ? An remittant pœnam temporalem ? Et quam ? 327

Diſſertatio CCCXCV.

De Indulgentiis . A quibus concedi poſſint ? An ſemper ab iiſdem conceſſæ fuerint ? Et quinam fuerit uſus ipſarum ? 329

Diſſertatio CCCXCVI.

De Indulgentiis . An Indulgentiarum fundamentum ſit Eccleſiæ theſaurus? Ex quibus Eccleſiæ theſaurus componatur ? 333

Diſſertatio CCCXCVII.

De Indulgentiis . An in concedendis Indulgentiis debeat eſſe cauſa legitima ? Et quæ conditiones eſſe debeant in iiſdem lucrandis ex parte accipientis ? 335

Diſſertatio CCCXCVIII.

De Indulgentiis . De variis Indulgentiarum ſpeciebus . Quænam ſint? & quomodo intelligatur ? 338

Diſſertatio CCCXCIX

De Indulgentiis . An concedi poſſint , non ſolum pro vivis , ſed etiam pro mortuis ? An pro mortuis concedantur per modum judicii , & abſolutionis ? An per modum ſuffragii ? 340

Diſſertatio CCCC.

De Indulgentiis . An Indulgentiæ liberent lucrantes illas ab omni ſatisfactione temporali ? An ſtatus gratiæ pro earumdem lucratione ſemper ſit neceſſarius ? 343

IN SACRAM DE DEO SCIENTIAM

DISSERTATIONES SELECTÆ

HISTORICÆ, DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ

PARS SEPTIMA.

DISSERTATIO CCCLIV.

De Pænitentię nomine. Quotupliciter in Scripturis uſurpetur? An aliis nominibus appelletur a Patribus? Et an aliæ ſint voces, quibus & a Scripturis, & a Patribus indicetur?

PRIMO, Pænitentiæ nomen accipitur in Scripturis pro pæna, qua quis in ſemetipſum advertit, & ſcelus a ſe commiſſum caſtigat. Et hoc pacto accipiunt Scriptores noſtri verba, quæ Chriſtus Dominus dixit Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent*: & Lucæ 11. de Ninivitis loquens: *Pænitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ*. Secundo, ſumunt pro odio, & deteſtatione veteris vitæ; unde Petrus Actor 2. dicebat Judæis: *pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum*; quod explicant, ut deteſtarentur Deicidium, quod in Chriſti morte commiſerant. Tertio, intelligunt pro reſipiſcentia, hoc eſt pro malæ vitæ antiquæ in novam meliorem commutationem; & ita explicant verba illa Apoſtoli 1. ad Corinth. 7. *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt ..... Quantam in vobis operatur ſollicitudinem; ſed defenſionem; ſed indignationem; ſed timorem; ſed deſiderium; ſed æmulationem; ſed vindictam.*

Hæc una Pænitentię vox, quæ hunc triplicem habet ſenſum, a Græcis per hoc unum verbum exprimitur *μετανοίας*; quod reſpexit, & explicavit Lactantius lib. 6. Inſtitut. cap. 24. ſcribens: *Is, quem facti ſui pænitet, errorem ſuum priſtinum intelligit; ideoque Græci melius & ſignificantius μετανοίας dicunt, quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum; tum illud ipſum maxime cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur*. Sugillat Bellarminus Laurentium Vallam, eumque dicit lutheranæ factionis præcurſorem, quod in annotatione ad caput 7. poſterioris ad Corinthios dicat, elegantiores eſſe græcas voces *μετάνοια* & *μεταμέλειαν*, quam *pænitentiam*, quæ latina eſt, & quod ratio ipſius ſit, quod pænitentia ſignificet *triſtitiam commiſſi*, græcę vero voces *mentis emendationem* importent. Sugillat pariter Eraſmum, quaſi alterum Lutheri præcurſorem, quod in annotationibus novi teſtamenti ad caput 3. Matthei, & alibi frequentius, velit potius verti debere, ubi leguntur *μετανοεῖν* & *μετάνοιαν*, reſipiſcere, & reſipiſcentiam, quam pænitere, & pænitentiam. At de hoc in Diſſertatione CCCLVI. habebitur ſermo.

Concedimus ultro, veram & proprie dictam pænitentiam includere odium iniquæ veteris vitæ, & novæ vitæ propoſitum; ſed aſſerimus quoque, nomen ſuum præſertim pænitentiam habere a pæna, per quam quis ſeipſum punit, quod aliquando peccaverit. Et ita intelligit Iſidorus lib. 6. Originum: *a punitione pænitentia nomen accepit, quaſi pœnitentia, dum ipſe homo punit pænitendo quod male admiſit*. Cum hoc tamen ſtat, quod quanvis pænitentia ita dicatur a punitione, punitio tamen non eſt primum, quod in ea reperitur, quia conſequitur ad facti odium, quod ipſamet pænitentia importat. Unde Auguſtinus Epiſt. 54. *Nihil aliud agunt, quos veraciter pænitet, niſi ut id, quod male fecerint, impunitum eſſe non ſinant. Eo quippe modo ſibi non parcentibus, ille parcit, cujus altum juſtumque judicium nullus contemptor evadet*. Et ſecundum hæc ſcribit Eſtius in lib. 4. ſentent, diſt. 14. §. 1. „ Et quidem „ latinum vocabulum *pænitentia* non „ proprie mutationem vitæ ſignificat, „ ſecundum eos, qui dicunt optima pænitentia nova vita, ſed diſplicentiam „ facti coniunctam cum ſtudio deſtruendi, quod factum eſt. Unde proprie & „ directe pænitentia reſpicit factum „ præteritum tanquam abolendum, ut „ in propoſito peccatum commiſſum; „ quod quia aboleri, & deſtrui non poteſt, niſi Deo remittente, Deus autem „ remittere non ſtatuit, niſi faciat homo ea, quæ ad impetrandam peccati veniam ab ipſo ſunt ordinata, „ quorum præcipuum eſt, converti ad „ Dominum, & vitam mutare in melius; „ hinc indirecte, & ex conſequenti pænitentia reſpicit etiam vitæ novitatem. „

Ut rem vero penitius & luculentius explicemus, tres alias Pænitentiæ vocis applicationes ſubdimus, quæ pariter in ſacris literis inveniuntur. Et primo quidem pænitentiæ vocabulum, ſi latiſſime accipiatur, ſignificat dolorem non de errato ſolo, ſed de qualibet re alia, quam fecimus, & quam cognoſcimus aliter a nobis fieri debuiſſe, & quam vellemus aliter fuiſſe factam; & hic ſenſus etiam extenditur ad actum, quo aliquid nobis diſplicet, quod antea placebat, & hoc nihil cogitando, ſive bonum, ſive malum fuerit, ſed tantum reſpiciendo ad commodum, vel ad incommodum, quod ex ipſo percipimus. Adducuntur exempla in Scripturis a Natale Alexandro in Theologia Dogmatica morali Tom. 1. lib. 2. Tract. de Sacram. Pænitentiæ cap. 1. art. 1., ſcilicet Ananiæ & Saphiræ, quos pęnituit opes ſuas diviſiſſe pauperibus, aut Eccleſiæ contuliſſe; inſuper & illorum, qui ſecundum ſeculum triſtitia ſunt affecti, & non ſecundum Deum. De quibus intelligit verba Apoſtoli II. ad Corinthios cap. 7. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſeculo autem triſtitia mortem operatur*. Secundo Pænitentiæ vox importat dolorem, quem concipimus ob aliquod a nobis male geſtum, non ex Dei motivo, ſed noſtro. Et hoc pacto doluit Eſau ob Primogeniture venditionem; doluit Antiochus ob plagam, qua fuit a Deo correptus; doluit Judas ob magiſtri proditionem; de quibus fit ſermo Exodi 12. *Poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus*

latus eſt: non enim invenit pænitentię locum, quanquam eum lacrymis inquiſiſſet eam. Et II. Machab. 12. *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Et Matth. 27. *Pænitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens; peccavi tradens ſanguinem juſtum*. Tertio Pænitentiæ vox exprimit dolorem ob peccatum commiſſum, quatenus hoc eſt offenſa Dei; & de hoc intelliguntur verba apud Joelem 1. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*. Quibus congruunt verba Auctoris ſermonis ſeptimi *de tempore*, qui Auguſtino adſcribitur: *videte qualis debet eſſe pænitentia: quia multi aſſidue ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt, non emendatio: accuſatur anima, non ſanatur: pronunciatur offenſa, non tollitur. Pænitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pænitet, ut tibi amarum ſapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde; jam tunc bene ingemiſcis ad Deum, & dicis: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*.

Ex his inferunt, quod nullo ex his tribus modo pœnitere convenit Deo, etſi aliquando in Scripturis legatur, eum & pænituiſſe, & non pænituiſſe. Dicuntur enim per metaphoram, & non per proprietatem; quia quum homines, quando eos pænitet aliquid feciſſe, videantur illud amplius facere non velle; ita Deus, quando mutare aliquid ſtatuit, quod decreverat, vel fecerat, improprie dicitur eum *pænitere*, & quando illud continuare vult, improprie etiam dicitur *non pænitere*. Et hoc pacto accipienda ſunt verba Geneſis 6. *Pænituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus; delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terræ, ab homine uſque ad animantia, a reptili uſque ad volucres cæli: pænitet enim me feciſſe eos*. Et I. Regum 15. *Pænitet me, quod conſtituerim Saul Regem*. Et Pſalm. 109. *Juravit Dominus, & non pænitebit eum; tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Quibus verbis Deus oſtendit & velle hominem delere, quem, ſi non peccaſſet, non deleviſſet; & velle Saulem Regno privare, quem, ſi non peccaſſet, non privaſſet; & denique verbis Pſalmi manifeſtavit perpetuum Chriſti Sacerdotium, quod nunquam delebit. Unde Tertullianus lib. 2. adverſ. Marcionem cap. 24. *Non enim ſi hominem ex recordatione plurimum delicti interdum, & ex alicujus boni operis gratia pænitet, ideo & Deum proinde. In quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat, in tantum nec pænitentiæ boni & mali apud eum locus eſt. Nam & hoc tibi eadem Scriptura determinat, dicente Samuele Sauli*. Diſcidit Dominus Regnum Iſrael de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo optimo ſuper te; & ſcindetur Iſrael in duas partes, & non convertetur, neque pænitentiam aget, quia non ſicut homo eſt ad pænitendum. *Hæc itaque definitio in omnibus aliam formam divinæ pænitentiæ ſtatuit, quæ neque ex improvidentia, neque ex ulla boni, aut mali operis damnatione reputetur, ſicut humana. Quis ergo erit mos pænitentiæ divinæ? Jam relucet, ſi non ad humanas conditiones eas referas. Nihil enim aliud intelligetur, quam ſimplex converſio ſententiæ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione ejus poſſit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cujus omnis ſententia caret culpa. Nam & in græco ſono μετάνοια, Pænitentiæ nomen, non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt, quam apud Deum pro rerum variantium ſeſe occurſu regi oſtendimus*.

Alia demum ſunt nomina, ſeu potius encomia, quibus pænitentia, ſive virtus ſit, ſive Sacramentum, at ut plurimum ut Sacramentum, a Patribus indigitatur. Leo Magnus Epiſt. 3., & Lateranenſe Concilium cap. 9. apud Eſtium ſupracitatum, vocant manuum impoſitionem a Ceremonia externa adminiſtrantis; at hæc, ſicut eſt communis Confirmationi, & Ordini, ita nec eſt peculiaris pænitentiæ, immo ad ipſam nec quidem neceſſaria. Tertullianus, & Cyprianus græco nomine appellant *Exomologeſin* ideſt *confeſſionem*, vel communicationem, ſeu communionem, & pacem, quam Peccatores per pænitentiam reconciliati conſequuntur. Cyprianus videndus eſt lib. 3. epiſt. 15. 16. 17. Inſuper Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. docet, a Patribus fuiſſe dictam pænitentiam *laborioſum baptiſmum*, ratione ſcilicet rigoris in ſatisfactione,

quem præ baptiſmo hoc Sacramentum exigit. Vocatur quoque *ſecunda Tabula poſt naufragium* a Hieronymo ſuper Iſaiam 3.;& in epiſt.67.ad Pammachiū, & Oceanum; & in epiſt. ad Demetriadem *de Virginitate ſervanda*:ab Ambroſio epiſt. ad Virginem lapſam,& initio expoſitionis Pſalmi 37:a Paciano epiſt. 1. & 2. ad Sympronianum: a Tertulliano lib.*de Pænitentia*.Rationem hujus nominis, & inſuper rationem hujus numeri aſſignat Eſtius loco ſupra citato. „ Vocatur autem hoc modo juxta multorum expoſitionem, quia cum prima tabula poſt naufragium ſit baptiſmus, ſecunda non alia eſt, quam relapſorum pænitentia. Quam hujus Sacramenti appellationem probant Patres Concilii Tridentini ſeſſ.6. cap.14. & omnino retinendam eſſe contra Sectarios hujus ſeculi ſub anathemate cenſent ſeſſ.14. can.2. Quod ſi quæras, cur pænitentia dicatur ſecunda poſt naufragium tabula, non item tertia, aut quarta, & ita deinceps, cum contingat homines ſæpius relabi, atque ita ſæpius per pænitentiam reſtitui;breviter reſpondeo; pænitentiam ideo ſemper vocari ſecundam tabulam,quia quantumcunque ſæpe contingat hominem relabi, ſemper unum idemque remedii genus, idque a baptiſmo diverſum, ei ad reconciliationem paratum eſt, Pænitentiæ videlicet Sacramentum. „

Igitur ex his colligimus,quod in pænitentia tria requiruntur. Primum, animi in melius mutatio, ſeu reſipiſcentia; animi dolor, ſeu deteſtatio peccati præteriti eſt alterum; Tertium vero eſt punitio, ſeu pœna, quam in vindictam ſcelerum homo pænitens ex ſe repetit. Primo, & ſecundo modo accepta pænitentia convenit etiam Peccatoribus, & Infidelibus, quos aliquando pænitet aliquid feciſſe, ſive malum in ſe, ſive malum ipſis; & quod effecerint, concipiunt quoque animi dolorem: tertium verò convenit ſolis Fidelibus; quod totum initio libri de Pænitentia luculenter explicat Tertullianus. *Pænitentiam hoc genus hominum, quod & ipſi retro fuimus, cæci ſine Domini lumine, natura tenus norunt, paſſionem animi quandam eſſe, quæ veniat de offenſa ſententiæ prioris. Cæterum a ratione ejus tantum abſunt, quantum ab ipſo rationis Auctore* . . . . *Quam autem in Pænitentiæ actu irrationabiliter deverſentur, vel uno iſto ſatis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis ſuis adhibent. Pænitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ. Prout quid in gratiam cecidit, ſemetipſos execrantur, quia bene fecerint; eamque maxime pænitentiæ ſpeciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde figunt: meminiſſe curantes, ne quid boni rurſus præſtent: contra Pænitentiæ malorum levius incubant. Denique facilius per eandem delinquunt, quam per eam recte faciunt. Quod ſi Dei, ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merito primo pænitentiæ expenderent, nec unquam eam ad argumentum perverſæ emendationis adhiberent: modum denique pænitendi temperarent, quia & delinquendi tenerent, timentes Dominum ſcilicet; ſed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla; ubi emendatio nulla, Pænitentia neceſſario vana, quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſevit, id eſt hominum ſaluti.*

Tandem, ut alia nomina perpendamus, quæ a Græcis uſurpantur, hæc addimus ex Morino *de Amminiſtratione Sacram. Pænitent.* lib.1.cap.1. n.14. „ Pœnæ omnes in Pænitentiam impoſitæ Græcis ab annis nongentis & amplius generali nomine dicuntur ἐπιτιμία, quorum ſpecies eſt, Metanæa. Hinc in omnibus eorum Euchologiis, & Pænitentialibus leguntur preces ſuper eos, quorum Pænitentia ſolvitur, εὐχὴ τῶν ἐξ ἐπιτιμίων λυομένων. Variarum auctoritatum vice fungatur Actio 9. Concilii VIII. ſub Adriano II.celebrati,Patres Theodorum quendam Protoſpatharium, qui Ignatii depoſitioni conſenſerat, ſic interrogant. *Cui confeſſus es? & a quo accepiſti Epitimium? Theodorus dixit, qui dedit mihi Epitimium, defunctus eſt*, & cap. cuſtodiſti Epitimium, *Theodorus dixit, ſi vult Deus cuſtodivi ea, quia Chriſtianus ſum*. Cæteris, quæ ibidem leguntur,teſtimoniis prætermiſſis,Concilii decretum adverſus eos, qui nondum de conſenſu in depoſitionem Patriarchæ Ignatii Pænitentiam egerunt tantum referemus. *Definimus, & promulgamus eos, qui non pænituerunt, neque confeſſi ſunt, neque epitimia acceperunt, ſed permanſerunt in duritia cordis &c. per ſeptem annos epitimium habere, eſſe illos duobus annis extra Eccleſiam &c.* Et paulo poſt. *Quia vero acceperunt Epitimia prius, & cuſtodiunt, poſt*

com-

A

„ *completum Epitimium digni fiant ſanctis,*
„ *& divinis myſteriis*. Vulgatiſſimum eſt
„ apud eos nomen, quo tertiam Pæni-
„ tentiæ partem ſignificant. Dicitur
„ illis ἱκανοποίησις, hoc eſt, verbum e ver-
„ bo, *ſatisfactio*, ut videre eſt apud Ga-
„ brielem Philadelphienſem. Nomen au-
„ tem iſtud ἐπιτίμιον in hac ſignificatione
„ eſt elegans, & antiquis optimiſque au-
„ ctoribus græcis, Herodoto, Demo-
„ ſtheni, Plutarcho, aliiſque uſitatum,
„ ἀπὸ τοῦ ἐπιτιμᾶν *objurgare, punire*: ut ac-
„ cipitur can. 73. Apoſtolico, εἰ δέ τις φωρ-
„ θείη ἐπιτιμάτω ἀφορισμῷ. Si quis deprehen-
„ ſus fuerit, ſegregatione puniatur. Fre-
„ quentiſſimus eſt iſtius verbi uſus in no-
„ vo Teſtamento, ſed ſemper in objur-
„ gandi, & comminandi ſignificatione.
„ Vulgata verſio aliquando transfert,
„ *imperare*, ſed ſubaudiendum, cum mi-
„ nis & objurgatione interminari. Unde
„ nomen ἐπιτιμία II. ad Corinth. 2. 6. *ob-*
„ *jurgatio*. Sed antiquiſſimi Auctores
„ Eccleſiaſtici ἐπιτίμιον pro pæna, & mulcta
„ uſurparunt. Canon Apoſtol. 74. ὁρίζε-
„ σθαι τὸ ἐπιτίμιον definire pænam. Cle-
„ mens Alexandrinus Pedagogi lib. 1.
„ poſt medium dixit: τὸ ἐπιτίμιον τῶν ἁμαρ-
„ τανόντων; & Stromatum lib. 2. ad finem
„ ὁ τῶν μεταγνόντων τρόπος οὐκ ἀπαλλάττει μόνον ἐπι-
„ τίμιον, ἀλλὰ μακροχρονίου καὶ ὀ...
„ καὶ μονοδιαιτησίας. Sic & alii Patres,
„ quum de pænis pænitentialibus agunt,
„ eo nonnumquam utuntur, ut Baſilius
„ cap. 71. & 74. *ad Amphilochium*; Gre-
„ gorius Nyſſenus ad Letojum; Sozome-
„ nus lib. 7. cap. 16.; & alii plerique. „

Ex eodem Morino habemus, citato loco cap. 2. nomina, quibus Syri, Hebræi, Chaldæi, & Rabbini, Pænitentiam appellant; quæ ex ipſo excribere, & hic referre non omittimus. Et primo quidem Syri ubi in novo teſtamento legitur μετάνοια, quod diximus Pænitentiam importare, vertunt תיובתא, *Thiabutha*; vel ut Maronitæ dicunt *Thiobutho*, quod apud Syros eſt vulgatiſſimum. Judæi utuntur eodem nomine quo utuntur Syri; vocant enim Pænitentiam תשובה, quod idem eſt ac reverſio, vel converſio a verbo שוב *converti, redire*. Chaldæi, quod Hebræi ſcribunt ישוב, dicunt תוב; ac proinde, ut ſubdit Morinus, eadem eſt ratio dictionum ab eis derivatarum, & ſola pronunciatione differunt. Denique Rabbini *Theſubah* uſurpant, quod idem eſt apud ipſos ac Pænitentia apud Latinos, vel μετάνοιαν apud Græcos. Quæ omnia quidem apud hos omnes important, ut ait laudatus Scriptor, „ ſententiæ
„ mutationem cum animi de errore, aut
„ de crimine commiſſo dolore conjun-
„ ctam, conſtans inſuper animi propoſi-
„ tum de crimine non amplius repe-
„ tendo, & ſeveram ideo corporis caſti-
„ gationem. „

DIS-

DISSERTATIO CCCLV.

De Pœnitentia, ut dicitur virtus. An ſit virtus, & qualis? Quodnam ejus objectum, ac ſubjectum? Et quinam actus ejuſdem?

Conveniunt communiter Scholaſtici, Pænitentiæ ut virtus eſt cognitionem præponendam eſſe cognitioni Pænitentiæ ut eſt Sacramentum; & ratio ipſorum eſt, quia Pænitentia, ut virtus, eſt univerſalior Pænitentia ut ſacramentum; adeoque huic præſupponenda. In Pænitentia igitur ut virtus eſt hæc ſunt inquirenda; primo ſcilicet an vere ſit virtus? deinde verò qualis ſit virtus? hoc eſt, an ſit virtus infuſa & ſupernaturalis? an acquiſita? an denique moralis, vel theologica?

Primo, Heterodoxi, & precipuè Moderni, Lutherus, & Calvinus, voluerunt Pænitentiam non eſſe virtutem, quatenus ab ejus eſſentia excludebant rationes illas, in quibus virtus ipſa conſiſtit; ſcilicet peccati dolorem, ejuſque deteſtationem;& dumtaxat fundari aſſerebant in vitæ mutatione, quæ formaliter nullum importat virtutis nec exercitium, nec rationem.

Secundo, Scholaſtici quidam volunt, Pœnitentiam eſſe virtutē generalem, quemadmodum Juſtitia virtus eſt generalis, eo quia virtutes omnes ingreditur, eaſque complectitur; adeoque, quum non ſit ſpecialis virtus, volunt reduci ad omnes & ſingulas virtutes, in quantum quælibet habet pænitere de peccatis commiſſis in propria materia. Attamen Angelicus Doctor. 3. par. q. 85. art. 2. docet, Pænitentiam virtutem quoque eſſe peculiarem ac ſpecialem; & hæc ſunt ejus verba: *Specialem rationem hujus virtutis eſſe operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt offenſa Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* Sancto Thomæ ſubſcribunt cæteri fere Scholaſtici communiter.

Dicimus I. Pænitentiam eſſe veram virtutem, & quidem non tantum generalem in omnibus virtutibus incluſam & ex omnibus aggregatam, verum quoque ſpecialem, ab omnibus aliis diſtinctam.

Prima concluſionis pars probatur I. ex Patribus. Chryſoſtomus hom. 23. in Matth.: *non eſt aliquod omnino peccatum, quod non cædat Pænitentiæ virtuti.* Gregorius magnus, qui refertur cap. *Pænitentiam agere* diſt. 3. *de Pænitentia*, & in ejus operibus legitur lib. 9. *Regiſtri* epiſt. 36. *Magna eſt contra peccatum virtus Pænitentiæ.*

II. Probatur Rationibus. I. Habitus, qui facit recedere a malo, & accedere ad bonum, eſt vera virtus; ſed hujuſmodi eſt Pænitentia: ergo Pænitentia eſt vera virtus. Probatur minor, quia Pænitentia facit recedere a peccato, quod eſt ſummum malum, & facit accedere ad Deum, quod eſt ſummum bonum: ergo Pænitentia eſt habitus, qui facit recedere a malo, & facit accedere ad bonum. II. Nihil deficit Pænitentiæ ut ſit virtus, & vera virtus: ergo Pænitentia eſt vera virtus. Probatur antecedens. Pænitentia habet obiectum bonum, quemadmodum eſt aliarum virtutum obiectum, habet pariter ſubjectum, habet finem, cæteraque omnia habet, quæ virtutes cæteræ retinent, ut veræ ſint virtutes; quod ex ſequentibus potebit: ergo Pænitentiæ nihil deficit ut ſit vera virtus. III. Quælibet virtus vera importat facilitatem ad actus, qui ſunt ipſius proprii; ſed hæc facilitas importatur quoque a Pænitentia, ut eſt virtus: ergo

Google

go Pænitentia eſt vera virtus. IV. Si Pænitentia non eſſet vera virtus, ideo eſſet, quia non eſſet propria & ſpecialis virtus ab aliis virtutibus diſtincta, & eſſet potius virtus in aliis virtutibus incluſa, & ex omnibus aggregata; atqui hoc eſt falſum, ut mox in probatione ſecundæ partis Concluſionis patebit; ergo Pænirentia eſt vera virtus.

Secunda Concluſionis pars probatur. I. Si Pænitentia non eſt niſi virtus generalis, & traſcendens, atque in omnibus incluſa, & ex omnibus aggregata, non debet deteſtari peccata, niſi ex motivo ſingularum virtutum, quibus ipſa peccata opponuntur; atqui datur virtus Pænitentiæ, quæ non deteſtatur peccatum ex motivo ſingularum virtutum, ſed ex alio motivo particulari ſibi proprio: ergo ultra Pænitentiam genaralem admitti debet Pænitentia, quæ ſit ſpecialis virtus ab omnibus aliis diſtincta. Probatur minor. Quanvis dentur motiva, per quæ deteſtantur peccata, ob oppoſitionem, quam habent, ad virtutes reſpective, & hæc deteſtatin conſtituat Pænitentiam, ut virtutem generalem; datur tamen ultra hæc motiva aliud quoque motivum, propter quod Pænitentia deteſtatur quodlibet peccatum, ut peccatum eſt, ut Dei offenſa eſt, ut æterna pæna dignum eſt: ergo ob hoc ſpeciale motivum Pænitentia eſt virtus ſpecialis ab aliis virtutibus diſtincta. Probatur & explicatur antecedens. Inobedientia adverſatur præcepto, ingratitudo opponitur beneficio, luxuria eſt contra pudicitiam; & hæc ſunt motiva ſpecialia ut virtutum, ita etiam peccatorum, quæ virtutibus hujuſcemodi opponuntur. Attamen ultra hæc motiva datur motivum generale, ob quod deteſtamur inobedientiam, ingratitudinem, luxuriam &c. quia nimirum ſunt offenſa Dei, æternam pænam merentur &c.: ergo ratione hujus motivi conſtituitur Pænitentia ut virtus ſpecialis, quæ ſit ab aliis virtutibus diſtincta. II. Pænitentia habet objectum diſtinctum ut virtus eſt ſpecialis ab objectis aliarum virtutum, quæ Pænitentiam ut virtutem generalem conſtituunt: ergo Pęnitentia eſt virtus ſpecialis ab aliis virtutibus diſtincta. Hęc ratio melius patebit, quando de Pęnitentię objecto erit ſermo.

Opponunt I. Pęnitentia inclinat ad velleitatem; ſed velleitas non eſt optimum, ad quod debet inclinare virtus: ergo Pęnitentia non eſt virtus. II. Pænitentia præſupponit peccatum; ſed nequit eſſe virtus, quæ prĉſupponat vitium: ergo Pænitentia nequit eſſe vera virtus, III. Objectum Pæniteutię eſt malum: atqui nulla virtus habet pro objecto malum: ergo Pęnitentia non eſt virtus, IV. Ideo verecundia non eſt virtus, quia eſt de re turpi; ſed etiam Pęnitentia eſt de re turpi, vel de turpi facto: ergo propter eandem rationem non poteſt eſſe virtus. V. virtus appetitur propter ſe ipſam; ſed Pænitentia non appetitur propter ſe ipſam: ergo non eſt virtus. Miuor conſtat, quia appetitur propter peccatum. VI. Pænitentia opponitur omni peccato; ergo eſt virtus generalis ex omnibus virtutibus aggregata. VII. Penitentia deteſtatur peccatum, quatenus peccatum eſt offenſa Dei; atqui hoc eſt munus Charitatis: ergo Pęnitentia non diſtinguitur a charitate, atque adeo neque a cęteris virtutibus. VIII. Pænitentia punit, & vindicat delicta; quæ committuntur; ſed hoc eſt proprium Juſtitiæ: ergo Pęnitentia non diſtinguitur a juſtitia, & per conſequens neque diſtinguitur a cęteris virtutibus.

Reſpondemus ad I., quod peccatum dupliciter conſiderari poteſt, ut preteritum ſcilicet, & per conſequens quod fieri non poteſt, ut non ſit factum; & ut moraliter prçſens aç perſeverans, & quod poteſt fieri, ut nnn amplius fiat. Primo modo deteſtamur utique peccatum per velleitatem, quatenus volumus per Pęnitentiam, ut non fuerit a nobis factum; at ſecundo modo volumus per propoſitum efficax firmum & abſolutum, ut non ſit, ut non perſeveret, ut non denuo, & nec unquam fiat; & hoc non ſolum eſt bonum, ſed quoque optimum, quod veram habet conſtituere virtutem.

Ad II. Utique peccatum commiſſum eſt malum; ſed peccatum, ut deflendum, ut deteſtandum, ut delendum, habet rationem boni; adeoque poteſt objectum eſſe virtutis. Inſuper, quanvis peccatum ſit malum, poteſt nihilominus objectum eſſe virtutis, non quatenus virtus proſequitur illud, ut ad ipſum tendat, ſed quatenus ipſi adverſatur, & ab eo omnino recedit.

Ad

Ad III. Diſtinguitur major: Objectum Pœnitentiæ eſt malum, quod proſequatur, & ad quod tendat, negatur; quod præſupponat, & quod deſtruere intendat, conceditur. Juſtitia etiam præſupponit malum, quod puniat, & nihilominus eſt virtus. Verum non adeo neceſſarium eſt peccatum ad Pœnitentiæ virtutem, ut non poſſit Deus virtutem hanc infundere homini, qui nullum commiſerit peccatum, & nihilominus doleret, ac vere pœniteret.

Ad IV. Hæc eſt differentia inter verecundiam & pœnitentiam, quod verecundia eſt de turpi facto præſenti, cum quo ſtare poteſt affectus ad peccatum; ſed Pœnitentia eſt de re turpi, ſeu de turpi facto præterito, a quo excludi debet omnis affectus ad ipſum.

Ad V. Negatur minor, quia quum Pœnitentia appetatur propter peccatum quidem, ſed propter peccatum delendum per ipſam, ſemper ſtat, quod Pœnitentia appetitur per ſe ipſam: adeoque etiam ob hanc rationem Pœnitentia eſt vera virtus.

Ad VI. Quanvis Pœnitentia opponatur cuicunque peccato, ſub ratione generali, quæ cuicunque peccato adaptabilis eſt, non per hoc tamen opponitur cuilibet peccato ſub illa ratione peculiari, quæ cujuſcunque peccati eſt propria; adeoque ratione hujus generalis oppoſitionis, quæ in ipſa Pœnitentia eſt ſpecialis ratio oppoſitionis, fit, quod Pœnitentia ſit peculiaris virtus, a cæteris virtutibus diſtincta.

Ad VII. Licet aliquando conveniant Pœnitentia & Charitas in hoc, quod utraq; habeat pro motivo amorem Dei, differunt tamen in hoc, quod Charitas vult & reſpicit amorē Dei omnino illæſum; Pœnitentia vero reſpicit ut læſum, ſed per Pœnitentem omnino reparandum. Unde Charitas non vult amantem ſejungere a Deo, quem amat, & Pœnitentia vult conjungere peccatorem Deo per amorem, a quo per peccatū receſſit.

Ad VIII. Juſtitia punit, & vindicat delicta ob bonum publicum, & quatenus hæc ſunt offenſiva humanæ ſocietatis, & publicæ tranquillitatis, quibus proſpicere debet, qui cæteris præeſt. Pœnitentia vero punit, & vindicat delicta, quatenus hæc ſunt mala illis, qui ea committunt, quia illos ad æterna ſupplicia deportant, & perpetua felicitate privant; & ſunt mala etiam, ſi non effective, affective tamen reſpectu Dei, cui maximam inferunt injuriam, dum ipſius traſgrediuntur legem, & Majeſtatem offendunt.

Pro illa Diſſertationis Parte, in qua quæritur, qualis virtus ſit Pœnitentia? duplex fieri poteſt ſenſus; unus ſcilicet, an Pœnitentia ſit Virtus theologica, vel moralis?; alter vero, an ſit Virtus infuſa, vel acquiſita?

Dicimus II. Pœnitentiam non eſſe Virtutem theologicam, ſed moralem: neque eſſe virtutem per ſe infuſam, ſed acquiſitam.

Prima Concluſionis pars probatur I. Illa Virtus non eſt theologica, quæ in Scripturis inter theologicas virtutes non adnumeratur; Sed in Scripturis inter theologicas virtutes non adnumeratur Pœnitentia: ergo Pœnitentia non eſt virtus thologica. Probatur minor. Tres in Scripturis Virtutes theologicæ adnumerantur; nimirum Fides, Spes, & Charitas; ſed inter has non eſt Pœnitentia: ergo inter Virtutes theologicas Pœnitentia non adnumeratur. Major patet ex illo Apoſtoli in I. ad Corinth. 14. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, & Charitas.*

II. Probatur. Virtus theologica habet pro objecto immediato Deum; ſed Pœnitentia non habet pro objecto immediato Deum; ergo Pœnitentia non eſt virtus theologica. Major eſt certa, quia per hoc conſtituitur Virtus theologica, quod ſcilicet habeat Deum pro objecto immediato, ac formali motivo. Minor in ſequenti concluſione probabitur.

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet Pœnitentia non ſit virtus infuſa, ſed acquiſita, probatur etiam I. Illa eſt virtus infuſa per ſe, quæ non acquiritur per actus; ſed Pœnitentia cum divinæ gratiæ auxilio acquiritur per actus: ergo Pœnitentia non eſt virtus per ſe infuſa. De majori nequit eſſe dubium, quia acquiri per actus eſt proprium virtutis acquiſitæ, & non infuſæ. Minor etiam patet, quia per legem ordinariam per replicatos actus Pœnitentiæ ipſa Virtus acquiritur.

II. probatur. Experientia docemur, majorem nos acquirere facilitatem ad pœnitendum, quando frequentiores Pœnitentiæ actus exercemus, quam illi, qui hujuſcemodi actus vel nunquam, vel raro exercent; ſed ſi Pœnitentia eſſet

ſet virtus infuſa, eadem facilitas deberet eſſe in omnibus: ergo ſignum eſt, quod Pænitentia eſt Virtus acquiſita, & non infuſa.

Objiciunt I. Quælibet Virtus moralis dicit quid medium inter duo extrema, quæ ſunt vitioſa; ſed Pænitentia non habet hæc extrema; ergo non dicit hoc medium: ergo non eſt virtus moralis. Major patet in Liberalitate, quæ eſt media inter Avaritiam,& Prodigalitatem; in Religione, quæ eſt media inter Impietatem, & Superſtitionem; & in aliis quoque Virtutibus, quæ mediant inter exceſſum, & defectum, qui ſunt extrema. Minor pariter conſtat, quia circa Pænitentiam aſſignatur unum extremum per defectum, quod eſt impænitentia; aliud vero per exceſſum non aſſignatur. II. Pænitentia primario reſpicit Deum, ratione cujus nos pænitet peccaſſe, quia peccando Deum offendimus, atque ipſi diſplicuimus; ſed virtus, quæ primario tendit ad Deum, eſt theologica: ergo Pænitentia eſt virtus theologica, & non moralis. III. Virtutes, quæ immediate tendunt in Deum, ſunt infuſæ; ſed Pænitentia immediate tendit in Deum offenſum, quem vult placare: ergo Pænitentia eſt virtus infuſa,& non acquiſita. IV. Concilium Viennenſe aſſerit, per Baptiſmum infundi in animam gratiam, & virtutes; ſed inter virtutes adnumeratur Pænitentia: ergo ex Concilio Pænitentia infunditur in animam, & per conſequens eſt virtus infuſa, & non acquiſita.

Reſpondemus ad I. non eſſe diſtinctivum virtutis moralis a theologica, quod virtus moralis dicat quid medium inter extrema; ſed diſtinctivum eſſe potius, quod virtus theologica immediate reſpiciat Deum, moralis vero, quid creatum. Attamen ſi velimus in Pænitentia invenire extrema, inveniemus & complacentiam de peccato, & deſperationem de eodem, inter quæ vitia, quæ continent exceſſum, & defectum, ipſa Pænitentia mediat, tanquam virtus inter extrema, quæ ſunt vitioſa.

Ad II. negatur, quod pænitentia primario reſpiciat Deum, quanvis reſpiciat concomitanter, & mediate, ut in ſequenti Concluſione dicemus, & pariter in reſponſione ad tertium, quæ nunc ſubditur.

Ad III. diſtinguitur minor: Pænitentia immediate tendit in Deum offenſum, ideſt immediate attingit offenſam Dei, & Deum mediante illa, conceditur; alio modo, negatur. Exemplum habemus in Religione, quæ fertur in Deum colendum, & non per hoc Religio eſt virtus theologica; & non ob aliam rationem, niſi quia Religio attingit Deum, mediante cultu: ſic pariter Pęnitentia fertur in Deum offenſum, & attingit Deum, mediante offenſa; unde quemadmodum virtus moralis eſt Religio, ita pariter virtus moralis eſt Pęnitentia.

Ad IV. Concilium intelligitur de virtutibus theologicis, non vero de virtutibus moralibus; quod ex circumſtantiis Theologi deducunt, quanvis Concilium loquatur indefinite. Attamen etſi admittatur, quod poſſit per baptiſmũ infundi Pęnitentia, non tamen per hoc fieret, quod Pęnitentia eſſet virtus per ſe infuſa, at ſolummodo per accidens; quemadmodum concedimus quoque, Pęnitentiæ virtutem poſſe aliquando a Deo infundi in aliquam animam: ſed non per hoc ejuſmodi Pænitentia eſſet virtus per ſe infuſa, de qua nos ſolummodo in præſenti loquimur.

Pro tertia Diſſertationis parte, quæ continet Pęnitentiæ objectum, commemorare hic primo oportet, objectum Virtutis eſſe *materiale*,& *formale*; primum dicit illud, quod eſt indifferens ad conſtituendas virtutes varias; ſecundum vero importat illud, quod determinat materiale ad certam virtutis ſpeciem. Inſuper materiale objectum vel eſt proximum, circa quod immediate verſatur virtus, vel eſt remotum, circa quod verſatur mediante objecto materiali proximo.

Dicimus III. Objectum materiale proximum Pęnitentiæ eſſe actus pœnales; remotum vero eſſe actus peccaminoſos; formale autem objectum eſſe correſpondentiam moralem inter pœnam,& culpam ſecundum legem.

Prima Concluſionis pars probatur I. Illud omne, ex quo pęnitentia, ut virtus eſt, eſſentialiter conſtat, eſt objectum materiale ipſius; ſed actus pœnales proxime conſtituunt pęnitentiam, ut virtus eſt: ergo actus pœnales ſunt objectum materiale proximum pęnitentiæ, ut virtus eſt. Major eſt certa; materia

teria enim *ex qua* ingreditur Eſſentiatum; adeoque materia eſt illud omne, ex quo Eſſentiatum intrinſece conſtituitur. De Minori neque eſſe debet dubium; quatenus actus pœnales ingrediuntur Pęnitentiæ, ut virtus eſt, eſſentiam, ut de ſe patet.

II. probatur. Pęnitentia, ut virtus eſt, regulatur ſecundum Juſtitiæ commutativæ leges; ſed Juſtitiæ commutativæ lex eſt, ut ponatur æqualitas modo poſſibili inter datum, & acceptum: ergo pariter hæc lex in Pęnitentia, ut virtus eſt, ſervari debet; atqui nullo alio modo ſervari poteſt, niſi aliqualem ponendo æqualitatem inter actus pœnales, & actus peccaminoſos: ergo actus pœnales rationem objecti materialis proximi Pęnitentiæ virtutis ingrediuntur.

Secunda pars Concluſionis probatur I. Actus pœnales referuntur ad actus peccaminoſos, quos ſupponunt, & vindicant: ergo ſi actus pœnales ingrediuntur rationem Pęnitentiæ virtutis, ut objectum materiale proximum, pariter actus peccaminoſi ingrediuntur ut objectum materiale remotum.

II. probatur ratione prędictæ æqualitatis, quam nuper diximus in ſecunda probatione primæ partis Concluſionis; æqualitas enim, ut diximus, eſt inter actus pœnales, & actus peccaminoſos: ergo tam illi, quam iſti, ſunt de ratione objecti materialis Pęnitentiæ; & quidem pœnales ut proximi, peccaminoſi vero ut remoti.

Tertia Concluſionis pars probatur I. Objectum formale Juſtitiæ commutativæ eſt æqualitas phyſica inter datum & acceptum; ſed ad inſtar Juſtitiæ commutativæ regulari debet Pęnitentia, ut virtus eſt: ergo ejus objectum formale eſt æqualitas moralis inter pœnam, & culpam. De majori non eſt dubium, quia æqualitas hæc conſtituit rationem formalem Juſtitiæ commutativæ, adeoque eſt objectum formale ipſius. Minor pariter patet, quia in Pęnitentia, ut virtus eſt, æqualitas hæc moralis attendenda eſt, ut ratio formalis ipſius.

II. probatur contra illos, qui volunt, objectum formale Pęnitentiæ virtutis eſſe *malum vindicabile*. Objectum formale Juſtitiæ commutativæ non eſt *reſtituibile* pręciſe, ſed *reſtituibile* ad æqualitatem: ergo pariter objectum formale Pęnitentiæ virtutis non eſt pręciſe *peccatum vindicabile*, ſed *vindicabile ad æqualitatem*: ergo ſicut æqualitas phyſica inter datum & acceptum conſtituit objectum formale Juſtitiæ commutativæ, ita etiam ęqualitas moralis inter pœnam & culpam conſtituit objectum formale Pęnitentiæ virtutis.

Obſtant I. Actus pœnales ſunt effectus Pęnitentię: ergo non poſſunt eſſe ejuſdem objectum, & ne quidem materiale. II. Si peccatum eſſet objectum materiale remotum Pęnitentię, ſequeretur, quod idem objectum ingrederetur non ſolum peccatum proprium, ſed etiam alienum, quia hoc pariter peccatum eſt; atqui hoc dici non poteſt: ergo &c. III. Finis intrinſecus Pęnitentię eſt reparare jus divinum lęſum: ergo hoc pariter eſt ejus objectum formale. Conſequentia ſequitur, quia finis intrinſecus, & objectum coincidunt in unum. IV. Per actus pœnales nos intendimus vindictam ſumere de actibus peccaminoſis: ergo actus peccaminoſi, ut vindicabiles, conſtituunt rationem virtutis Pęnitentię, ut virtus eſt.

Reſpondemus ad I. Non implicare idem eſſe objectum, & eſſe effectum alicujus virtutis, vel artis, vel actionis. Ambulatio poteſt eſſe effectus ſanitatis, & poteſt eſſe objectum ipſius. Veſtis pariter eſt effectus artis veſtiarię, & ipſius objectum. Humilitatis denique eſt objectum & effectus ſui ipſius deſpectus.

Ad II. negatur ſequela, quia ideo peccatum proprium eſt objectum Pęnitentię, ex eo quod eſt effectus illius, quem pęnitet peccaſſe; non ſic autem peccatum alienum, cujus neminem pęnitet, niſi illum, qui ipſum perpatravit; & inſuper quia nemo tenetur pro illo ſatisfacere, niſi qui ipſum commiſit.

Ad III. dicitur, quod pro eodem venit jus divinum lęſum reparare, ac ęqualitatem, ſeu correſpondentiam moralem ponere inter culpam, & pœnam; ipſa enim poſitio ęqualitatis, ſeu correſpondentię moralis, eſt juris divini lęſi reparatio.

Ad IV. Quanvis per actus pœnales nos intendamus vindictam ſumere de commiſſis culpis, attamen non in eo ſolo ſiſtimus; quia ulterius intendimus per eoſdem actus ponere ęqualitatem mo-

moralem inter culpam & pœnam, ac moraliter correſpondere debito, quod per peccatum contraximus juxta legem; unde ſemper ſtat, quod ratio formalis Pęnitentię, quę debet eſſe ultima, conſiſtat in ipſa ęqualitate, ſeu correſpondentia morali, quę eſt ultima; non vero in ipſa punibilitate, quę ad ęqualitatem, ſeu correſpondentiam, pręſupponitur.

Pro ſubiecto Pęnitentię duplex diſtinguitur; *immediatum* ſcilicet, & *mediatum*; ſecundum eſt homo ille, quem penitet; primum vero eſt Potentia illa hominis ipſius, per quam hominem ipſum pænitet. Unde

Dicimus IV. Subjectum mediatum Pænitentię habitualis eſſe omnem hominem viatorem, qui potens ſit peccare, licet nunquam peceaverit; immediatum vero eſſe voluntatem.

Prima Concluſionis pars probatur I. Subjectum, de quo loquimur, eſt ille ſolus, quem poteſt pęnitere, licet de facto non pæniteat; ſed hic eſt ſolus homo viator: ergo ſolus homo viator eſt ſubjectum mediatum Pęnitentiæ. Probatur minor. Solus homo viator poteſt peccare: ergo ſolus homo viator poteſt pęnitere.

II. Probatur. Habitus Pænitentiæ, de quo loquimur, ex Doctrina Angelici Doctoris 1. par. q.95. art. 3. de facto fuit infuſus primis Parentibus ante lapſum; ſed hoc non niſi, quam quia ipſi poterant peccare: ergo homo viator, qui poteſt peccare, eſt ſubjectum mediatum Pænitentiæ, de quo loquimur.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Illa hominis Potentia eſt ſubjectum immediatum Pęnitentiæ, in qua reſidet habitus ejuſdem; ſed in voluntate reſidet habitus Pænitentiæ: ergo voluntas eſt ſubjectum immediatum Pænitentię. Probatur minor. In voluntate ſunt actus Pęnitentię: ergo in voluntate eſt habitus Pęnitentię. Probatur antecedens. Actus Pęnitentię ſunt vindicta peccati; ſed vindicta peccati eſt in voluntate: ergo pariter in voluntate ſunt actus Pęnitentię.

II. Probatur. Voluntas eſt ſubjectum immediatum Juſtitię: ergo pariter eſt ſubjectum immediatum Pęnitentię, ut virtus eſt ſpecialis. De antecedente non eſt dubium, quia ab omnibus conceditur; conſequentia autem probatur; quia Pęnitentia, ut virtus ſpecialis eſt, ſpecies eſt Juſtitię vindicativę: ergo in illa Potentia reſidere debet, in qua reſidet omnis juſtitia.

Arguunt I. Si ſubjectum mediatum Pęnitentię eſſet omnis homo viator, ſequeretur, quod pariter fuiſſet Chriſtus, & Beata Virgo, qui fuerunt homines viatores; ſed hoc eſt falſum: ergo pariter falſum eſt illud, ex quo ſequitur. Probatur minor. Chriſtus, & Beata Virgo nec peccaverunt, nec peccare potuerunt: & quidem Chriſtus vel ratione unionis hypoſtaticę, vel ratione viſionis beatificę, ut dictum eſt ſuo loco; Beata Virgo vero ratione privilegii ſpecialis. II. Habitus Pęnitentię remanet in Beatis, atque in Damnatis; & quidem in illis ad ornatum; in his vero ad confuſionem; & nihilominus Beati, & Damnati non ſunt homines viatores. III. Intellectus eſt, qui judicat, peccatum eſſe malum, & nunquam faciendum, quia eſt contra Deum, & contra illum ipſum, qui peccatum committit; ſed hoc eſt pęnitere: ergo ſubjectum immediatum Pænitentię eſt Intellectus. IV. Peccatum aliquando poteſt remitti per Pęnitentiam virtualem; ſed ſubjectum immediatum Pęnitentiæ virtualis eſt tota anima, non ſola voluntas: ergo ſubjectum immediatum Pęnitentię non eſt ſola voluntas.

Reſpondemus ad I., quod ſi Pęnitentia late ſumitur pro diſplicentia peccati ſive a ſe, ſive ab aliis commiſſi, fuit quidem in Chriſto, & Beata Virgine; quia iiſdem ſummopere diſplicebant peccata hominum, quatenus hęc erant offenſę Dei. Si vero ſtricte accipitur pro peccatis a ſe commiſſis, non fuit, quia Chriſtus, & Beata Virgo, nec peccaverunt, nec peccare potuerunt, ut in objectione dicitur.

Ad II. dicitur, probabilius eſſe, habitum Pęnitentię nec in Beatis, nec in Damnatis remanere, quia ratione ſui ſtatus ſtricte loquendo pęnitere non poſſunt; & quidem Beati, quia incapaces ſunt omnis doloris, & cujuſcunque pęnę, Damnati vero, quia inter culpam & pęnam remittere non poſſunt æqualitatem, & pro culpa nullo modo poſſunt ſatisfacere.

Ad III. diſtinguitur minor; ſed hoc eſt Pęnitere, ſcilicet *præſuppoſitive*, conceditur; *formaliter*, negatur. Verum eſt, quod ad actum voluntatis præſup-

ponitur actus intellectus, qui dicitur actus Pænitentiæ; ſed non per hoc ſit, quod ille actus Intellectus ſit actus Pænitentiæ formaliter, at ſolummodo præſuppoſitive.

Ad IV. dicitur, quod quanvis doctrina majoris propoſitionis ſit ſententia Scoti, non eſt tamen ſententia omnium Theologorum; quia Melchior Canus, & Sotus, acriter defendunt, ſemper & in omni caſu requiri Pænitentiam formalem. At ommiſſa majori, negatur abſolute minor; quia Pænitentia virtualis includitur in actu Charitatis, & actus Charitatis ſecundum omnes Theologos, habet pro ſubjecto immediato Voluntatem, non Intellectum.

Denique pro Diſſertationis complemento remaneret de actibus Pænitentiæ, ut virtus eſt, diſſerere; ſed quia hi ex uſque modo dictis ſatis innoteſcunt, & ex dicendis mox in ſequenti Diſſertatione clarius patefient, ideo Diſſertationi finem imponimus.

DISSERTATIO CCCLVI.

De Hæreticorum erroribus contra Pænitentiam, ut virtus eſt. An ſit ſimplex reſipiſcentia, & nuda ceſſatio a peccato? An ſit veteris vitæ abjectio, & novæ inſtauratio?

ULTRA Pænitentiam habitualem, quæ ſimul cum potentia concurrit ad actus ſibi ſimiles eliciendos, datur Pęnitentia actualis, quæ in ipſis actibus conſiſtit. Et quidem hæc Pęnitentia actualis, quatenus eſt interior; de exteriori enim non loquimur, quia ſatis innoteſcit in quo conſiſtat; in quadruplici genere actuum a Doctoribus aſſignatur, quorum prior eſt *velle vindicare, & punire peccatum* ex prævia cognitione intellectus, qui voluntati manifeſtat deformitatem, & malitiam peccati, unde voluntas movetur ad illud deteſtandum, vindicandum, ac puniendum. Secundus actus eſt *deteſtatio ejuſdem peccati, & erga illud odium conceptum.* Tertius eſt *voluntaria acceptatio pænę*, quę propter peccatum quomodocunque peccanti infligitur. Quartus tandem eſt *ejuſdem pænæ voluntaria ſuſtinentia, ac perpeſſio.*

Secundum hos quatnor actus Pęnitentia definitur, vel potius deſcribitur, diverſimode a Patribus, & a Theologis. Et quidem ſecundum primum *Pænitere eſt vindicare peccatum a ſe commiſſum*; & hæc videtur eſſe definitio Auctoris libri *de vera & falſa Pænitentia*, qui S. Auguſtino tribuitur, ubi cap. 8. hæc habet. *Pænitentia eſt quædam volentis vindictam punitio in ſe, quod dolet admiſiſſe*: & cap. 19. *Pænitere eſt pænam tenere, ut ſemper puniat ſe ulciſcendo, quod admiſit peccando.* Inſuper ipſemet verus Auguſtinus epiſt. 108. ad Seleucianum. *Eſt etiam Pænitentia bonorum & humilium Fidelium opera, in qua pectora tundimus dicentes: dimitte nobis debita noſtra.* Et Iſidorus lib. 6. *Ethymol.* cap. ult. *Pænitentia appellata eſt, quaſi punientia, eo quod ipſemet homo in ſe puniat pænitendo, quod male admiſit.*

Juxta vero ſecundum, Pænitentia eſt *diſplicentia de peccato a ſe commiſſo*: & de hac loquitur Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. *Propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem; hoc eſt per eam Pænitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Et ſeſſ. 14. cap. 6. *Contri-*

Google

tritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Secundum tertium actum, Pænitentia eſt *voluntaria & grata acceptatio pænæ infiſtæ pro peccato commiſſo*. Unde Auctor citati libri *de vera & falſa Pænitentia* Auguſtino adſcripti cap. 13. dicit: *Hinc peccator ſemper doleat, & de dolore gaudeat*. Et Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtarentur.*

Juxta denique quartum actum Pænitentia eſt *patiens & lęta tolerantia pænę ſibi pro peccato inflictę*. Et hanc approbat Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 9. ubi habet. *Docet præterea, tantam eſſe divinæ munificentię largitatem, ut non ſolum pęnis ſponte a nobis pro vendicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.* His poſitis, Hæreticorum errores enarramus.

Primo, Lutherus in epiſt. ad Vicarium ſui Ordinis ſcribit „ quod Pænitentia non ſignificat dolorem, aut odium præteritæ vitæ, ſed amorem Juſtitiæ, & novæ vitæ conſtituendę. „ Ulterius in articulis Lutheri damnatis a ſacra Facultate Pariſienſi hic legitur. „ Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem; hæc, inquam, contritio facit hominem hypocritam, imo magis peccatorem. „

Secundo, Calvinus lib. 3. *Inſtitut.* cap. 5. declarat „ nomen Pænitentiæ maxime denotare converſionem vitæ præteritæ, ac mentis mutationem. „

Tertio, Laurentius Valla ſcripſit, græcam vocem *μετάνοιαν* rectius latinam reddi per *reſipiſcentiæ*, quam per *Pænitentiæ* vocabulum. Unde Scriptores noſtri dicunt, quod ipſemet Valla in hoc errore aſſerendo Luthero, & Calvino præivit.

Quarto, Eraſmus, ſemper quod in græco invenit *μετάνοιαν*, ſemper quoque per *reſipiſcentiam* expreſſit. Unde de ipſo ſcribit Fraſſen, quod in cap. 3. Matth. declarat, Pænitentiam idem eſſe ac *ponetenentiam*, & pænitere *ponetenere*, videlicet, poſtea ſapere, ſeu reſipiſcere, quia reſipiſcentia deducitur ex *re*, & *ſapientia*, & reſipiſcere venit, a *re*, & *ſapere*.

Dicimus I. Pęnitentiam non eſſe ſimplicem reſipiſcentiam, & nudam ceſſationem a peccato, ſed etiam dolorem de peccato, ac de offenſa pręterita.

I. Probatur ex Scripturis. Pſal. 30. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*. Et Pſal. 6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. Et Iſaię 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ezech. 18. *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Job. ult. *Ipſe me reprehendo, & ago Pænitentiam in favilla & cinere*. Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere Pænitentiam egiſſent*. Apoſtolus II. ad Corinth. 7. *Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum; quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, Pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*.

II. Probatur ex Conciliis. Tridentinum ſeſſ. 14. num. 14. *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud*: projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus pręvaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum; *& certe qui illos Sanctorum clamores conſideraverit*: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animę meę; *& alios hujuſmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quadam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe*. Et Can. 5. *Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ Beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. . . . anathema ſit.*

III.

III. Probatur ex Patribus. Nazianzenus Orat. *ad ſacra lumina* vocat Pęnitentiam *Baptiſmum lacrymarum*: ergo exprimit dolorem de peccato, ac de offenſa pręterita. Auguſtinus lib.3. *de Trinitate* cap.4. eandem dicit *Crucifixionem interioris hominis*: ergo pariter exprimitur dolor de peccatis. Idem Auguſtinus lib.50.homiliarũ homil.ult. cap.5. hęc habet. *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per Pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis*. Iſidorus lib.6. *Ethymologiar*. cap.19. ſcribit. *Pænitentia quaſi* Punientia *dicitur, eo quod ipſe homo puniat pænitendo, quod male admiſit: nam nihil aliud agunt illi, quos veraciter pęnitet, niſi ut id, quod male fecerunt, impunitum eſſe non ſinant; eo quippe modo ſibi non parcentibus ille parcet, cujus altum juſtumque judicium nullus contemptor evadet*.

IV. probatur Rationibus I. Per Adverſarios Pęnitentia importat reſipiſcentiam, & ceſſationem a peccato; ſed reſipiſcentia nequit ſtare ſine dolore de eodem: ergo Pænitentia importat etiam dolorem de peccato commiſſo. Probatur minor. Ideo pænitens habet reſipiſcentiam de peccato, quia cognoſcit peccatum eſſe malum, & ſe ipſum peccando male egiſſe; ſed hoc includit neceſſario dolorem: ergo &c. II. Per reſipiſcentiam vel deteſtatur peccatum commiſſum, vel non deteſtatur: ſi non deteſtatur: ergo non eſt reſipiſcentia, nec propoſitum novæ vitæ: ſi deteſtatur: ergo continet neceſſario dolorem, qui non eſt ſeparabilis a deteſtatione peccati. III. Per Adverſarios Pænitentia eſt ceſſatio a peccato; ſed nequit eſſe ceſſatio a peccato, ſine diſplicentia ipſius: ergo in Pænitentia includitur eſſentialiter diſplicentia, ſeu dolor peccati. Probatur minor. Ceſſatio a peccato dicit ceſſationem ab opere perverſo, quod nolumus nos commiſiſſe, & quod promittimus deinceps non amplius commiſſuros: ergo nequit eſſe ceſſatio a peccato ſine diſplicentia, & dolore commiſſionis ejuſdē. IV. Reſipiſcentia a peccato vel importat punitionem, quam in ſe ipſo pænitens exercere debet, vel non importat; ſi importat: ergo includitur neceſſario dolor; punitio enim voluntaria, qualis hæc eſſe debet, nequit eſſe ſine dolore; ſi non importat: ergo non eſt vera reſipiſcentia, ſed ſimulata, qua ſcilicet quis ſibi blanditur, putans ſe a peccato reſipiſcere, quando revera non reſipiſcit; quia de peccato non dolet, peccatum non punit, & ſe illud non amplius commiſſurum non promittit.

Arguunt I. Tertullianus lib.2. *cont. Marcionem* cap. 24. ſcribit: *nihil aliud intelligitur, quam ſimplex converſio ſententiæ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione ejus poſſit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cujus omnis ſententia caret culpa*. Ex quibus verbis deducitur, quod Pænitentia ex ſe non importat dolorem & pœnam. II. Idem Tertullianus citato loco dicit, Pænitentiam ſignificare tantum animi mutationem: & hæc ſunt ejus verba. *Nam & in græco ſono Pęnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt*. III. Lactantius lib.2. *Inſtitut*. cap.24. aſſerit, vocem μετάνοιαν latinam fieri per verbum *Reſipiſcentiæ*: ergo ex Lactantio Pænitentia non aliud importat, quam mentis reſipiſcentiam. IV. Pænitere apud Scriptores latinos, & quidē primæ notæ, idem importat ac *tędere*: ita ut *pęnitet* idem ſit, ac *tędet, pudet, piget &c*. Citantur Cicero lib. de *Senectute* ubi ait: *Si ad centeſimum vixiſſet annum, ſenectutis eum ſuæ pęniteret*. Et in Somnio Scipionis. *Ipſa terra, ipſa parva mihi viſa eſt, imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attigimus, pæniteret*. Plinius lib. 1. cap.17. loquens de Eſſenis apud Judæos religioſis. *Gens æterna, in qua nemo naſcetur, tam fæcunda illis aliorum vitæ pęnitentia eſt*. V. Pænitentia ex dictis a nobis ſuperius eſt virtus; ſed virtus non excitat dolorem, immo potius delectationem parit: ergo vel Pænitentia non eſt virtus; vel ſi eſt virtus, nequit eſſentialiter continere dolorem.

Reſpondemus ad I. quod quamvis Pænitentiæ vox in genere intellecta, & a Scriptura Deo, & hominibus tributa, importet ſententiæ converſionem; prout tamen inſervit homini ad obtinendam commiſſæ culpæ remiſſionem, aliquid aliud ſupra ipſam ſententiæ converſionem includit. Tertullianus intelligendus eſt de prima intelligentia; unde ipſe citato loco dicit: *Supereſt enim jam agnoſcere quid ſit Pęnitentia Dei*: de ſecunda vero intelli-

gen-

gentia idem Tertullianus ibidem dicit. *Hæc definitio in omnibus aliam formam divinę Pęnitentię ſtatuit, quę neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni, vel mali operis damnatione reputetur, ſicut humana.*

Ad II. Verum eſt, quod Pænitentia ſecundum vocis Ethymologiam importat poſteriorem ſententiam, vel ſecundam cogitationem, vel ſententiæ mutationem; unde μετάνοια dicitur a μετὰ, hoc eſt *trans* vel *poſt*, & νοῦς, ſcilicet *mens & cogitatio*; quapropter μετάνοια idem dicit, ac poſteriorem ſententiam, vel ſecundam cogitationem, vel ſententiæ mutationem. Attamen uſus vocabuli *Pęnitentiæ* apud Scripturas, & Patres, prout exprimit hominis Pænitentiam, non dicit tantum ſimplicem ſententiæ mutationem, ſed animi quoque dolorem.

Ad III. Negamus conſequentiam, & pro ratione adducimus ipſius Lactantii verba, quæ ſunt citato loco. *Reſipiſcit, ac mentem ſuam, quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementię, & confirmat animum ſuum ad rectius vivendum: tum illud ipſum cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* Ex quibus verbis deducitur, quod ſecundum Lactantium Pænitentia ſignificat, & agnitionem peccati, & priſtinæ vitæ emendationem, & ulterius animi dolorem, dementiæ, ſeu peccati caſtigationem, & ultionem, cum propoſito vitæ in melius mutandæ.

Ad IV. dicitur ſecundum Fraſſen, quod illa omnia dicuntur per metaphoram; quia nimirum in iis, quæ ſunt nobis tædio, pudori, & contemptui, pænam quandam ſentimus, moleſtiam, ac diſplicentiam; proinde fit, quod omne, quod tædet, pudet, & piget, dolorem quoque nobis ingerit, ac inducit.

Ad V. dicitur, quod Pænitentia ſimul excitat dolorem, & delectationem; at non ſecundum idem, ſed ſecundum diverſa. Excitat dolorem ratione objecti; excitat delectationem ratione actus. Igitur pænitens dolet de peccato, quatenus peccatum eſt offenſa Dei; ſed gaudet de actu, hoc eſt de dolore, ac proinde prompte & alacriter operatur ad vindictam in ſemetipſo, & ad peccati deſtructionem. Unde Auguſtinus explicans verba illa Pſalmi 126. *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*: hæc ſcribit. *Niſi haberet aliquam ſuavitatem panis iſte, nemo illum manducaret. Cum quanta ſuavitate plorat in gemitu, qui orat! Dulciores ſunt lacrymę orantium, quam gaudia Theatrorum..... Dulces ſunt & ipſæ lacrymæ, & pro cibo tibi erunt, quia factæ ſunt & ipſæ panis die ac nocte, dum dicitur tibi quotidie, ubi eſt Deus tuus?* Et lib. 5. Confeſſionum cap. 11. *Ecce ibi es in corde confitentium tibi, & plorantium in ſinu tuo poſt vias ſuas difficiles; & tu facilis terges lacrymas eorum, ut magis plorent, & gaudeant in fletibus.*

Dicimus II, ad rationem Pænitentiæ, ut virtus eſt, non ſufficere veteris vitæ abjectionem, & novæ inſtaurationem, ſed inſuper requiri animi dolorem, & peccati deteſtationem.

I. probatur ex Scripturis, Ezechielis 18. *Si autem impius egerit Pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* Juſtitia autem, & judicium a peccatore pænitente fieri non poſſunt, niſi vindicando peccatum, ſe revocando a Creaturis, & convertendo ad Deum per debitam ſatisfactionem, quæ fieri debet per opera pænalia, & laborioſa, juxta illud Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra &c.* Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*: antecedenter autem dixerat: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam..... quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Cohærenter ad quæ verba Chriſtus Lucæ 13. dixit: *niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Inſuper Apocalypſis 2. Joannes ſcribit Epiſcopo Epheſi Dei nomine. *Habeo adverſum te, quod charitatem primam reliquiſti; memor eſto itaque unde excideris, & age Pænitentiam, & prima opera fac: ſin autem venero tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi Pænitentiam egeris.* Quibus omnibus verbis ſignificatur, Pænitentiam includere pænam; quæ quidem pæna non importatur per ſolam veteris vi-

tæ

tæ abjectionem, & novæ inſtaurationem, ſed inſuper per animi dolorem & peccati deteſtationem.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. de Contritione. *Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere juxta illud: projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Et Can. V. de Pænitentiæ Sacramento. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuę, ponderande peccatorum ſuorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem ęternæ beatitudinis, & ęternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum & utilem dolorem, nec pręparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus. Cyprianus in libello de Lapſis. *Putas tu Dominum cito poſſe placare, quem verbis perfidis abnuiſti? &c. Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet eum impenſius, & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo adhęrere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari, poſt indumentum Chriſti perditum, nullum jam hic velle veſtitum; poſt Diaboli cibum malle jejunium; juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur; eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus a morte animæ liberantur...... Si precem quis toto corde faciat, ſi veris Pęnitentię lamentationibus, & lacrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt &c.; poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam poteſt ille deflectere.* Ambroſius lib. 1. de Pænitentia cap. 4. *Expectat gemitus noſtros, ſed temporales, ut remittat perpetuos; expectat lacrymas noſtras, ut profundat pietatem ſuam.* Et lib. 2. cap. 5. *Qui agit pænitentiam, non ſolum diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendationibus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, & non ei imputetur peccatum: ergo tegamus lapſus noſtros poſterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus Deus noſter ingemiſcentes &c.* Auguſtinus Serm. 34. *de diverſis* cap. 12. *Sunt quædam gravia & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis Pænitentiæ non relaxantur.* Et Serm. 4. de Communibus. *Eſt Pænitentia medicamentum vulneris, ſpes ſalutis, per quam Deus ad miſericordiam provocatur: Pænitentia a pæna nomen accepit, quia anima cruciatur, & caro mortificatur.* Et ſerm. 7. de tempore. *Multi aſſidue ſe dicunt Peccatores, & tamen adhuc delectat eos peccare. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima, & non ſanatur. Pronuntiatur offenſa, ſed non tollitur. Pænitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quando fit, ut tibi amarum ſapiat in anima, quod ante in vita fuit dulce, & quod te prius delectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde; jam tunc bene ingemiſcis ad Deum, & dicis: tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Bene;* tibi ſoli peccavi: *quia nullus hominum ſine peccato; & ideo tibi ſoli peccavi; quia tu ſolus es ſine peccato. Da miſericordiam miſero, qui tandiu pepercisti criminoſo. Inclinet ad remedium humilitas pænitentis, quem permovere non potuit diuturnitas Peccatoris. Dic illi in fletu cordis. Aſpice ad infelicem pietas immenſa: reſpice crudelem miſericordia publica. Deſperatus ad Omnipotentem venio; vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem manſuetudinis, qui tandiu ſuſpendiſti gladium ultionis. Dele numeroſitatem criminum multitudo miſericordiarum.*

IV. Probatur Rationibus I. Pænitentia in nobis gerit vicem divinæ Juſtitiæ; ſed divina Juſtitia non ſolum a nobis exigit novæ vitæ inſtitutionem, ſed etiam prioris vitæ expiationem: ergo pariter Pænitentia. Hæc autem prioris vitæ expiatio nequit fieri niſi peccator puniat, & dolore, & lacrimis, delicta, quæ antecedenter perpatravit, ut explicat Tertullianus cap. 9. lib. 2. de Pænitentia. *Hæc omnia exomologeſis, ut Pænitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipſa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtre-*

ſtretur, *ſed expungat*. Et cap. 11. *Deliqui, dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.* Et initio cap. 12. *Si de Exomologeſi tractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi Exomologeſis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites ..... Igitur cum ſcias adverſus gehennam poſt prima illa inſtructionis dominicæ monimenta eſſe adhuc in Exomologeſi ſecunda ſubſidia; cur ſalutem tuam deſeris, cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi?* II. Peccatum a pœnitente non ſolum debet emendatione tegi, ſed etiam punitione deleri; atqui hoc importat, & veteris vitæ renovationem, & præteritarum culparum per dolorem & opera pœnalia, punitionem: ergo &c. Major eſt Doctrina S. Ambroſii ad Virginem lapſam cap. 8., ubi deſcribens afflictiones, & labores, quos ſubire pœnitentes debent, addit: *Peccator ergo ſi ſibi ipſi non pepercit; a Deo illi parcitur; & ſi futuras pœnas gehennæ præcipuas in hoc parvo vitæ ſpatio compenſaverit, ſeipſum ab æterno judicio liberat.* III. Pœnitentia importat judicium, quod homo in ſemetipſo facit de criminibus a ſe commiſſis, quorum ipſe eſt Reus & Judex, & quidem reus confitens, & judex puniens; atqui judicium importat pœnam, quam Judex infert, & Reus ſuſtinet: ergo &c. Major eſt S. Proſperi lib. 2. *de vita contemplativa* cap. 7. *Quod ſi ipſi Judices fiant, & velut ſuæ iniquitatis ultores, hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.* IV. Per peccatum anima deturpatur: ergo opus eſt, ut per Pœnitentiam purgetur, lavetur, atque exornetur; ſed hoc fieri non poteſt, niſi per animi dolorem, & corporis afflictationem: ergo ultra veteris vitæ deteſtationem, & novæ ſuſceptionem, neceſſaria eſt in Pœnitente afflictio & dolor. Argumentum fundatur in Doctrina S. Petri Damiani cap. 2. libri, quem inſcripſit Gomorrhianus. *Quiſquis quolibet eorum modo, quos ſupra diſtinximus, nefandæ turpitudinis ſe contagione fœdaverit, niſi fructuoſæ Pœnitentiæ fuerit ſatisfactione purgatus, nunquam habere Dei gratiam poterit, nunquam Chriſti corpore, & ſanguine dignus erit, nunquam cæleſtis patriæ limen intrabit.*

Objiciunt I. Iſaiæ 55. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum, dum prope eſt: derelinquat impius viam ſuam; & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſeribitur ejus, & ad* Deum *noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Atqui verbis hiſce non aliud Deus a peccatore exigit, quam ceſſationem a peccatis, mandatorum obſervantiam, & vitæ novæ inſtitutionem: ergo &c. II. Reſpondens Chriſtus petenti a ſe, quid agere deberet ut ſalvaretur, nihil dixit, de peccatorum deteſtatione, de dolore, de pœna, de labore &c.; ſed tantum mandatorũ Dei obſervantiam iniunxit, dicens Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: ergo ſignum eſt, quod non eſt neceſſarius dolor de commiſſis, ſed ſufficit emendatio. III. Ad Galatas 5., & 6. Apoſtolus docet, non valere aliquid Circumciſionem, neque præputium, ſed tantummodo novam Creaturam in Chriſto Jeſu: ergo ex Apoſtolo ſufficit prioris vitæ renovatio. IV. Pœnitentia non includit eſſentialiter verecundiam: ergo nec includit eſſentialiter dolorem. Conſequentia ſequitur, quia dolor ſi eſſet neceſſarius, deberet ſupponere verecundiam. Antecedens patet, quia verecundia eſt de turpi facto; turpis autem facti recordari non debet pœnitens; ne memoria delectationis præteritæ turpis & inhoneſtæ denuo ferat eum in peccatum.

Reſpondemus ad I., quod impius derelinquere debet vias ſuas, non ſolum negative, deſiſtendo ſcilicet ſolummodo a peccatis, ſed etiam poſitive, nimirum per propoſitum non peccandi de cætero. Hoc autem propoſitum nequit eſſe ſine contritione; hoc eſt ſine vitæ prioris deteſtatione; quia ille ſolus dicitur quieſcere a peccando, & deſerere peccata, cui peccata diſplicent, & qui dolet ſe commiſiſſe peccata, & proponit, ſe non amplius cõmiſſurum.

Ad II. dicitur, quod nequit pœnitens ſervare mandata, niſi pœnitentiam agat de eorundem mandatorum inobſervantia, cujus per peccata ſua factus eſt reus. In præcepto igitur, quod Chriſtus dedit de ſervandis mandatis includitur Pœnitentiæ præceptum, hoc eſt do-

lor, quod antecedenter mandata non ſervaverit, & propoſitum, quod impoſterum eadem obſervabit. Alii dicunt, quod Præceptum de agenda Pænitentia, includitur ſaltem virtualiter in præcepto de diligendo Deo, quia quis non poteſt Deum perfecte diligere, quin velit ablatum illius honorem reſarcire, & ei debitam ſatisfactionem impendere; ita Fraſſen.

Ad III. Valet quidem ad ſalutem nova vita, quæ per gratiam inſtauratur; ſed ad hoc, ut vitæ inſtauratio ſit perfecta, debet ſupponere prioris vitæ deteſtationem, & Deo impendere ſatisfactionem debitam pro illatis injuriis. Hæc autem eſſe nequeunt ſine dolore peccati commiſſi, & ſine firmo propoſito, quod peccatum de cætero non admittet.

Ad IV. dicitur, quod pudor, ſeu verecundia, vel adjungitur peccato, & parit infamiam & mortem, vel unitur Pænitentiæ, & parit gloriam & ſalutem; poteſt autem ſtare verecundia de peccato commiſſo abſque delectationis præteritæ memoria, quia Pænitens in generali recordatur, ſe peccaſſe, & pudet ſimul, & dolet; & non eſt neceſſe, ut ad individualia facta deſcendat. Cæterum Eccleſiaſtici 4. habetur diſcrimen inter confuſionem, & confuſionem; hoc eſt inter verecundiam, & verecundiam, in his verbis: *eſt confuſio adducens peccatum: & eſt confuſio adducens gloriam*: quæ verba ſic explicat Gregorius Magnus lib. 1. in Ezechielem homil. 10. *Qui erubeſcit pœnitendo mala, quæ fecit, ad vitæ libertatem pervenit: qui vero erubeſcit bona facere a ſtatu rectitudinis cadit, atque ad damnationem tendit.*

DISSERTATIO CCCLVII.

De Virtutis Pœnitentiæ neceſſitate & efficacia. An ſit præceptum de agenda Pœnitentia? Et quatenus obliget?

ANTEQUAM deveniamus ad diſſerendum de Pænitentiæ virtutis præcepto, quod quidem importat Pænitentiæ virtutis neceſſitatem, ſed neceſſitatem illam, quæ apud Theologos dicitur *præcepti*; opus eſt, ut videamus, dicamuſque aliquid de alia neceſſitate, quæ ab iiſdem Theologis dicitur *medii*, ſeu *finis*. Et quidem fere omnes conveniunt, quod ſi Pænitentia ſumitur, ut eſt ſpecialis virtus a cæteris virtutibus diſtincta, & importat duntaxat velle vindicare peccatum, non ſit abſolute neceſſaria ad peccati remiſſionem; ſi vero generatim accipiatur, quatenus eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, tunc dicendum eſt, quod fuerit neceſſaria peccatoribus quovis tempore, & ſit etiam modo ad peccatorum veniam impetrandam. Et quidem hanc ultimam propoſitionem, tanquam de fide, determinavit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Fuit quidem Pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui potuiſſent; ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem, cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtarentur; unde Propheta ait: convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Et Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans di-*

cebat

cebat : pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum. Et hæc quidem dicta ſint de Pænitentiæ neceſſitate, quæ dicitur *medii*, ſeu *finis*.

Venientes autem ad Pænitentiæ neceſſitatem, quæ dicitur *præcepti*; ſupponimus primo, præcepta divina alia eſſe negativa, alia affirmativa. Negativa ſunt, quæ removent ab actione, & negativis verbis exprimuntur: nimirum non occides, non furaberis, non mæcaberis &c. Affirmativa vero actionem imperant, & inducunt, & affirmativis verbis concipiuntur; nimirum, honora parentes, Dies feſtos colito &c. Hæc autem notabilis & maxima differentia inter ipſa intercedit, quod præcepta negativa obligant ſemper, & pro quacunque temporis differentia, non ſolum quantum ad animi præparationem & effectum, ſed etiam quantum ad actum negativum. Præcepta vero affirmativa obligant quidem ſemper, quantum ad animi præparationem & effectum, non vero quantum ad actus affirmativi exercitium, quia hoc duntaxat exigit tempus, quod Deus, vel Eccleſia, determinat. Utrorumque exempla ponamus. Præceptum de non mæchando obligat non ſolum ad nuſquam habendum propoſitum mæchandi, ſive ſemper habendum propoſitum non mæchandi; ſed etiam obligat ad nuſquam committendam fornicationem. Inſuper præceptum ſanctificandi dies feſtos obligat quidem ſemper, quantum ad animi affectum, quo tenemur, ſemper habere illam animi propenſionem erga Feſtorum ſanctificationem; at non ſemper obligat ad actum; ſed pro illa tantum differentia temporis, loci, & opportunitatis, qua nos liberi reddamur, ut feſta ſanctificemus. Supponimus ſecundo, præcepta divina poſſe a nobis adimpleri & quantum ad ſubſtantiam actus, & quantum ad finis intentionem. Primo modo, quando fit actio, quæ præcipitur; ſecundo modo, quando fit actio ob illum finem, ob quem præcipitur. Exemplo res fit manifeſta. Eſt præceptum Eccleſiæ de jejunio diebus quadrageſimæ &c., & quidem præceptum ſub mortali obligans illos, qui ad illius obſervantiam tenentur. Jejunet quis in peccato mortali exiſtens, adimplet quidem præceptum quantum ad ſubſtantiam actus, non vero quantum ad intentionem finis; quia finis præcepti eſt, ut jejunando novum acquirat meritum; at ille in mortali exiſtens non facit actionem, quæ ſit meritoria vitæ æternæ.

His ſuppoſitis, hæ ſunt difficultates, quæ in hac Diſſertatione ſe nobis agitandas offerunt; an ſcilicet de Pænitentia agenda ſit divinum præceptum, & quoad ſubſtantiam actus, & quoad intentionem finis; ita quod, ſi peccator pænitentiam non agat tempore, quo agere tenetur, alterius novi peccati reus evadat? Inſuper alia eſt difficultas, de tempore nimirum, quo peragi debeat Pænitentia, an ſtatim poſt peccatum commiſſum? An in diebus ſolemnioribus? An in manifeſto mortis periculo?

Dicimus I. Peccatores teneri agere pænitentiam ſub præcepto; ac proinde novum committere peccatum, ſi illam non agant tempore, quo agere tenentur.

I. probatur ex Scripturis. Lucæ 13. dicitur: *niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*; quod autem hæc verba importent neceſſitatem non ſolum medii, ſed etiam præcepti, patet ex conſimilibus verbis, quibus & præceptum baptiſmi, & præceptum Euchariſtiæ a Chriſto nobis facta ſunt. Dicitur enim Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c., non introibit &c.* & Joannis 6. *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c., non habebitis &c.* Quum ergo eadem ſint verba, per quæ nobis baptiſmus & Euchariſtia imperantur, & quibus pænitentia imponitur, plane liquet, quod ſicut de baptiſmo, & de Euchariſtia eſt neceſſitas præcepti, ita pariter ſit de Pænitentia.

II. probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Fuit quidem Pænitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui Baptiſmi Sacramento ablui potuiſſent, ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtarentur: unde Propheta ait: convertimini & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dicit: niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

Et Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initiandis pænitentiam commendans, dicebat. Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. Porro nec ante adventum Chriſti Pænitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante baptiſmum, ut nuper dictum eſt.

III. probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de Pænit. cap.4. *Audaciam exiſtimo de bono divini præcepti diſputare: neque enim quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quam utilitas ſervientis. Bonum eſt pænitere, an non? Quid revolvis? Deus præcepit; at ille non præcepit tantum, ſed etiam hortatur. Invitat præmio ſalutem; jurans etiam Ezechielis 33. Vivo dicens, cupit credi ſibi; o beatos vos, quorum cauſa Deus jurat! O miſeros, ſi nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat; quod etiam humano more, ſub dejeratione teſtatur, ſumma ubique gravitate & aggredi, & cuſtodire debemus, ut in aſſeveratione divinæ gratiæ permanentes in fructu quoque ejus, & emolumento proinde perſeverare poſſimus.* Ambroſius lib.1. *de Pænit.* cap. 12. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene exit; non præſumo; non vos fallo; Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam ſecurus hinc exit: agens pænitentiam & reconciliatus, cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit: agens pænitentiam ad ultimum & reconciliatus ſi ſecurus hinc exit; ego ſum ſecurus; unde ſecurus ſum, do ſecuritatem: unde non ſum ſecurus, Pænitentiam dare poſſum; ſecuritatem dare non poſſum.* Cæſarius Arelatenſis homil.43. & 44. *Quid tibi dicam, neſcio: dixi non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate ..... Vis te, frater, a dubio liberare? vis quod incertum eſt, evadere? Age pænitentiam dum ſanus es; ſi enim agis veram pænitentiam dum ſanus es, invenerit te noviſſimus dies, curre ut reconcilieris; ſi ſic agis ſecurus es: quare ſecurus es, vis dicam tibi? quia egiſti pænitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti: ecce dixi, quod ſecurus es: ſi autem tunc agere vis ipſam pænitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. ſent. cap.13.; & S. Bernardus lib. *de modo bene vivendi* cap.17. *Quando homo peccare potens pænitet, & vitam ſuam vivens ab omni crimine corrigit; ſine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem: qui autem male vivit, & in morte Pænitentiam agit, ſicut damnatio illius eſt incerta, & remiſſio illius eſt dubia. Qui ergo ſecurus cupit eſſe in morte de indulgentia, in ſanitate pænitentiam agat, & in ſanitate peccata ſua lugeat: igitur quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt.*

IV. Probatur Rationibus I. Qui perdit amicitiam Dei tenetur ſub præcepto procurare, & recuperare illam; ſed per peccatum amittitur amicitia Dei: ergo qui factus eſt peccator, tenetur ſub præcepto illam recuperare: atqui nequit recuperare illam niſi per pænitentiam: ergo qui peccat ſub præcepto tenetur agere Pænitentiam. II. Qui eſt debitor alicujus tenetur ſub præcepto ſolvere quiquid ſolvere contraxit ex debito: ſed homo per peccatum fit debitor Dei: ergo tenetur ſub præcepto ſolvere; atqui nequit ſolvere niſi per pænitentiam: ergo ſub præcepto tenetur agere pænitentiam. III. Quisquis peccat, quantum ex ſe eſt, lædit honorem Dei; ſed quicunque lædit honorem alterius tenetur ſub præcepto illum reſtituere ac reparare: ergo peccator tenetur ſub præcepto reſtituere ac reparare honorem Dei a ſe ipſo læſum; atqui hoc adimplere non poteſt, niſi per pænitentiam: ergo ſub præcepto tenetur agere pænitentiam. IV. Præceptum eſt in homine, ut acquirat gratiam habitualem ac charitatem, ſi aliquando eam amittat; ſed per peccatum amittitur gratia habitualis & charitas: ergo tenetur homo eam denuo acquirere; ſed eam denuo acquirere non poteſt, niſi per pænitentiam: ergo ſub præcepto homo peccator ad pænitentiam obligatur.

Opponunt I. Si eſſet præceptum de agenda pænitentia, nullus homo damnari poſſet propter unum ſolum peccatum mortale; ſed hoc eſt falſum: ergo & unde ſequitur. Probatur ſequela. Supponamus, quod homo poſt commiſſum mor-

mortale, moriatur; homo iſte damnatur, non propter unum peccatum mortale, ſed propter duo; propter primum ſcilicet, quia illud commiſit, propter ſecundum quoque, quia omiſit de illo agere Pænitentiam; atqui hoc verificatur in quocunque peccato mortali, quod committitur: ergo ſemper ſequitur, quod nullus homo poſſet propter unum ſolum peccatum mortale damnari II. Si homo non ageret pænitentiam de peccatis commiſſis, utique damnaretur; ſed non damnaretur, quia non feciſſet pænitentiam, ſed quia perpatraſet peccata: ergo non eſt peccatum ſpeciale non agere pænitentiam: ergo non eſt præceptum de agenda pænitentia. Probatur minor. Chriſtus quando judicabit impios in Judicio, & eos damnabit, non objiciet illis, quia pænitentiam non egerunt, ſed quia peccaverunt: ergo non damnabit illos ob pænitentiæ omiſſionem, ſed ob peccatorũ potius cõmiſſionem. III. Per Pænitentiam nequit reſtitui honor Dei læſus per peccatum: ergo nequit eſſe præceptum de facienda Pænitentia. Conſequentia ſequitur, quia nequit eſſe præceptum de re impoſſibili. Antecedens probatur, quia, quæcunque ſit Pænitentia, nullo modo obtinere poteſt divini honoris læſi reparationem. IV. Ex una parte non eſt aſſignabile tempus, quo hujuſmodi præceptum agendi pænitentiam obliget; ex altera parte nequit eſſe præceptum vagum & indeterminatum abſque temporis deſignatione, quo illud adimplere teneamur: ergo vel præceptum Pænitentiæ nullum eſt; vel ſi eſt, ad purum nihil reducitur, quia redditur omnino vagum, incertum, ac indeterminatum.

Reſpondemus ad I., poſſe dari caſum, quod homo peccans damnetur ob ſolum mortale peccatum, quod committit, & non per Pænitentiæ omiſſionem; quando ſcilicet agendi Pænitentiam tempus non habet, vel quia in ipſa actione peccaminoſa moritur, vel quia in eadem rationis uſum amittit. Cæterum nullum eſſet inconveniens, ſi diceretur, quod nullus homo poſſet per ſolam peccati mortalis commiſſionem damnari, abſque altero peccato mortali, quod committeret per Pænitentiæ omiſſionem; & ſi damnaretur per utrunque, magis commendaretur Juſtitia Dei erga illum, ac ſimul reprobaretur ipſius pervicacia contra Deum.

Ad II. dicitur, quod Chriſtus in judicio objurgabit quidem peccatores propter omnia peccata mortalia, quæ commiſerint; ſed hæc non omnia exprimuntur in Evangelio: aliter enim ſequeretur; quia multa ſunt alia peccata omiſſionis, propter quæ damnabitur homo, & quæ in Evangelio non exprimuntur; ſequeretur nimirum, quod vel hæc non eſſent peccata, vel non eſſet præceptum de illis vitandis, quorum; neutrum eſt dicendum.

Ad III. Quanvis per Pænitentiam perfecte & integre obtineri non poſſit divini honoris læſi reparatio, quia tamen homo per ipſam facit, quantum ex ſe facere poteſt, ut illum reparet, & Deus maxime infinitam ſuam exercet miſericordiam, reparationem illam acceptando: inde eſt, quod per pænitentiam divini honoris læſi reparatio, quantum homini licet, obtinetur; & quidem ſi argumentum valeret, nulla eſſent noſtra opera meritoria, nulla eſſent noſtra opera ſatisfactoria; quia ex ſe ipſis nullam habent æqualitatem cum Deo offenſo. Quia tamen divina benignitas & miſericordia ſupplent, quod homo facere non poteſt, inde eſt, quod homo obligatur ad faciendum illud omne, quod poteſt facere, & de reliquo ponere in Deo ſpem ſuam, ut perficiat ipſe, quod deficit.

Ad IV. Reſponſio patebit ex ſequenti Concluſione.

Dicimus II. Præceptum Pænitentiæ non obligare Peccatorem ſtatim, ac commiſſum eſt peccatum; ſed obligare pro prima opportunitate, pro certo ac determinato tempore, maxime in mortis articulo.

I. Probatur Concluſio. Si præceptum Pænitentiæ obligaret peccatorem ſtatim, ac peccatum commiſit, ſequeretur, quod in ſingulis momentis, in quibus pænitentiam non ageret, mortaliter peccaret; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud, unde ſequitur. Sequela eſt evidens, quia in ſingulis momentis traſgrederetur præceptum de Pænitentia facienda ſtatim ac cõmiſit peccatum: ergo mortaliter peccaret. Minor pariter negari non poteſt, quia praxis Eccleſiæ eſt, nec Confeſſarios interrogare pænitentes de tempore, quo commi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum. Porro nec ante adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt adventum illius cuiquam ante baptiſmum, ut nuper dictum eſt.

III. probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 4. *Audaciam exiſtimo de bono divini præcepti diſputare: neque enim quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quam utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcepit; at ille non præcepit tantum, ſed etiam hortatur. Invitat præmio ſalutem; jurans etiam Ezechielis 33. Vivo dicens, cupit credi ſibi; o beatos vos, quorum cauſa Deus jurat! O miſeros, ſi nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat; quod etiam humano more, ſub dejeratione teſtatur, ſumma ubique gravitate & aggredi, & cuſtodire debemus, ut in aſſeveratione divinæ gratiæ permanentes in fructu quoque ejus, & emolumento proinde perſeverare poſſimus.* Ambroſius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 12. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quia bene exit; non præſumo; non vos fallo; Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit: baptizatus ad horam ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam & reconciliatus, cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus ſi ſecurus hinc exit: ego ſum ſecurus; unde ſecurus ſum, do ſecuritatem: unde non ſum ſecurus, Pœnitentiam dare poſſum; ſecuritatem dare non poſſum.* Cæſarius Arelatenſis homil. 43. & 44. *Quid tibi dicam, neſcio: dixit non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate ..... Vis te, frater, a dubio liberare? vis quod incertum eſt, recedere? Age pœnitentiam dum ſanus es; ſi enim agis veram pœnitentiam dum ſanus es, invenerit te noviſſimus dies, currito ut reconcilieris; ſi ſic agis ſecurus es: quare ſecurus es, vis dicam tibi? quia egiſti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti: ecce dixi, quod ſecurus es: ſi autem tunc agere vis ipſam pœnitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. ſent. cap. 13.; & S. Bernardus lib. *de modo bene vivendi* cap. 17. *Quando homo peccare potens pœnitet, & vitam ſuam vivens ab omni crimine corrigit; ſine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam perveniet requiem: qui autem male vivit, & in morte Pœnitentiam agit, ſicut damnatio illius eſt incerta, & remiſſio illius eſt dubia. Qui ergo ſecurus cupit eſſe in morte de indulgentia, in ſanitate pœnitentiam agat, & in ſanitate peccata ſua lugeat: igitur quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt.*

IV. Probatur Rationibus I. Qui perdit amicitiam Dei tenetur ſub præcepto procurare, & recuperare illam; ſed per peccatum amittitur amicitia Dei: ergo qui factus eſt peccator, tenetur ſub præcepto illam recuperare: atqui nequit recuperare illam niſi per pœnitentiam: ergo qui peccat ſub præcepto tenetur agere Pœnitentiam. II. Qui eſt debitor alicujus tenetur ſub præcepto ſolvere quiquid ſolvere contraxit ex debito: ſed homo per peccatum fit debitor Dei: ergo tenetur ſub præcepto ſolvere; atqui nequit ſolvere niſi per pœnitentiam: ergo ſub præcepto tenetur agere pœnitentiam. III. Quiſquis peccat, quantum ex ſe eſt, lædit honorem Dei; ſed quicunque lædit honorem alterius tenetur ſub præcepto illum reſtituere ac reparare: ergo peccator tenetur ſub præcepto reſtituere ac reparare honorem Dei a ſe ipſo læſum; atqui hoc adimplere non poteſt, niſi per pœnitentiam: ergo ſub præcepto tenetur agere pœnitentiam. IV. Præceptum eſt in homine, ut acquirat gratiam habitualem ac charitatem, ſi aliquando eam amittat; ſed per peccatum amittitur gratia habitualis & charitas: ergo tenetur homo eam denuo acquirere; ſed eam denuo acquirere non poteſt, niſi per pœnitentiam: ergo ſub præcepto homo peccator ad pœnitentiam obligatur.

Opponunt I. Si eſſet præceptum de agenda pœnitentia, nullus homo damnari poſſet propter unum ſolum peccatum mortale; ſed hoc eſt falſum: ergo & unde ſequitur. Probatur ſequela. Supponamus, quod homo poſt commiſſum

mor-

mortale, moriatur; homo iſte damnatur, non propter unum peccatum mortale, ſed propter duo; propter primum ſcilicet, quia illud commiſit, propter ſecundum quoque, quia omiſit de illo agere Pænitentiam; atqui hoc verificatur in quocunque peccato mortali, quod committitur: ergo ſemper ſequitur, quod nullus homo poſſet propter unum ſolum peccatum mortale damnari II. Si homo non ageret pænitentiam de peccatis commiſſis, utique damnaretur; ſed non damnaretur, quia non feciſſet pænitentiam, ſed quia perpatraſet peccata: ergo non eſt peccatum ſpeciale non agere pænitentiam: ergo non eſt præceptum de agenda pænitentia. Probatur minor. Chriſtus quando judicabit impios in Judicio, & eos damnabit, non objiciet illis, quia pænitentiam non egerunt, ſed quia peccaverunt: ergo non damnabit illos ob pænitentiæ omiſſionem, ſed ob peccatorũ potius cõmiſſionem. III. Per Pænitentiam nequit reſtitui honor Dei læſus per peccatum: ergo nequit eſſe præceptum de facienda Pænitentia. Conſequentia ſequitur, quia nequit eſſe præceptum de re impoſſibili. Antecedens probatur, quia, quæcunque ſit Pænitentia, nullo modo obtinere poteſt divini honoris læſi reparationem. IV. Ex una parte non eſt aſſignabile tempus, quo hujuſmodi præceptum agendi pænitentiam obliget; ex altera parte nequit eſſe præceptum vagum & indeterminatum abſque temporis deſignatione, quo illud adimplere teneamur: ergo vel præceptum Pænitentiæ nullum eſt; vel ſi eſt, ad purum nihil reducitur, quia redditur omnino vagum, incertum, ac indeterminatum.

Reſpondemus ad I., poſſe dari caſum, quod homo peccans damnetur ob ſolum mortale peccatum, quod committit, & non per Pænitentiæ omiſſionem; quando ſcilicet agendi Pænitentiam tempus non habet, vel quia in ipſa actione peccaminoſa moritur, vel quia in eadem rationis uſum amittit. Cæterum nullum eſſet inconveniens, ſi diceretur, quod nullus homo poſſet per ſolam peccati mortalis commiſſionem damnari, abſque altero peccato mortali, quod committeret per Pænitentiæ omiſſionem; & ſi damnaretur per utrunque, magis commendaretur Juſtitia Dei erga illum, ac ſimul reprobaretur ipſius pervicacia contra Deum.

Ad II. dicitur, quod Chriſtus in judicio objurgabit quidem peccatores propter omnia peccata mortalia, quæ commiſerint; ſed hæc non omnia exprimuntur in Evangelio; aliter enim ſequeretur; quia multa ſunt alia peccata omiſſionis, propter quæ damnabitur homo, & quæ in Evangelio non exprimuntur; ſequeretur nimirum, quod vel hæc non eſſent peccata, vel non eſſet præceptum de illis vitandis, quorum neutrum eſt dicendum.

Ad III. Quanvis per Pænitentiam perfecte & integre obtineri non poſſit divini honoris læſi reparatio, quia tamen homo per ipſam facit, quantum ex ſe facere poteſt, ut illum reparet, & Deus maxime infinitam ſuam exercet miſericordiam, reparationem illam acceptando: inde eſt, quod per pænitentiam divini honoris læſi reparatio, quantum homini licet, obtinetur; & quidem ſi argumentum valeret, nulla eſſent noſtra opera meritoria, nulla eſſent noſtra opera ſatisfactoria; quia ex ſe ipſis nullam habent æqualitatem cum Deo offenſo. Quia tamen divina benignitas & miſericordia ſupplent, quod homo facere non poteſt, inde eſt, quod homo obligatur ad faciendum illud omne, quod poteſt facere, & de reliquo ponere in Deo ſpem ſuam, ut perficiat ipſe, quod deficit.

Ad IV. Reſponſio patebit ex ſequenti Concluſione.

Dicimus II. Præceptum Pænitentiæ non obligare Peccatorem ſtatim, ac commiſſum eſt peccatum; ſed obligare pro prima opportunitate, pro certo ac determinato tempore, maxime in mortis articulo.

I. Probatur Concluſio. Si præceptum Pænitentiæ obligaret peccatorem ſtatim, ac peccatum commiſit, ſequeretur, quod in ſingulis momentis, in quibus pænitentiam non ageret, mortaliter peccaret; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud, unde ſequitur. Sequela eſt evidens, quia in ſingulis momentis traſgrederetur præceptum de Pænitentia facienda ſtatim ac cõmiſit peccatum: ergo mortaliter peccaret. Minor pariter negari non poteſt, quia praxis Eccleſiæ eſt, nec Confeſſarios interrogare pænitentes de tempore, quo commi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

miſerunt peccatum , nec pænitentes illius omiſſionis confiteri.

II. Probatur. Præceptum agendi pænitentiam non eſt præceptum negativum , ſed affirmativum : ergo non obligat pro omni tempore , ſed tantum pro tempore determinato . Antecedeus eſt certum ; quia eſt præceptum eliciendi actus virtutis Pænitentiæ , ſicuti ſunt alia præcepta affirmativa, eliciendi ſcilicet actus amoris Dei , amoris Proximi &c. Conſequentia optime infertur ex eadem paritate aliorum præceptorum, quæ ſunt affirmativa; nam ſicut illa non obligant pro omni tempore , ſed pro tempore ab Eccleſia determinato ; ita etiam hæc .

III. Probatur . Ideo Adverſarij requirunt ſollicitam pænitentiam ſtatim ac commiſſum eſt peccatum , ne peccator æternæ mortis periculo ſe exponat , ſi infra tempus peccati commiſſi, & Pænitentię moreretur; atqui hæc ratio nimis probat : ergo nonest ſubſiſtens . Major eſt doctrina Adverſariorum , & præcipue Alexandri de Ales 4. par. q. 77. membro 4. art. 2. Minor Probatur , tum quia quilibet homo eſſet ſemper anxius de ſua ſalute , quia ſemper dubitaret de aliquo gravi peccato a ſe commiſſo , tum etiam quia tale periculum in quovis vitæ momento inſtaret, ac proinde quodvis vitæ momentum eſſet pro peccatore novi peccati mortalis commiſſio , quod eſſet onus nimis grave , nec a Chriſto , nec ab Eccleſia nobis impoſitum .

Obſtant I. Deus in Scripturis præcipit peccatoribus, ne pænitentiam differant: ergo non eſt protrahenda pænitentia ſine peccato . Antecedens probatur Iſaiæ 65. *Omnes in cæde corruetis , pro eo quod vocavi , & non reſpondiſtis ; locutus ſum , & non audiviſtis* . Et Jerem. 8. *Confeſſi ſunt , quia abominationem fecerunt ; quinimmo confuſione non ſunt confuſi ; & erubeſcere neſcierunt : idcirco cadent inter corruentes , & in tempore viſitationis ſuæ corruent ; dicit Dominus* . II. Deus inſuper graviter peccatores comminatur , ſi Pænitentiam cito non agant : ergo pænitentiam cito non agere eſt novum peccatum committere . Antecedens probatur Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum ; & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius , & in tempore vindictæ diſperdet Te .* Et Apocalypſ. 2. *Memor eſto unde excideris , & age pænitentiam , & prima opera fac; ſin autem venio tibi , & movebo candelabrum tuum de loco ſuo , niſi Pænitentiam egeris* . III. Deus quoque graviter punit, & damnat peccatores , qui pænitentiam procraſtinant ; ſed hoc non faceret , niſi pænitentiam procraſtinando graviter peccarent : ergo &c. Antecedens continetur in illo Proverbiorum 1. *Vocavi vos, & renuiſtis , extendi manum meam , & non fuit , qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis : ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo; cum id , quod timebatis, acciderit* . IV. Auguſtinus non approbat, uti veram & ſinceram, Pænitentiam, quæ eſt ſera , ſed illam dicit eſſe valde dubiam : ergo ut ſit vera & ſincera , & non dubia; non debet eſſe ſera, ſed ſollicita . Antecedens probatur aſſerendo verba Auguſtini lib. 50. homiliarum homil. 42. *Agens Pænitentiam & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens ſecurus hinc exit: agens pænitentiam ad ultimum reconciliatus , ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus, unde ſecurus do ſecuritatem, unde non ſum ſecurus, non do ſecuritatem: Pænitentiam dare poſſum , ſecuritatem dare non poſſum &c.* V . Periculum peccati mortalis eſt peccatum mortale; ſed quando peccator non pænitet eſt in periculo peccati mortalis ; eſt enim proximus, ut illud iterū committat : ergo eſt peccatum mortale . Minor eſt doctrina Gregoril Magni homil. 11. in Ezechielem . *Peccatum , quod per pænitentiam citius non deletur, aut peccatum eſt , aut cauſa peccati , ſimul & pæna peccati : omne enim , quod prius committitur, peccatum eſt ; ſed ſi citius pænitendo non tergitur , juſto judicio Omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere , ut qui flendo & corrigendo noluit mundare , quod fecit , peccatum incipiat peccato cumulare : peccatum ergo , quod Penisentiæ lamento non diluitur , peccatum ſimul eſt & cauſa , peccati ; quia ex illo oritur ; unde adhuc peccatoris animus altius obligetur* . VI. Infirmus homo tenetur ſtatim infirmitati ſuæ remedia adhibere, & hoc quidem ex præcepto naturali , quod continetur in præcepto illo Decalogi : *non occides* : ergo multo magis homo , qui eſt mortuus in anima, ratione lethalis pec-

peccati tenetur ſibi ipſi conſulere ſtatim per pænitentiam.

Reſpondemus ad I. Si dilatio Pænitentiæ ſit cum affectu actuali erga peccatum præteritum, tunc certe damnabilis eſt, & a Deo prohibetur ſub novi peccati mortalis interminatione; & hoc pacto intelliguntur verba Scripturarum in objectione allata; Iſaias enim immediate ſubdit: *& faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis*. Et pariter Jeremias: *omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.*

Ad II. Vel dicitur, quod illa verba Scripturarum non contineant præceptum, ſed conſilium; vel dicitur, quod ſi contineant præceptum, illud intelligi debet de tempore opportuno, non de quovis temporis momento, quod poſt peccatum commiſſum fluit; unde S. Petrus epiſt. 2, cap. 3. docet: *non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos &c.* Unde infertur, quod non dicitur tardare ille, qui non facit, quod poteſt, ſed qui non facit illud eo tempore, quo faciendum eſt.

Ad III. dicitur, quod allatæ Scripturæ intelliguntur de peccatoribus, qui in peccato actuali perſeverant; unde non damnatur ſola Pænitentiæ dilatio, ſed peccatorum iteratio; & propterea antecedenter ad allata verba Proverbior. 1. præmittuntur hæc alia: *Uſquequo parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam?* Similiter intelligendus eſt Apoſtolus ad Rom. 2. cum ait. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad Pænitentiam Te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impænitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.* Præmiſerat autem. *Exiſtimas autem hoc, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei... qui reddit unicuique ſecundum opera ejus, iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem, quærunt vitam æternam; iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.*

Ad IV. Auguſtinus arguit illos, qui pænitentiam prorogent nimium, & quaſi uſque ad mortem: unde dicit ſerm. 55. de tempore: *Pænitentia, quæ ab infirma petitur, infirma eſt; quæ a moriente petitur, timeo, ne & ipſa moriatur.* Et ſerm. 1. 20. pariter de tempore. *Præveniendus eſt dies, qui prævenire conſuevit: ipſe ſe illudit, & de morte ſua ludit; qui cogitat, quod poteſt extremi temporis indulgentia ſubvenire. Inſanum eſt hoc: primum quia periculoſiſſima eſt in ultimum diem promiſſa ſecuritas; deinde ſtultiſſimum eſt ſi ea cauſa, qua de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deditis committatur extremis; odibile eſt apud Deum, quando homo ſub fiducia Pænitentiæ in ſenectutem reſervatæ liberius peccat.* Et Eucherius Lugdunenſis. *Stultiſſimum eſt, ut cauſa qua de neceſſitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.*

Ad V. Argumentum habet locum in periculo, quod dicitur imminens & proximum; non vero in periculo, quod dicitur remotum; & ſic qui agnoſcit, quod ſibi non immineat periculum proximum ulterioris lapſus ob pænitentiæ dilationem, ſi pænitentiam differat, graviter non peccat. Gregorius Magnus monet, ne pænitentia diu differatur, at non dicit, illam eſſe ſtatim neceſſariam; quod colligitur ex verbis ejuſdem immediate præcedentibus: *diſtricta ſunt Omnipotentis Dei judicia, & qui peccatorem diu expectat, ut redeat, non redeunti atque contemnenti ponit adhuc, ubi gravius impingat.*

Ad VI. dicitur, quod etiam in infirmitate corporali & periculoſa tenetur infirmus homo adhibere ſtatim medicamenta, ſi urgeat neceſſitas, & periculum ſit in mora; non ſic vero ſi neceſſitas non urgeat. Ita etiam dicimus, quod non ſemper homini exiſtenti in mortali inſtat periculum vel relapſus, vel damnationis; ſi tamen aliquando urgeat, tenetur utique ſub mortali pænitentiam agere. Unde

Dicimus III. Præceptum Pænitentiæ obligare per ſe ſub mortali, ſi immineat periculum mortis; per accidens vero in aliis plurimis periculis, & occaſionibus: ſemper tamen eſſe periculoſum pænitentiam uſque ad mortem prorogare.

Prima Concluſionis pars probatur I. Urgente gravi neceſſitate tenetur quicunque peccator ſe reconciliare Deo per pænitentiam; ſed nulla major eſt

neceſ-

neceſſitas, quam urgens periculū mortis:ergo,ſi urgeat periculum mortis,tenetur homo agere Pænitentiam. Major eſt. doctrina poſita & probata in præcedenti Concluſione; Minor eſt de ſe patens: conſequentia ſequitur.

II. Probatur. Auguſtinus & conſilio & exemplo in mortis articulo docuit quoſcunque, ut ſine pænitentia nollent ex hac vita migrare. Dictum enim ejus memorabile fuit; quod refert Poſſidius in ejus vita: *neminem, & ſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, ut ſine pænitentia migraret e vita*. Exemplum pariter dedit, quia inſtante ſibi morte Pſalmos Davidis, qui dicuntur Pænitentiales, in conſpectu poſitos habuit, & lacrymis plurimis recitavit.

Secunda Concluſionis pars; quod ſcilicet præceptum Pænitentiæ obbliget per accidens in multis aliis occaſionibus & periculis; illorum enumeratione probatur. Primum periculum eſt, ſi peccator debeat vel conficere, vel ſuſcipere Sacramenta; tunc enim debet per pænitentiam ſibi conſulere, ne ulterioris peccati, miniſtrando, vel ſuſcipiendo illa abſque pænitentia, reus efficiatur. Secundum periculum eſt, quando urget gravis tentatio, & homo quaſi videt ſe proximum, ut incidat in peccatum; tunc enim debet ſe per pænitentiam fortificare, & a Deo novas vires implorare ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus. Tertium periculum eſt, quando adeſt publica calamitas, vel peſtis, vel terræmotus, vel famis, & publica agitur pænitentia; tunc enim quilibet de populo tenetur Deum per pænitentiam ſuam placare.

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet valde periculoſum ſit pænitentiam ad vitæ extremū prorogare I. probatur ex Patribus. Ambroſius lib. 2. *de Pænitent.* cap. 12. *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit; ſed non præſumimus, quia bene exit; non præſumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens, ſecurus hinc exit: agens Pænitentiam & reconciliatus, cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit: agens pænitentiam ad ultimum & reconciliatus; ſi ſecurus hinc exit, ſum ſecurus, unde ſecurus ſum do ſecuritatem, unde non ſum ſecurus Pænitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum.* Cæſarius Arelatenſis homil. 44. & 45. primo noluit determinare cujus valoris ſit pænitentia in extremis vitæ peracta: *quid tibi dicam neſcio: dixi non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate*; ſtatim ſubdit: *vis te, Frater, a dubie liberare? Vis, quod incertum eſt, evadere: age pænitentiam, dum ſanus es; ſi enim agis veram Pænitentiam, dum ſanus es, invenerit te noviſſimus dies, currite ut reconcilieris; ſi ſic agis, ſecurus es; quare ſecurus es; vis dicam tibi; quia egiſti pænitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti. Ecce dixi quare ſecurus es: ſi autem tunc agere vis ipſam pænitentiam, quando peccare jam non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Eligius hom. 6. *Cum omnes homines pænitentiam velint in fine ſuæ vitæ accipere, vix paucos videmus, eam, ſecundum quod deſiderant, adepiſci*. Salvianus Epiſt. ad Eccleſiam Catholicam. *Non quidem alli vitiis carnalibus implicato, ſufficere ad vitam æternam putem, ſi cum uſque ad mortem in flagitiis conſueverit, in abitu bene cuncta diſponat, niſi antea & peccatis renunciaverit . . . . . alioqui peccare non deſinit, quem in extremis ſitum, recedere a criminibus ſola tantum fecit impoſſibilitas, non voluntas; qui enim a malis actibus tantum in morte diſcedit, non relinquit ſcelera; ſed relinquitur a ſceleribus, quia quantum ad animum, nec dum deſiit, qui adhuc peccare velit, ſi poſſit.* Et poſt pauca ſubdit. *Quod ſi aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit injuria, ut valetudinis labem uſque ad dies ultimos trahant, quid dicam neſcio; quid promittam penitus ignoro: revocare ab inquiſitione ultimi remedii periclitantes, durum & impium; ſpondere autem aliquid in tam ſera curatione, temerariam; ſed melius tamen eſt abſque dubio, quanvis diuturna paralyſi, aridas manus, aliquo tamen niſu, ad cælum erigi, quam lethali penitus deſperatione diſſolvi; melius eſt nihil inexpertum relinquere, quam morientem non curare; maxime quia neſcio, an in extremis aliquod tentare medicina ſit; certe nihil tentare perditio.* Bernardus lib. *de modo bene vivendi* cap. 17. *Quando homo peccare potens pænitet, & vitam ſuam vivens ab omni crimine corrigit, ſine dubitatione, quando ei mors advenerit, ad æternam*

per-

pervcniet requiem; qui autem male vivit, & in morte pænitentiam agit, ſicut damnatio illius eſt incerta, & remiſſio illius eſt dubia. Qui ergo ſecurus cupit eſſe in morte de indulgentia, in ſanitate pænitentiam agat, & in ſanitate peccata ſua lugeat: igitur quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt.

II. probatur Rationibus. I. Tenemur animæ noſtræ conſulere, ſi prævideatur nobis imminere infirmitatem, quæ nobis impediat æternæ ſalutis adeptionem; ſed Pænitentiæ tempus prorogando ad extremum vitæ poſſibilis eſt infirmitas, immo fortaſſis erit etiam imminens, quæ nos impediat etiam ab æternæ vitæ cogitatione: ergo &c. Unde Auguſtinus apud S. Raymundum hęc ſcribebat; immo etiam Hieronymus apud eundem lib. 3. *de Pænitentia* §. 23. *In extrema ægritudine vix poteſt aliquis pænitere, vel etiam cogitare: ait enim Hieronymus: cum ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare, quam quod ſentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi eſt vis doloris: multa enim (ut ait Auguſtinus) occurrunt tunc impedimenta: nam morbus urget, pæna terret, filii, quos illicite dilexit, uxor, & mundus eum ad ſe vocant:.... Forte quis iterum dicet: vir, qui toto tempore, quo vixit, male fecit, in mortis articulo accepta Pænitentia a Deo veniam obtinebit. Heu quam vana ſuſpicio, & falſa meditatio! vix de centum millibus hominum, quorum mala ſemper fuit vita, meretur a Deo habere indulgentiam unus. Vir totus in peccatis genitus & nutritus, qui nec Deum vidit, nec agnovit, nec de eo audire voluit, nec ſe peccaſſe cognoſcit, nec quid Pænitentia ſit, niſi forte dormiendo novit, totus adhuc ſæcularibus innodatus negotiis, quem anguſtia premit filiorum, quos deſerit, quem infirmitas conterit, quem dolor divitiarum, & temporalium bonorum concutit, cum eis non poſſe frui amplius ſecernit; quam acceptam Deo accipit pænitentiam, quam non acciperet, ſi adhuc ſe poſſe ſanari crederet; certe vere concludam, qui dum ſanus eſt, & juvenis, Deum offendere non formidat, in morte non meretur divinam obtinere indulgentiã.* II. Prorogando Pænitentiæ tempus uſque ad extremum vitæ exponimus nos periculo probabili damnationis æternæ; ſed hoc periculum ſub mortali tenemur omni modo vitare, ac præcavere: ergo ratione hujus periculi non poſſumus pænitentiam ad extremum vitæ prorogare. III. In mortis articulo hominem occupat timor mortis, timor judicii, timor gehennæ; qui quidem timor non permittit ei tempus, ut ſerio & vere de Pænitentia cogitet: ergo tenetur ſub mortali ab hoc timore ſe liberare, & illum per pænitentiam prævenire. IV. Per peccatum, quod habitu committitur, & per pænitentiam, quæ procraſtinatur, non deletur, contrahit homo habitum in peccando, qui quidem habitus non ſolum eſt difficillimum ut a peccatore removeatur, ſed etiam facillimum eſt, ut cum ipſo moriatur, & impænitens, adeoque igni æterno tradendus, ad Dei tribunal perveniat: ergo ne huic diſcrimini ſe exponat, tenetur per pænitentiam ante mortis periculum ſaluti ſuæ conſulere.

Objiciunt I. Multa habemus exempla illorum, qui pænitentiæ tempus ad mortem uſque prorogarunt, & nihilominus ſalvi facti ſunt: ergo non eſt periculoſũ, immo nec etiam eſt peccaminoſum pænitentiam ad mortem uſque prorogare. II. Deus ſemper eſt paratus recipere peccatorẽ, qui ad ipſum convertitur: ergo etiam in mortis periculo eſt paratus: ergo non eſt periculoſum tempore illo agere pænitentiam. III. Quia periculum mortis quotidie nobis imminet, & in quocunque momento poteſt Deus nobis vitam adimere; ex hoc ſequeretur, quod in omni temporis momento deberemus nos pænitentiam agere; ſed hæc eſſet nimis dura obligatio: ergo &c. IV. Dei miſericordia ſemper eſt eadem, hoc eſt ſemper interminabilis, & ſemper infinita: ergo non eſt a nobis reſtringenda legibus; ita ut illam unus conſequatur, & alius non, modo nobis arrideat, & deinceps non.

Reſpondemus ad I., quod, quanvis aliqua dentur exempla, non tamen multa, illorum, qui pænitentiam procraſtinarunt, & nihilominus ſalvi facti ſunt, non inde tamen poteſt quis ſibi rationabiliter blandiri, ut in paucorum numero inveniatur, quin potius timere debet, ne ſit de numero multorum, qui pænitentiam procraſtinarunt, & damnati ſunt. Res enim eſt de ſalu-

tis æternæ, & de æternæ pariter perditionis diſcrimine, circa quod homo omnem ſuam navare debet operam, ut ſe ipſum in tuto ponat, & non periculorum incertitudini ſe committat.

Ad II. dicitur, quod, ſi Deus velit, certum eſt, quod ſemper poteſt eſſe paratus ad peccatorem recipiendum; at non ſemper vult; tum in pœnam hominum, qui pluries ab eo vocati, eidem reſpondere noluerunt; tum ob ſcelerum immanitatem, per quam ſemper Peccatores duriores fiunt, & Deus magis contra illos iraſcitur; tum denique ob delictorum multitudinem, ob peccandi ſecuritatem, & quod magis eſt dolendum, ob peccandi facilitatem, quia Deus paratus eſt, ut quovis tempore peccatores recipiat, & amplectatur. Quam quidem peccandi confidentiam Deus magnopere odit, & infenſiſſime adverſatur. Unde fit, quod aliquando nec peccatorem vocet, nec peccatori vocanti ipſum reſpondeat; ipſe enim eſt, qui peccatori minatur: *vocavi, & renuiſti, ego autem in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo te.*

Ad III. Suppoſito peccato mortali, in quod incidat homo, ſequela eſt certiſſima, & negatur omnino minor, quod ſcilicet hæc obligatio ſit nimis aſpera & dura. Quod quidem ex hactenus dictis plane clareſcit.

Ad IV. dicitur, quod quanvis Dei miſericordia ſit infinita, actus tamen infinitæ miſericordiæ non debent eſſe infiniti, ſed poſſunt eſſe finiti, & limitati, ſecundum Dei voluntatem. Quod eſt commune apud Patres, & apud Theologos, immo & ex ipſius divini Eloquii verbis fit manifeſtum, ubi legitur, quod Deus dixerit: *ſuper tribus ſceleribus Damaſci ſe miſericordem futurum; ſuper quartum autem non futurum.*

DISSERTATIO CCCLVIII.

De Pœnitentia, ut eſt Sacramentum. Quænam ſit ejus eſſentia, & quæ bona & ipſius idonea definitio? Quænam Scholaſticorum opiniones circa ipſam? Et quinam Hæreticorum errores contra eandem?

UT PLENE agnoſcamus, quid diſcriminis intercedat inter Pœnitentiam, ut eſt virtus, & inter Pœnitentiam, ut eſt Sacramentum, ultra ea, quæ in ſuperioribus ſtricto calamo ſcripſimus, ea hic adnectere operæ pretium cenſemus, quæ fuſiori atramento a celeberrimo Eſtio ſcripta ſunt. Hinc enim fiet, ut quæ poſt hunc commendabilem ſatis Auctorem ſcribemus, omnibus Legentibus accepta reddantur; & rem, de qua agimus, omni modo clariori quacunque ex parte exponant, atque commendent. Hæc igitur Eſtius in lib. 4. Sentent. diſt. 14. *de Sacram. Pœnitentiæ* §. 2. ſcribit. „ Pro majori intelligentia eorum, quæ de Sacramento Pœnitentiæ dicenda ſunt, conſiderandum, quid interſit inter Pœnitentiam, quam nobis frequentiſſime commendant utriuſque Scripturæ paginæ, & eam, quæ inter ſeptem Sacramenta medio loco numeratur. Illa enim Pœnitentia virtus eſt, vel actus virtutis, hæc autem Sacramentum novæ legis inſtitutum pro reparatione Lapſorum poſt baptiſmum, plus aliquid requirens, quam qualencunque illius virtutis actum. Hæc etiam a baptizandis exigitur, hæc a ſolis baptiza-

,, zatis. Unde Patres Tridentini ſeſſ.6.
,, cap.14.: *docendum eſt*, inquiunt, *Chri-*
,, *ſtiani hominis pænitentiam poſt lapſum*
,, *multo aliam eſſe a baptiſmali, eaque con-*
,, *tineri non moda ceſſationem a peccatis,*
,, *& eorum deteſtationem, aut cor contri-*
,, *tum & humiliatum, verum etiam eorun-*
,, *dem ſacramentalem confeſſionem, & ſa-*
,, *tisfactionem per jejunia &c.* Deinde ſe-
,, quitur. *De qua pænitentia ſcriptum eſt:*
,, *memor eſto, unde excideris, age Pæni-*
,, *tentiam, & prima opera fac*. Apocalyp.
,, 2. Et iterum. *Quæ ſecundum Deum tri-*
,, *ſtitia eſt pænitentiam in ſalutem ſtabilem*
,, *operatur.* 2. Corinth.7. Et rurſus: *Pæni-*
,, *tentiam agite, & facite fructus dignos*
,, *Pænitentiæ*. Matth.3. & 4., & Lucæ 3.
,, Quod poſtremum Scripturæ teſtimo-
,, nium, non ideo putandum eſt non ſer-
,, vire propoſito, quia verba illa non ad
,, baptizatos dicta ſunt. Ad eos quippe
,, dicebantur, qui circumciſionem, quæ
,, populo Judaico fuit inſtar baptiſmi,
,, ſecundum legem acceperant, & poſtea
,, in gravia peccata fuerant prolapſi.
,, Quibus proinde non qualiscunque
,, pænitentia, ſed ea, quæ merito ab om-
,, nibus Relapſis exigitur, erat prædican-
,, da. Rurſum ſeſſ. 14. cap.1. traditur
,, idem diſcrimen his verbis. *Fuit qui-*
,, *dem Pænitentia univerſis hominibus, qui*
,, *ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent;*
,, *quovis tempore ad gratiam & juſtitiam*
,, *aſſequendam neceſſaria; illis etiam, qui*
,, *baptiſmi Sacramento ablui petiviſſent, ut*
,, *perverſitate abjecta & emendata tantam*
,, *Dei offenſionem cum peccati odio, & pio*
,, *animi dolore deteſtarentur*; deinde com-
,, memoratis aliquot Scripturæ teſtimo-
,, niis ſequitur. *Porro nec ante adven-*
,, *tum Chriſti Pænitentiæ erat Sacra-*
,, *mentum, nec eſt poſt adventum illius*
,, *cuiquam ante baptiſmum*. Sic ibi. Eo-
,, dem pertinet, quod cap. 4. ejusdem
,, ſeſſionis dicitur, contritionis motum
,, quovis tempore ad impetrandam ve-
,, niam peccatorum fuiſſe neceſſarium.
,, Idem diſcrimen ex definitionibus utri-
,, uſque comprobatur. Nam pænitentia,
,, ut virtutem, vel actum ejus ſignificat,
,, nihil aliud eſt, quam ſtudium placandi
,, Deum ſuper peccato commiſſo, ortum
,, ex amore Dei, & odio peccati; vel ut
,, magiſter in textu definivit: Pænitentia
,, eſt virtus, qua commiſſa mala cum
,, emendationis propoſito plangimus &
,, odimus, & plangenda ulterius com-
,, mittere nolumus, vel ut Patres Tri-
,, dentini Concilii, jam dicto loco con-
,, tritionem definierunt (eſt enim con-
,, tritio proprius pænitentiæ actus) hoc
,, modo: Pænitentia eſt animi dolor, ac
,, deteſtatio de peccato commiſſo, cum
,, propoſito non peccandi de cætero, vel
,, denique, ut Ambroſius, & Gregorius
,, a Magiſtro citati eam denotant, potius
,, quam deſcribunt: Pænitentia eſt ante-
,, acta peccata deflere, & flenda non
,, committere. Relapſorum vero pæni-
,, tentia præter hæc jam dicta plus ali-
,, quid includit, poteſtque hoc pacto de-
,, finiri. Pænitentia eſt triſtitia de pec-
,, cato cum ſtudio placandi Deum per
,, media ad hoc divinitus ordinata, nem-
,, pe per confeſſionem, & ſatisfactionem.
,, Sacramentum autem Pænitentiæ defi-
,, nitur: in quo Relapſis vere pænitenti-
,, bus & confeſſis cum propoſito ſaltem
,, ſatisfaciendi Sacerdotalis abſolutio a
,, peccatis impenditur. Ex quibus omni-
,, bus patet, pænitentiam in genere a pæ-
,, nitentia Relapſorum non aliter diffe-
,, re, quam ut genus a ſpecie. Ab utra-
,, que vero diſtingui ipſum Pænitentiæ
,, Sacramentum, tanquam ſignum ſenſi-
,, bile ad reconciliationem eorum, qui
,, poſt baptiſmum lapſi ſunt, inſtitutum,
,, ac proinde pænitentiam Relapſorum
,, tanquam neceſſariam diſpoſitionem
,, requirens. Convenit tamen, ut ait
,, Magiſter, pænitentia, ut eſt virtus, cum
,, Pænitentiæ Sacramento, quod utrun-
,, que eſt cauſſa ſalutis, & juſtificationis,
,, etſi differenter. Nam virtus pæniten-
,, tiæ, ſeu actus ejus, præparat & diſponit
,, ad juſtificationem. Sacramentum au-
,, tem ipſam juſtificationis gratiam con-
,, fert ex opere operato, more aliorum
,, Sacramentorum. Ad id vero quod di-
,, ſputant hoc loco Scholaſtici, utrum
,, pænitentia ſit virtus generalis, an ſpe-
,, cialis, & utrum theologica, an mora-
,, lis, & in qua parte animæ reſideat,
,, breviter reſpondemus, eam eſſe ſpe-
,, cialem virtutem, qua homo pecca-
,, tum, in quantum Dei offenſa eſt, de-
,, teſtatur, & ad ejus deſtructionem ni-
,, titur. Pertinere autem ad ſpeciem ju-
,, ſtitiæ commutativæ, uti S. Thomas
,, docet (etſi alii ſecus ſentiant) in
,, quantum pænitens dolet de peccato
,, commiſſo cum emendationis propoſi-
,, to; ſubjectum autem ejus eſſe volun-
,, tatem, in qua & cæteræ partes ſubje-
,, ctantur,,.

Hinc pluribus quidem definitionibus Pæ-

nitentiæ Sacramentum a Theologis exponitur & explicatur, ſed omnibus quidem convenientibus in unum, ut ſcilicet illius eſſentiam conſtituant *in ſenſibili ſigno, per quod peccata, quæ Peccatores confitentur Eccleſiæ Miniſtro, ab hoc per abſolutionem dimittuntur auctoritate, quam illi tribuit Eccleſia, & Eccleſia tribuit Chriſtus*. Aliquas hic afferemus definitiones, per quas Pænitentiæ Sacramentum explicatur, quæ quidem, quanvis non concordentur in verbis, in re tamen conveniunt. Primo igitur aliqui dicunt, quod Pænitentiæ Sacramentum ſit *ſignum efficax gratiæ remiſſivæ peccati poſt baptiſmum commiſſi*; & hæc videtur Henno brevior atque clarior præcæteris definitio. Alii definiunt, quod ſit Sacramentum, *quo Lapſis poſt baptiſmum contritis, confeſſis, atque ſatisfacere proponentibus, abſolutio a peccatis impenditur*. Tertio; alii deſcribunt, quod ſit *Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis abſolutionē homini contrito & confeſſo remittuntur peccata poſt baptiſmum commiſſa*; per quam definitionem primo innoteſcit & miniſter hujus Sacramenti, nempe Sacerdos, & modus miniſterii, ſcilicet juridicus, ſeu judicialis, qui eſt ex vera poteſtate remittendi peccata, non vero declarandi tantum ea eſſe remiſſa, & demum hujus Sacramenti effectus, qui eſt peccatorum remiſſio, quam, ſi in Pænitente ſint conditiones neceſſariæ, ſemper hoc Sacramentum conferre habet. Per verba vero, *quo remittuntur peccata poſt baptiſmum commiſſa*, innuitur, quod Pænitentiæ Sacramentum ſolis baptizatis diſpenſari poteſt, ut ea tantum peccata deleat, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt; illa enim, quæ baptiſmum præceſſerunt, fuerunt per baptismum deleta. Denique per verba poſteriora indicantur duæ quaſi partes materialea hujus Sacramenti, ſcilicet contritio, quæ comprehendit & perfectam & imperfectam, nempe contritionem proprie dictam, & attritionem; & aliam partem, quæ eſt oris confeſſio, quam ſummopere poſteriorum temporum Hæretici inſectati ſunt, & nos ſuo loco contra eosdem totis viribus defendemus.

His addimus Natalem Alexandrum Tom. 1. Theologiæ Dogmaticæ & moralis lib. 2. de Sacram. Pænitent. art. 5. prop. 1., in qua probans exteriorem Pænitentiam eſſe novæ legis Sacramentum, Pænitentiæ Sacramenti eſſentiam per plura, eaque docta atque erudita, explicat, declarat, & probat, verbis hiſce. „ Sacramentum enim eſt „ in aliqua celebratione, cum rei geſtæ „ ita commemoratio fit, ut aliquid ſignificare intelligatur, quod ſancte accipiendum eſt; ut ajunt S.S. Auguſtinus epiſt. 55. alias 119. ad Januarium, „ & Iſidorus lib. 6. *Originum* cap. 19. & „ habetur cap. *Multi* cauſa 1. quæſt. 1. Sive: ſignum eſt practicum & efficax „ gratiæ a Chriſto inſtitutum. At externo Pænitentiæ ritu, prout adminiſtratur in Eccleſia, aliquid Sanctum ſignificatur tam ex parte peccatoris pænitentis, quam ex parte Sacerdotis abſolventis: nam peccator pænitens rerum & verborum notis plane oſtendit „ cor ſuum a peccato receſſiſſe. Similiter etiam ea, quæ a Sacerdote geruntur, & dicuntur, miſericordiam & „ operationem Dei peccata remittentis „ ſignificant. Hoc autem ſignum ex inſtitutione Chriſti gratiam conferre, „ probant illa Salvatoris verba Matth. „ 16. 19. ad S. Petrum. *Tibi dabo claves* „ *Regni Cælorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in Cælis*. Tum & ad reliquos Apoſtolos „ Matth. 18. 18. *Amen dico vobis quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo.* „ Ac poſt Reſurrectionem ad eoſdem. „ *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Solvunt autem, & remittunt peccata „ Sacerdotes, quum Pænitentem rite diſpoſitum a peccatis abſolvunt: ligant, „ quū peccata legitimas ob cauſſas retinent, ideſt, peccatoribus ſicut oportet „ non pænitentibus abſolutionis & reconciliationis gratiam vel ad tempus „ ſuſpendunt, vel omnino negant. Ligant, cum ſatisfactionem Pænitentibus „ imponunt; ſolvunt cum de illa ipſa „ ſatisfactione juſtis de cauſſis aliquid remittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum participationem admittunt. His autem præcipue verbis: *quorum remiſeritis, peccata remittuntur* „ *&c.* Apoſtolis, eorunque legittimis „ Succeſſoribus, poteſtatem remittendi pec-

„ peccata in Sacramento Pænitentiæ
„ fuiſſe communicatam, univerſorum
„ Patrum conſenſus ſemper intellexit.
„ Et Montaniſtas, atque Novatianos,
„ poteſtatem remittendi peccata eſſe in
„ Eccleſia olim pertinaciter negantes,
„ Eccleſia Catholica, tanquam Hæreti-
„ cos, jure merito damnavit. Quamob-
„ rem Sacra Synodus Tridentina veriſſi-
„ mum illum verborum Domini ſenſum
„ probans, & recipiens, damnavit com-
„ mentitias Hæreticorum interpretatio-
„ nes, qui verba illa ad poteſtatem præ-
„ dicandi verbum Dei, & Chriſti Evan-
„ gelium annunciandi contra hujusmodi
„ Sacramenti inſtitutionem falſo detor-
„ querit. Sic ipſa loquitur ſeſſ. 14. cap. 1.
„ & Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Do-*
„ *mini Salvatoris: accipite Spiritum San-*
„ *ctum: quorum remiſeritis peccata, remit-*
„ *tuntur eis, & quorum retinueritis, reten-*
„ *ta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate*
„ *remittendi & retinendi peccata in Sa-*
„ *cramento Pænitentiæ, ſicut Eccleſia Ca-*
„ *tholica ab initio ſemper intellexit, detor-*
„ *ſerit autem contra inſtitutionem hujus*
„ *Sacramenti ad auctoritatem prædicandi*
„ *Evangelium: anathema ſit.* „

Ex quibus verbis hæc Pænitentiæ Sacramenti definitio eruitur. *Eſt Sacramentum novæ legis, quo per Pænitentis actus, & Miniſtri verba, & intentionem, actualia peccata delentur, & gratia ſanctificans infunditur.* Per verba illa, *Sacramentum novæ legis*, convenit Sacramentum cum aliis ſex novæ legis Sacramentis, & per ſolum verbum illud *Sacramentum*, convenit etiam cum Sacramentis veteris legis; adeoque ſtant loco generis. Cætera autem verba ſtant loco differentiæ, per quæ ſecernitur a Sacramentis tam veteris legis, quam novæ; & quidem actus Pænitentis indicant materiam Sacramenti hujus, ſicut etiam actualia peccata; & Miniſtri verba indicant formam; intentio vero Miniſtri denotat, quod ſuo loco de intentione dictum eſt. Et denique peccatorum actualium deletio, & gratiæ ſanctificantis infuſio, oſtendunt Sacramenti hujus effectum.

Venientes modo ad Hæreticorum errores contra eſſentiam Sacramenti Pænitentiæ, & præcipue Recentiorum; de antiquis enim in Diſſertatione ſubſequenti tractabitur, ſtatus quæſtionis hujuſcemodi ita a Bellarmino exponitur Controverſiar. tom. 3. Controverſia IV. *de Pænitentia* lib. 1. cap. 8., an ſcilicet Pænitentia ſignis externis manifeſtata, accedente ad eam verbo abſolutionis, ſit Sacramentum novæ legis proprie dictum? Quibus verbis idem Bellarminus addit: „ iſtum enim ri-
„ tum reconciliandi lapſos poſt baptiſ-
„ mum, qui ex Pænitentia ſignis exter-
„ nis prodita, & verbo abſolutionis con-
„ ſtet, Catholici verum ac proprie di-
„ ctum Sacramentum eſſe affirmant;
„ Hæretici negant „. Et quidem primo, Lutherus negavit judiciariam poteſtatem dimittendi peccata Eccleſiæ Miniſtris; cæterum Pænitentiam eſſe vere & proprie dictum Sacramentum inficiatus eſt quoque, quanvis timide, & inconſtanter; ut legitur in libro *de captivitate babylonica* circa initium: „
„ Principio neganda mihi ſunt ſeptem
„ Sacramenta, & tantum tria pro tem-
„ pore ponenda; Baptiſmus, Pænitentia,
„ & Panis „: attamen in eodem libro revocat Pænitentiam ad Baptiſmum, dicens: „ proprie ea Sacramenta vo-
„ cari viſum eſt, quæ annexis ſignis pro-
„ miſſa ſunt; quo fit, ut ſi rigide loqui
„ volumus, tantum duo ſint in Eccleſia
„ Dei Sacramenta, Baptiſmus & Panis;
„ cum in his ſolis & inſtitutum divinitus
„ ſignum, & promiſſionem remiſſionis
„ peccatorum videamus. Nam Pæniten-
„ tiæ Sacramentum, quod ego his duo-
„ bus acceſſui, ſigno viſibili, & divini-
„ tus inſtituto, caret, & aliud non eſſe
„ dixi, quam viam ac reditum ad Ba-
„ ptiſmum „ Verum, ut idem Bellarminus advertit, Lutherus ipſe faſſus eſt, Pænitentiam eſſe Sacramentum in propoſitionibus adverſus Lovanienſes, quas edidit anno 1545. propoſit. 35.

Secundo, Philippus Melanchthon *in locis communibus*, quæ edidit anno 1522. in tit. *de Pænitentia* ſcripſit: „ Pæniten-
„ tiam non eſſe ſignum, nihil obſcurum
„ eſt: eſt enim Pænitentia vetuſtatis no-
„ ſtræ mortificatio, & renovatio ſpiritus.
„ Sacramentum ejus, vel ſignum, non
„ aliud niſi Baptiſmus eſt: atque hic
„ omnium rectiſſime vocatur Sacramen-
„ tum Pænitentiæ „. Idem quoque melanchthon in aliis libris, & præcipue in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ faſſus eſt, Pænitentiam eſſe Sacramentum.

Tertio, Mathias Illyricus in Apologia

Con-

Confeſſionis Antuerpienſis cap. 18. dixit, Apologiam Confeſſionis Auguſtanæ non agnoſcere Pænitentiæ Sacramentum, niſi improprie, & modo quodam, non autem ſimpliciter & proprie. Bellarminus affert verba Confeſſionis Auguſtanæ, ut Illyrici mendacium detegat. Igitur in hac Apologia in cap. *de numero & uſu Sacramentorum* hæc leguntur. „ Si Sacramen-
„ ta vocamus ritus, qui habent manda-
„ tum Dei, & quibus addita eſt promiſ-
„ ſio gratiæ, facile eſt judicare, quæ ſint
„ proprie Sacramenta. Nam ritus ab ho-
„ minibus inſtituti, non erunt hoc mo-
„ do proprie dicta Sacramenta: non eſt
„ enim auctoritatis humanæ, promitte-
„ re gratiam. Quare ſigna ſine mandato
„ Dei inſtituta, non ſunt certa ſigna gra-
„ tiæ, etiamſi fortaſſe rudes docent, aut
„ admonent aliquid. Vere igitur ſunt
„ Sacramenta, Baptiſmus, Cæna Domi-
„ ni, Abſolutio, quæ eſt Sacramentum
„ Pænitentiæ: nam hi ritus habent man-
„ datum Dei, & promiſſionem gratiæ,
„ quæ eſt propria novi Teſtamenti. Cer-
„ to enim debent ſtatuere corda, cum
„ baptizamur, cum veſcimur corpore
„ Domini, cum abſolvimur, quod ve-
„ re ignoſcat nobis Deus propter Chri-
„ ſtum. „

Quarto, Martinus Kemnitius in ſecunda parte examinis pag. 903. idem aſſerit, quod Illyricus, ejuſque pariter mendacium detexit ac profligavit Bellarminus loco nuper citato.

Quinto, Zuinglius in libro de vera & falſa Religione cap. *de Sacram.*, Pænitentiam a Sacramentorum numero removit; eumque Zuingliani omnes ſequuti ſunt.

Sexto, Calvinus lib. 4. *Inſtitut.* cap. 19. §. 15. & ſequent. conatur probare, Pænitentiæ Sacramentum nullum eſſe; idem quoque facit in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 15.

Septimo, Theodorus Beza in confeſſione Fidei cap. 7. art. 51., ſuum Calvinum, in cujus verba juraverat, ſequi conatus eſt.

Octavo, Nicolaus Selneccerus in ſecunda parte ſuæ Pedagogiæ, ubi agit de Sacramentorum numero; Joannes Wigandus in Methodo doctrinæ Eccleſiæ Madegburgenſis cap. 14., aliique multi Lutherani, qui jurarunt in verba Confeſſionis Auguſtanæ, ejuſque Apologiæ, & qui deinde in præſenti quæſtione ad Sacramentarios defecerunt, Pænitentiam e numero Sacramentorum expungunt.

DIS-

DISSERTATIO CCCLIX.

De exiſtentia Pœnitentiæ Sacramenti. De antiquorum Heterodoxorum errore contra Pœnitentię Sacramenti exiſtentiam. De Montaniſtarum, & Novatianorum hæreſi contra eandem.

PÆNITENTIÆ Sacramenti exiſtentiam alii indirecte tantum, & quaſi per latus, ut dicitur a Recentiore quodam, impugnarunt; alii vero directe & aperta fronte. Primi fuerunt, qui ſublato boni & mali diſcrimine, in hominibus perfectis nullum agnoſcebant peccatum, quanvis obſcæna & turpiſſima ſcelera commiſiſſent. Et hi ſequentes fuerunt.

Primo, veteres Gnoſtici, ſic dicti quaſi ſpirituales & perfecti, qui adeo ſuperbiebant ementita ſua ſpiritualitate, ut cæteros, qui de ſua ſecta non erant, dicerent per injuriam *Pſychicos*, hoc eſt *carnales, animales, ac de ſeculo*. De his loquitur Irenæus lib. 5. cont. Hæreſes cap. 6. *Intimorate omnia, quæ vetantur ...... de quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui faciunt ea, Regnum Dei non hæreditabunt*. Et cap. 25. *Non tantum dicere, & audire non eſt fas nobis, ſed ne quidem in mentis conceptionem venire, eos, qui ſunt ipſorum perfecti, operari*. Dicti ſunt a quibuſdam *Borboritæ*, & *Borbotiani*, hoc eſt *Cœnoſi*, & hoc ratione turpitudinis nefandæ, qua ſe ipſos polluebant in Myſteriorum ſuorum celebratione, quod docent Auguſtinus lib. *de Hæreſibus* cap. 6., & Theodoretus lib. 1. *Hæreticarum fabularum cap. de Borbotianis*.

Secundo, fuerunt Priſcillianiſtæ in Hiſpania circa finem IV. Seculi, qui Gnoſticorum deliria renovarunt. Teſtes ſunt Auguſtinus hæreſi 70., & Severus Sulpitius in fine lib. 2. hiſtoriæ ſacræ.

Tertio, Cajani poteſtatem certa quædam peccata dimittendi negarunt Eccleſiæ, & ipſi Chriſto. Teſtem habemus S. Hieronymum epiſt. 82. ad Oceanum. *En conſurgit mihi Cajana hæreſis, atque olim emortua vipera contritum caput levat, quæ non ex parte, ut ante conſueverat, ſed totum Chriſti ſubruit Sacramentum. Dicit enim, eſſe aliqua, quæ Chriſtus non poſſit purgare ſanguine ſuo*.

Quarto, Manichæi, qui dicebantur etiam Mathematici, & inducebant fatalem ex ſyderibus peccandi neceſſitatem; hi porro peccata tollendo, Pænitentiam quoque de medio tollebant. De ipſis loquitur Cæſarius Arelatenſis ſerm. 253., qui legitur in Appendice Tomi quinti Operum S. Auguſtini.

Quinto, Feliciſſimus, aliique quinque Presbyteri ejus ſocii, qui nulla peracta Pænitentia pacem & communionem lapſis temere laxabant, indirecte, & quaſi per latus, Pænitentiæ neceſſitatem negarunt. De his loquitur S. Cyprianus epiſt. 40. ad Pamelium, dicens, quod *ruinam ſalutis, everſionem animarum inducebant*.

Sexto, alii quoque fuerunt Hæretici, qui inſaniebant dicentes, peccata non dimitti per pænitentiam, ſed per pretium, quod exigebant; & de ipſis loquitur S. Maximus, Taurinenſis Epiſcopus, homil. 10. ex iis, quas vulgavit Mabillonius Tom. 1. Muſæi Italici.

Devenientes modo ad Montanum, & Montaniſtas, de quibus dicitur, quod Pænitentiæ Sacramentum directe impugnaverint; & quidem de iisdem communiter aſſeritur dixiſſe, quod peccata

con-

contra Proximum commiſſa poterant ab Eccleſia dimitti, non ſic vero peccata, quæ contra Deum committebantur; unde ſcribebat Tertullianus lib. *de Pudicitia* cap. 2. *Mundantur delicta, quæ quis in fratrem, non in Deum admiſerit*. Inſuper dicebant, quod peccata commiſſa in Deum, quædam erant remiſſibilia, alia vero irremiſſibilia; proinde idem Tertullianus citato loco: *cauſas pænitentiæ delicta condicimus: hæc dividimus in duos exitus: alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia.... ſecundum hanc differentiam delictorum, pænitentiæ quoque conditio diſcriminatur: alia erit, quæ veniam conſequi poſſit, in delicto ſcilicet remiſſibili; alia, quæ conſequi nullo modo poſſit, in delicto ſcilicet irremiſſibili*. Ulterius volebant, non omnia peccata mortalia eſſe irremiſſibilia, ſed tantum graviſſima; videlicet Idololatriam, homicidium, Mæchiam, & alia, quæ idem Tertullianus enumerat cap. 19. *Graviora & exitioſa, quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blaſphemia, utique & mæchia, & fornicatio, & ſi qua alia violatio templi Dei*. Denique Montaniſtarum mens erat, quod pro graviſſimis illis peccatis, quæ dicebant ab Eccleſia remitti non poſſe, pænitentia agenda erat, quamvis veniam ab Eccleſia non conſequerentur. Idem Tertullianus teſtatur cap. 3. Catholicorum objectioni reſpondens. *Fruſtra ſcilicet agi Pænitentiam, quæ caret venia: merito utique ita opponunt, quoniam hujus quoque pænitentiæ fructum, ideſt veniam, in ſua poteſtate uſurpaverunt..... Quantum autem ad nos, qui ſolum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non fruſtra agetur. Ad Dominum enim remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quod eam a ſolo Deo exorat, quod delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quod Eccleſiæ mavult erubeſcere, quam communicare. Adſiſtit enim pro foribus ejus, & de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet, & lacrymas fratrum ſibi quoque advocat, & redit plusque negotiata, compaſſionem ſcilicet, quam communicationem*. Et cap. 19. *Hæc erit pænitentia, quam & nos deberi quidem agnoſcimus multo magis; ſed de venia Deo reſervamus*.

Ex his infert Jueninus in Commentario *de Sacramentis* diſſ. 6. *de Sacram. Pænitent.* quæſt. 2. cap. 1. Montaniſtas non expunxiſſe Pænitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis. Et ſic probat; quia aſſerebant, multa eſſe peccata, quæ per claves a Chriſto Eccleſiæ creditas remittuntur. Et hoc quoque probat, ex pluribus Tertulliani verbis; nimirum lib. *de Pudicitia* cap. 2. *Cauſas Pænitentium delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus. Alia erunt remiſſibilia, alia irremiſſibilia*. Et cap. 9. *Cæterum ſi in hoc geſtit diverſa pars ovem & drachmam, & filii luxuriam chriſtiano peccatori configurare, ut mæchiam, & fornicationem pænitentia donent; aut & cætera delicta pariter capitalia concedi oportebit, aut paria quoque eorum mæchiam, & fornicationem, inconceſſibilia ſervari*. Et cap. 18. *Quod ſi clementia Dei ignorantibus adhuc & infidelibus competit, utique & pænitentia ad ſe clementiam invitat, ſalva illa pænitentiæ ſpecie poſt fidem; quæ aut levioribus delictis veniam ab Epiſcopis conſequi poterit, aut majoribus, & irremiſſibilibus a Deo ſolo*.

Poſt Montanum & Montaniſtas ſequuntur Novatiani, de quibus dicitur, quod negaverint, Eccleſiam habere poteſtatem dimittendi peccata iis, qui in perſecutione lapſi fuerant. Euſebius lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 43. hæc de Novatiano ſcripſit, quem ipſe vocavit Novatus. *Eccleſiæ Romanæ Presbyter, arrogantia adverſus eos elatus, quaſi nulla ſpes ſalutis ipſis poſthac ſupereſſet, tametſi omnia explerent, quæ ad ſinceram converſionem, puramque confeſſionem pertinent, propriæ cujuſdam ſectæ eorum, qui tumore mentis elati ſe ipſos Catharos cognominant, auctor extitit*. Nec pariter circa Novatianos, eorumque errorem, Scriptores conveniunt; ſiquidem Atticus apud Socratem lib. 3. Hiſtoriæ cap. 25. eum non erroris, ſed nimiæ duntaxat ſeveritatis arguebat, putans Novatianum ex rigore & amore diſciplinæ, non ex deſperatione indulgentiæ, per Eccleſiam obtinendæ, lapſos in perſecutione rejeciſſe. Attamen alii diverſo prorſus modo diſcurrunt, dicentes nimirum, quod quando ipſe ab Eccleſia defecit, & nondum hæreſim ſuam formaverat, ſolis Idololatris in perſecutione lapſis veniam denegabat, & non aliis; & hoc volunt colligi ex Euſebio lib. 6. cap. 43., & ex Socrate lib. 4. cap. 28. Poſtmodum ipſius Diſcipuli rejecerunt pariter Mæchos, & Adulteros,

teros, alioſque per baptiſmum graviter delinquentes, quod probant teſtimoniis Euſebii, Dionyſii Alexandrini, Ambroſii, & Paciani Epiſt.3. ad Sympronianum, ubi hæc habet. *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me conſertis undique propoſitionibus deſtinati, hoc continet: quod poſt baptiſmum pœnitere non liceat: quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit, imo quod ipſa pereat, recipiendo peccantes.* Demum aliam ineuntes viam alii Novatiani diſcipuli conceſſerunt Eccleſiæ poteſtatem dimittendi ſaltem peccata leviora; quod teſtatur S. Ambroſius lib.1. *De Pœnitentia* cap. 3. *Ajunt ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri erroris Novatianus .... In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a nobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini.* Hinc inferunt, Novatianos nunquam negaſſe, peccatorum graviſſimorum veniam a Deo poſſe concedi; quod comprobant teſtimonio Socratis lib.4. Hiſtoriæ cap. 28. *Novatus ſcripſit ad omnes ubique Eccleſias, ne eos, qui dæmonibus immolaverunt, ad ſacra myſteria admitterent, ſed ut hortarentur quidem eos ad pœnitentiam, indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penes quem jus, arbitriumque eſt crimina remittendi*: & S. Ambroſii lib.1. *de Pœniten.* cap.2. *Ajunt, ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervant.* Inferunt quoque, nec negaſſe Novatianos Pœnitentiæ actionem iis, qui in graviora crimina lapſi fuiſſent; quod & pariter comprobant ex Socrate, & Ambroſio, citatis, & ex Cypriano epiſt.52. *O fruſtrandæ fraternitatis irriſio! O miſerorum lamentantium caduca deceptio! O hæreticæ inſtitutionis inefficax & vana traditio! Hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange, & lacrymas funde, & diebus & noctibus ingemiſce ....., ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta moreris.* Juenninus denique hanc firmat concluſionem in Commentario loco citato, Novatianos nuſquam negaſſe, Pœnitentiam eſſe Sacramentum novæ legis. Et hoc probat, tum quia Novatiani illud idem aſſerebant, quod aſſerebant Montaniſtæ; ſed Montaniſtæ non negabant, Pœnitentiam eſſe Sacramentum novæ legis, ut probatum ſupponit: ergo non pariter Novatiani negabant: tum etiam quia Novatiani negabant Eccleſiæ poteſtatem dimittendi tantum peccata Idololatriæ, Mechiæ, & homicidii: ergo de aliis peccatis concedebant Eccleſiæ hanc poteſtatem; quod ad Sacramenti Pœnitentiæ rationem ſufficit.

Adnumerantur inſuper Maſſaliani, ſeu Euchytæ, qui tantam orationibus vim tribuebant, ut per eas putarent ſine Sacramento Pœnitentiæ peccata dimitti poſſe; unde Damaſcenus lib. *de Hæreſibus* ſcripſit. *Tanta eſt eorum arrogantia, ut eos, qui apud ipſos ſenſum illum Spiritus Sancti perceperint, beatos prædicent, veluti perfectos, & ab omni culpa liberos, peccatoque ſuperiores .... Illos item, qui variis criminibus obnoxii ad ſe confugiunt, nullo pœnitentiæ edito fructu, nulla Sacerdotum auctoritate muniti, nulla habita ratione graduum, quos eccleſiaſtici Canones pœnitentibus præſcribunt, omni ſe ſtatim peccati labe mundaturos pollicentur.* His adduntur Meletiani, de quibus Auguſtinus lib. *de Hæreſibus* cap. 48. *Nolentes orare cum converſis, ideſt eis, qui in perſecutione ceciderunt, et ſchiſma fecerunt.* Apoſtolici, de quibus idem Auguſtinus citato libro cap.40. *In ſuam communionem non reciperent utentes coniugibus, & res proprias poſſidentes. Nullam veniæ ſpem lapſis relinquebant ..... Ideo ſunt hæretici, quoniam ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent. Encratitis ſimiles ſunt, nam & Apotactitæ appellantur.* Luciferiani, de quibus aſſerit Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, quod aſſererent, non eſſe recipiendos in ſuis gradibus Epiſcopos, & Clericos, qui conſenſerant hæreſi Arianæ, & poſtmodum eam damnaverant, & ad Eccleſiam Catholicam redierant, ſed eſſe potius amandandos ad Laicorum ſortem, & Communionem. Ponunt denique Petrum de Oſma Theologum Salmaticenſem, quem anno 1478. damnavit Sixtus IV., Pontifex Romanus, ob multas ejus propoſitiones, inter quas erat: *Peccata mortalia, quoad culpam, & pœnam alterius ſeculi, ſola cordis contritione ſine confeſſione,*

ne, & ordine ad claves remittuntur.

Demum adnumerantur Wicleſitæ, Waldenſes, Huſſitæ &c., de quibus dicitur, quod Wicleſus, & Hus docuerint, Sacerdotem vere non abſolvere, malum Sacerdotem nec abſolvere, nec alia Sacramenta vere conferre; quod teſtatur Thomas Waldenſis Tom. 2. *de Sacram.* cap. 141., & colligitur ex Concilio Coſtantienſi. Jueninus vero aſſerit, apud Waldenſes Pænitentiam ſemper fuiſſe habitam pro Sacramento novæ legis; quod et probat, tum quia nemo ex illis, qui Waldenſes impugnarunt, erroris hujusmodi meminerunt; tum etiam quia alii expreſſe dixerunt, Waldenſes agnoviſſe in Eccleſia poteſtatem dimittendi peccata, contritis, confeſſis, & ſatisfacere proponentibus, quanvis circa hujuſmodi poteſtatis uſum hos haberent errores, quos refert Reinerus cap. 4. lib. cont. Waldenſes, qui legitur Tom. 25. maximæ Biblioteeæ Patrum Editionis Lugdunenſis. *De Sacramento Pænitentiæ dicunt, quod nullus poſſit abſolvi a malo Sacerdote. Item, quod bonus Laicus poteſtatem habet abſolvendi. Item, quod ipſi per manus impoſitionem peccata dimittant, & dent Spiritum Sanctum. Item, quod confitendum ſit potius bono Laico, quam malo Sacerdoti. Item, quod non gravis pænitentia ſit imponenda, exemplo Chriſti: vade & jam amplius noli peccare. Item publicas pænitentias, ut carenas reprobant, maxime in fæminis. Item, quod generalis Confeſſio non ſit ſingulis annis facienda.*

His omnibus dictis, & huc uſque enumeratis Pænitentiæ Sacramenti hoſtibus, addunt nonnulli Marcum Antonium de Dominis, Archiepiſcopum olim ſpalatenſem, & deinde turpiſſimum Catholicæ Religionis Deſertorem, qui libro quinto *de Republica Eccleſiaſtica* cap. 7. & 12. hos vulgavit errores. I. Sola peccata externa, publica, ſcandaloſa, & manifeſta, ſubjecta ſunt clavibus Eccleſiæ, quæ proinde ab ea ſolvi poſſunt, vel retineri, peccata vero occulta, quæ ſolum Deum habent teſtem, ſola interiori pænitentia ſanantur, & a Deo remittuntur. II. Peccata externa, quæ Eccleſiæ Clavibus ſubjiciuntur, vere et proprie, tam quoad culpam, quam quoad pænam, dimittuntur ab Eccleſia, coram Deo, quia promiſit Chriſtus, ſolvenda fore in Cælis, quæ ſoluta ſunt in terra. Inſuper dicit, Eccleſiam dimittere peccata non directe, ſed indirecte, hoc eſt ex divina promiſſione, ac conceſſione, quatenus nimirum ſolvitur per Eccleſiam exterius vinculum anathematis; in quo tota ejus conſiſtit auctoritas. Poſtmodum concludit, quod peccata, prout ſunt offenſa Eccleſiæ, directe dimittuntur ab illa; prout ſunt offenſa Dei, dimittuntur indirecte; & hoc pacto putat, conciliari poſſe Catholicos, & Hæreticos, qui dicunt, Eccleſiam vere non dimittere peccata, quod aſſerunt Catholici, ſed declarare tantum a Deo eſſe remiſſa. III. denique vult, quod Auctoritas Eccleſiæ in ſolvendis, vel retinendis peccatis exterioribus & manifeſtis, non ſit ſacramentalis, ſeu non ſit verum Sacramentum, & ſtatuit differentiam hanc inter modum, quo peccata remittuntur per baptiſmum, & modum, quo remittuntur per reconciliationem: „ quod actio miniſtrantis baptiſmum ſit ſacramentalis, & verum Sacramentum; actio autem reconciliantis, neque eſt ſacramentalis proprie, nec verum Sacramentum „.

Tandem poſteriorum temporum Hæretici hos protulerunt errores contra Pænitentiæ Sacramenti exiſtentiam, qui referuntur a Coccio *in Theſauro Catholico* lib. 7. *de Pænitentia* art. 1. Martinus Lutherus *in captivitate babylonica* cap. *de Baptiſmo*. „ Præbuit his opinionibus occaſionem verbum illud periculoſum D. Hieronymi, ſive male intellectum, quo Pænitentiam appellat, *ſecundam poſt naufragium tabulam*, quaſi Baptiſmus non ſit Pænitentia. Hinc enim, ubi in peccatum lapſi fuerunt, de prima tabula, ſeu navi deſperantes, velut ammiſſa, ſecundæ tantum incipiunt niti, & fidere tabulæ, ideſt Pænitentiæ „. Et libro eodem prope finem. „ Pænitentiæ Sacramentum ſigno viſibili, & divinitus inſtituto caret, & aliud eſſe non dixi, quam viam & reditum ad Baptiſmum „. Philippus Melanchthon *in locis communibus* editis anno 1622. aſſerit: „ Pænitentiam non eſſe ſignum nihil obſcurum eſt; eſt enim Pænitentia vetuſtatis noſtræ mortificatio, & renovatio ſpiritus. Sacramentum ejus, vel ſignum, non aliud, niſi baptiſmus eſt, atque hic omnium rectiſſime vocatur Sacramentum

„ tum Pænitentiæ „ . Melchior Hoffmannus, ut refert Bullingerus cont. Anabaptiſtas lib.2. cap. 13. aſſeruit : „ quod ſi quis, accepta gratia, denuo voluntarie peccaret, hunc nunquam deinceps in gratiam recipi „ . Wolfgangus Muſculus *in locis communibus* cap. *de Bapt.* „ Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis, initiationis, & incorporationis in Chriſtum, & Eccleſiam ejus; qui autem ſemel regeneratus eſt e ſupernis, ac Sacramento regenerationis in gratiam Chriſti & Eccleſiæ incorporatus, ſi ab hac rurſus gratia prorſus exciderit, fieri non poteſt, ut denuo regeneretur, initietur, & incorporetur. Quare cum ipſum Sacramenti myſterium iterari nequeat, recte ſentiunt, qui Sacramentum illius iterari poſſe negant „ . Joannes Islebius, a quo Antinomi dicti ſunt, docuit : „ Pæuitentiam ex Decalogo non eſſe docendam, ſtatuit, quæcunque ſit hominis vita, & quantumvis impura, juſtificari tamen eum, ſi modo promiſſionibus Evangelii credat „ . Joannes Calvinus lib.4.*Inſtitut.* cap. 19. §. 17. „ Quacunque in parte Sacramentum poſuerint, nego, jure haberi pro Sacramento, & mendacium, & impoſtura fuit, quod de Sacramento Pænitentiæ commenti ſunt. Ementitum hoc Sacramentum egregio ornarunt elogio, dicentes, ſecundam eſſe poſt naufragium tabulam; ſed dictum eſt Hieronymi. Cujuſcunque ſit, quin plane impium ſit, excuſari nequit „ . Martinus Kemnitius *in examine Concilii Tridentini*, folio 931. „ Petrum Lombardum primum eſſe aſſerit, qui ex Pænitentia Sacramentum fecerit, & poſt eum Scholaſticos quæſiviſſe, quæ ſit materia, & forma „ .

DISSERTATIO CCCLX.

De Exiſtentia Pænitentiæ Sacramenti. An Pænitentia ſit proprie dictum evangelicæ legis Sacramentum? An ſit Sacramentum a Sacramento Baptiſmi diſtinctum? An ſit peccatum in hac vita irremiſſibile?

DIcimus I. Pænitentiam eſſe vere & proprie dictum novæ legis Sacramentum.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Chriſtus Dominus verbis hiſce, quod Pœnitentiæ Sacramentum, non Pænitentiæ virtutem intellexerit, ex ipſiſmet verbis ſit manifeſtum; & quia loquebatur de Pænitentia illa, non quæ convenit cuilibet, qualis eſt virtus, ſed per quam Apoſtoli remittere debebant peccata, quæ utique eſt Sacramentum; & quia intelligebat Pænitentiam illam, per quam Spiritus Sanctus Sacerdotum miniſterio peccata remittit, quæ abſque dubio eſt Sacramentum; & quia expreſſit, Apoſtolos, & Sacerdotes ſe debere gerere ut Judices in remittendis, vel in retinendis peccatis: unde Pænitentiæ Sacramentum voluit eſſe per modum Judicii; & hac ratione continet rationem ſigni, quod ad Sacramentum pertinet; & quia præſcripſit Sacramenti materiam, quæ ſunt peccata; & quia denique docuit, per hoc ſignum peccata deleri, & conſequenter

ter gratiam infundi, quod ingreditur rationem ſigni practici, & novæ legis Sacramenta eſſentialiter conſtituit. Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligoto & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Quæ quidem verba quod contineant Pænitentiæ Sacramentum, docent communiter Concilia, & Patres, quos mox aſſeremus.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Cœleſtinus epiſt.1. ad Epiſcopos Galliæ. *Horremus tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit od ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccotorum hominem pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere, cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſſimus, & invitans ad pænitentiam ſic promittat: peccatór, inquiens, quacunque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Salutem homini adimit, quiſquis mortis tempore pænitentiam ei denegaverit.* Leo Magnus ſerm.11. *de Quadrageſima* cap.4. *Lapſos, & inſidiarum ſuarum fraude deceptos, pænitentiæ lacrimis ablui, & portas miſericordiæ Apoſtolica Clave reſerante, ad remedia reconciliationis admitti videt.* Et epiſt.91. cap.2. *Multiplex miſericordia Dei in lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per Boptiſmi gratiam, ſed etiam per pænitentiæ medicinam, ſpes vitæ reporetur æternæ.* Gregorius Magnus ad librum 1. Regum cap.1. *Qui quotidie delinquimus, quotidie od lamenta Pænitentiæ curramus, quia ipſa ſola virtus eſt, quæ evacuat, quod in ventre oximæ culpa coadunat.* Et lib.7. *Moralium* cap. 2. *Per veram pænitentiam, quamvis multa & graviſſima ſint, peccata per miſericordiam Dei facile relaxantur, & apud miſericordiam ſuam leve eſt peccatum, quod relaxotur.* Lib.13. *Moralium* cap.6. *Quid in ſacco, & cinere, niſi Pænitentio? Quid in cute, & carne, niſi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam poſt lopſum cornis ad pænitentiam redeunt, quoſi ſaccus ſuper cutem conſuitur, & cinere caro operitur, quia culpa carnis per pænitentiam tegitur, ne in diſtricti Judicis examine ad ultionem videatur; infirma autem membra ſua ſancta Eccleſia, cum a peccatis retrahit, atque ad Pænitentiæ remedium ducit, hæc procul dubio fletibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris ſui gratiam convaleſcant, & per fortes plangit, quod non fecit, quod in membris ſuis debilibus, quaſi ipſa fecit.* Et lib. 2. epiſt.44. *Tribunal Judicis æterni ſecurus aſpiciet quisquis reatus ſui conſcius, digna eum modo pænitentia placare contendat.* Gregorius Tertius *de Pænitentia* in præfatione: *Pænitentia dicta eſt a pænitendo, quod ſcilicet aliquis corde pæniteat, & ſe peccaſſe coram Deo erubeſcat. Quio, Deo dononte, nihil poteſt contra nos Diabolus in ſua proficere nequitia, ſi purâ volumus agere pænitentiam.* Innocentius Tertius Serm.2. in Solemnitate omnium Sanctorum. *Quo circa, fratres, mundate cor veſtrum, ut Deum videre poſſitis; cor autem mundandum eſt ſcopis illis, quibus mundata eſt domus, de qua Spiritus immundus exivit, quam poſtea ſcopis mundotam & ornatam invenit: bona ſcopa eſt Pænitentia, bona Eleemoſyna, bona jejunium, bona oratio, bona vigiliæ.* Serm.1. in Feſto Converſionis Pauli. *Nullus præ multitudine & magnitudine peccatorum deſperet, quia Deus non ſolum recipit pænitentes, verum etiam attrahit peccatores. Nam a diebus Joannis Baptiſtæ regnum Cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Nullus omnino deſperet, quia Deus patiens, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia, ſuavis, & mitis, & copioſus in miſericordia omnibus invocantibus ſe; quia non vult mortem peccatoris, ſed ut convertotur, & vivat.* Et in Pſalm.1. Pænitentialem. *Homo, qui cecidit per offenſom, reſurgit per pænitentiam, ut per eum decimus Angelorum Ordo reſtauretur.*

III. probatur ex Conciliis. Concilium Nicænum can.19. ex Arabicis. *Si quis ex iis, qui ſine violentia, & periculo negaverunt, ſicut illi, qui a Regibus, & Principibus Gentilium perſecutionem patiebantur, perfecte, & recto corde voluerint ad fidem redire, recipiendi ſunt; ſed oportet, ut non prius cum Fidelibus Communionem habeant, quam appareat, eos pænituiſſe peccati ſui, & tribus annis pænitentiam inter audientes agont, & inter pænitentes annis ſeptem, & poſtea poterunt intrare Eccleſiam od orandum cum populo.* Conc. Cabilonenſe cap.11. *Pænitentiam peccatorum, quæ eſt medelo animæ, utilem omnibus hominibus eſſe cen-*

cenſemus. Concilium Lateranenſe tertium cap. 1. *Si poſt ſuſceptionem baptiſmi, quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pænitentiam ſemper poteſt reparari.* Concilium Florentinum in Doctrina de Sacramentis. *Quantum Sacramentum eſt Pænitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pænitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ſecunda oris confeſſio, tertia ſatisfactio. Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: ego te abſolvo &c.; effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio a peccatis.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 14. *Qui vero ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, cum, excitante Deo, per pænitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus Sacramentum inſtituit pænitentiæ, cum dixit: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et Can. 29. *Si quis dixerit, eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide, amiſſam juſtitiam recuperare ſine Sacramento Pænitentiæ, prout Sancta Romana & univerſalis Eccleſia, a Chriſto Domino, & ejus Apoſtolis edocta, huc uſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit; anathema ſit.* Et ſeſſ. 14. cap. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipſum baptiſmum Pænitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo pænitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari; anathema ſit.*

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum. *Jam iis, qui vocati ſunt, proponitur pænitentia, expurgans locum animæ a peccatis, ut Fides fundetur. Cum autem ſit Dominus cognitor cordium, & futura præſciat, facilem hominis mutationem, & ad revertendum propenſionem, & diaboli calliditatem ab alto vidit a principio, qui homini invidens propter remiſſionem peccatorum, aliquas peccatorum cauſas Servis Dei ſuggerit, aſtute hoc moliens, ut ipſi quoque cum eo cadant. Dedit ergo, cum ſit multæ miſericordiæ, iis etiam, qui in fide in aliquod peccatum incidunt, ſecundam pænitentiam, quam ſi quis tentatus fuerit poſt vocationem, coactus & callide circumventus, unam adhuc impænitendam acceperit pænitentiam.* Origenes homil. 1. in Ieremiam. *Deus ad benefaciendum promptus eſt, ad puniendum autem eos, qui pœna digni ſunt, diſſimulat. Cum poſſit quippe tacens ſine conteſtatione venturi punire eos, quos ſimul dignos ſupplicio indicavit, nunquam hoc facit, ſed etiamſi condemnaverit, dicit, quod ſibi ſemper dicere propoſitum eſt, ut liberarentur a condemnatione per pænitentiam, qui condemnati fuerant per delictum.* Baſilius Magnus Serm. de Pænitent. *Nos, ſi e novo Teſtamento oſtenderimus, quod & poſt baptiſma, & acceptum Spiritum, qui peccavit; a peccato per Pænitentiæ Chariſma revocatur, manifeſtum erit, & poſt baptiſma pænitentiæ locum eſſe iis, qui deliquerunt &c. Rogemus Servatorem: quare ad nos veniſti? Reſpondebit: non veni ſervare juſtos, ſed peccatores vocaturus ad pænitentiam. Sciſcitemur ab ipſo, quid portas in humeris? Ovem, inquit, perditam. Cujus gratia gaudent, qui ſunt in Cælis? Unius, inquit, Pænitentis gratia Angeli lætantur, & tu pænitenti hanc invides lætitiam? Deus illum cum gaudio complectitur, & tu hoc prohibes? Cupidius ad bonum Deum confugiamus. Duo, inquit, erant, ambo filii: (non potes dicere, quod iſta pænitentia fuerit recedentis a gentiliſſimo, ſed ambo erant filii, ex æquo conſortes) junior quæ habebat aſſumpſit, & cum juſtus eſſet, conſumptis omnibus, excidit. Cœpit pænitere, properavit ad Patrem, & quo modo illi ſeſe applicaret, ſtudioſe cogitavit. Quid dixit ad Patrem? Peccavi contra te, & coram Cælo. Hæc apud ſe conſultavit, non ignarus bonitatis paternæ. Venit ad Patrem, cauſam dictururus acceſſit illum pudore ſuffuſus. Tantummodo voles, & ipſe Deus ultro occurret. Cœperat dicere, & mox Pater illum complectitur. Conſidera, quæ ſint Patris viſcera, & ſpem veniæ haudquaquam abſcindes: ſuſcepit illum, ac dixit: mactate vitulum &c. Vehementer volo, non peccare eos, qui baptiſma ſuſceperunt; ſi vero citra animi propoſitum ceciderint aliquando quidam, nolo decernant hic, qui pænitentiam ſuſtulerunt, nolentes nos una cum Cruce Chriſti mortificari.* Gre-

go-

gorius Nazianzenus Orat. 39. , quæ eſt in Sancta lumina. *Quintum locum lacrymarum baptiſmus tenet; verum aſperior eſt, & laborioſior; quo quidem ille tingitur, ut qui per ſingulas noctes lectum ſuum ad ſtratum lacrymis lavat, cui ipſe quoqae vitii cicatrices fætent, qui lugens, & contriſtatus ingreditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam, & Ninivitarum humilitatem, cai miſericordia impertita eſt, imitatur, qui Publicani verbis in templo utitur, ac ſupra inſolentem, & ſuperbum Phariſæum juſtificatur: qui denique Chananææ in modum deprimitur, & miſericordiam implorat, ac micas poſcit, hoc eſt, canis vehementi fame pabulum correpti &c. Tu vero quid ais? Quam legem ſtatuis o nove Phariſæe, ac nomine, non autem animi inductione pure, ac Novati dogmata cum eadem infirmitate nobis efflans? Pænitentiam non admittis? Luctibus locum negas? Lacrymas lacrymis non proſequeris? Utinam talem tibi judicem experiri non contingat. Benignitate Jeſu non moveris, qui infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos noſtros portavit: qui non venit vocare juſtos, ſed Peccatores ad Pænitentiam, qui miſericordiam mavult, quam ſacrificium; qui ſeptuagies ſepties peccata condonat &c. Quid? ne pænitentem quidem David admittis, cui propheticam quoque gratiam pænitentia conſervavit; nec magnum illum Petrum, qui circa Salvatoris paſſionem humani aliquid perpaſſus eſt? At Jeſus eum ſuſcepit, ac per triplicem interrogationem, & confeſſionem, triplicem abjurationem ſanavit &c.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. *de Pænitentia* cap. 2. *Nam Deus poſt tot ac tanta delicta humanæ temeritatis a principe generis Adam auſpicata, poſt condemnatum hominem cum ſæculi dote, poſt ejectum paradiſo, mortique ſubjectum; cum rurſus ad ſuam miſericordiam maturaviſſet, jam inde in ſemetipſo pænitentiam dedicavit, reſciſſa ſententia irarum priſtinarum, ignoſcere pactus operi, & imagini ſuæ. Itaque, & populum ſibi congregavit, & multis bonitatis ſuæ largitionibus fovit, & ingratiſſimum toties expertus, ad pænitentiam ſemper hortatus eſt, & prophetando univerſorum Prophetarum emiſit ora, mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum, per ſpiritum ſuum univerſo Orbi illuminaturus eſſet, præbire intinctionem, pænitentiæ juſſit, ut quos per gratiam vocaret ad promiſſionem Semini Abraham deſtinatum, per pænitentiæ ſubſignationem ante componeret. Non tacet Joannes. Pænitentiam initote, dicens, jam enim ſalus nationibus appropinquavit, Dominus ſcilicet afferens, ſecundum Dei promiſſum. Cui præminiſtrans pænitentiam deſtinabat peragandis mentibus propoſitam, uti quicquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pænitentia verrens & radens, & foras abjiciens, mundans pectoris domum ſuper venturo Spiritui Sancto paret, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat. Horum bonorum unus eſt titulus, ſalus hominis, criminum priſtinorum abolitione præmiſſa. Hæc Pænitentiæ cauſa: hæc opera negotium divinæ Miſericordiæ, curans, quod homini proficit, Deo ſervit.* Et cap. 4. *Vivo, inquit Dominus, & Pænitentiam malo, quam mortem: ergo Pænitentia vita eſt, cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei ſimilis, imo mei minor, (ego enim præſtantiam in delictis meam cognoſco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum perlavabit, & in portum divinæ Clementiæ protelabit.* Et cap. 7. *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur. Cæterum finem utique evadendi habebit, cum offendendi non habebit. Evaſimus ſemel, hactenus periculoſis noſmetipſos inferamus, etſi iterum evaſuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium, & navi, & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam; nolunt iterum divinæ miſericordiæ oneri eſſe; formidant videri inculcare, quod conſecuti ſunt; bona certe ſollicitudine iterum experiri vetant, quod ſemel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis, Dei honor eſt. Sed enim perviciciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit &c. Doleat, & ingemiſcat, neceſſe eſt, venia peccatorum permiſſa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro ſuæ eraſos &c. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clauſa licet ignoſcientiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo Pænitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat; ſed jam ſemel, quia jam ſecundo;*

do; ſed amplius nunquam, quia proxime fruſtra &c. Si tibi Indulgentia Domini accomodat, unde reſtituas, quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato; majus eſt enim reſtituere, quam dare; quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quam omnino non accepiſſe &c. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum extiteris, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris. Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes. Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum. *Cum Dominus, relictis nonaginta novem ſanis, unam errantem & laſſam quæſierit, & inventam humeris ſuis ipſam portaverit, nos non tantum non quæramus lapſos, ſed & venientes arceemus, & cum Pſeudoprophetæ Chriſti gregem nunc vaſtare, & lacerare non deſinant, occaſionem canibus, & lupis demus, ut quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra, & inhumanitate perdeamus. Et ubi erit, Frater chariſſime, quod Apoſtolus dicit: omnibus per omnia placeo, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalventur &c.; & ideo placuit, frater chariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, Libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubveniri; quia exomologeſis apud inferos non eſt, nec ad pænitentiam quis a nobis compelli poteſt, ſi fructus pænitentiæ ſubtrahatur. Si prælium prius venerit, corroboratus a nobis invenietur armatus ad prælium; ſi vero ante prælium infirmitas urſerit, cum ſolatio pacis, & communicationis abſcedit. Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minus ſi pænitentiam plenam & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat, quod a nobis fuerit hic ſtatutum. Si vero nos aliquis Pænitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, judicet, & ſervorum ſententiam Dominus emendet &c. Nec putes, Frater chariſſime, hinc aut virtutem Fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapſis laxata ſit pænitentia, & quod pænitentibus ſpes pacis oblata. Manet vere Fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deum ſtabilis & fortis perſeverat integritas. Nam & mœchis a nobis pænitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen id circo Virginitas in Eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret Eccleſia tot Virginibus coronata, & caſtitas, ac pudicitia tenorem gloriæ ſuæ ſervat, nec quia adultero pænitentia, & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur &c. Quod ſi invenimus, a Pænitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per Sacerdotes ejus pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, dolentibus non negandus.* Lactantius cap. 24. *Nec tamen deficiat aliquis, aut de ſe ipſo deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injuſtitiæ viam lapſus eſt. Poteſt enim reduci, ac liberari, ſi eum pæniteat actorum, & ad meliora converſus ſatisfaciat Deo. Quod fieri poſſe Cicero non putavit, cujus hæc in Achademico 3. verba ſunt: quod ſi liceret iis, qui in itinere deerraviſſent, ſic viam deviam ſecutos corrigere errorem pænitendo, felicior eſſet emendatio temeritatis. Licet plane. Nam ſi liberos noſtros, cum delictorum ſuorum cernimus pænitere, correctos eſſe arbitramur, & abdicatos, abjectoſque rurſus ſuſcipimus, fovemus, amplectimur, cur deſperemus Clementiam Dei Patris pænitendo poſſe placari? Ergo idem Dominus ac parens indulgentiſſimus remiſſurum ſe pænitentibus peccata promittit, & obliturum omnes iniquitates ejus, qui juſtitiam denuo cœperit operari; ſicut enim nihil prodeſt male viventi anteactæ vitæ probitas, quia ſuperveniens nequitia juſtitiæ opera delevit, ita nihil officiunt peccata vetera correcto; quia ſuperveniens juſtitia labem vitæ prioris abolevit. Is enim, quem facti ſui pænitet, errorem ſuum priſtinum intelligit &c. Id circo Deus imbecillitatem noſtram ſciens pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubjecta eſt, medicina pænitentiæ ſubveniret.* Hilarius Ad Pſalm. 137. *Extinguit quoque inſolentem eorum profeſſionem, qui humanæ naturæ, & infirmitatis immemores, immiſericordem Deum prædicantes, peccatis pænitentium veniam, & ſolatium non relinquunt, cum ad Pænitentiam, per quam a peccatis deſiſtitur, doctrina legis Prophetarum, Evangeliorum, & Apoſtolorum, eos, qui peccaverint, adhortetur, ut deſperatæ jam ſpei aliquantulum per eam ſolatii comparetur, ut ammiſſis licet beatis, & maximis, & Deo proximis, ne his ſaltem, quæ talibus ſunt ſecunda,*

car-

careamus. Ambroſius lib. 1. *de Pænitentia* cap.7. *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata dimitti non licet? In baptiſmo utique remiſſio omnium peccatorum eſt. Quid intereſt, utrum per pænitentiam, an per lavacrum, hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent? Unum in utroque miniſterium eſt. Sed dices, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia, quid in Pænitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo! ubi vultis vindicatis vobis Dei gratiam? ubi vultis repudiatis? Sed hoc inſolentis arrogantiæ, non ſancti timoris eſt, ut faſtidio vobis ſint, qui volunt agere pænitentiam. Perpeti videlicet flentium lacrymas non poteſtis. Non ferunt oculi veſtri vilia veſtimentorum, illuviem ſordidatorum, ſuperbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes ſinguli: noli me tangere, quia mundus ſum &c.* Hieronymus epiſt.65. ad Pammachium, & Oceanum cap.2. *Secunda poſt naufragium tabula eſt, culpam ſimpliciter confiteri. Imitati eſtis errantem, immitamini & correctum. Erravimus juvenes, emendemur ſenes: jungamus gemitus, lacrymas copulemus, ploremus, & convertamur ad Dominum, qui fecit nos; non expectemus diaboli pænitentiam, vana eſt illa præſumptio, in gehennæ trahens profundum. Hic autem quæritur vita, aut ammittitur.* Auguſtinus Epiſt. 108. *Agunt homines ante baptiſmum pænitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur; ſicut ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti, & dimittentur vobis peccata veſtra. Agunt etiam homines pænitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, poſtea reconciliari mereantur; ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie pænitentes appellantur &c. Eſt etiam pænitentia bonorum & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo; ſed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt.*

V. Probatur ex Imperialibus Conſtitutionibus. Juſtinianus Imperator Conſtitut. 133. *Quomodo Monachos oporteat vivere* cap.5. „ Si quis deliquerit, (nam multa ſunt humana, & nullus poteſt naturam ſic retinere, ut non pecc nihil, hoc enim proprium eſt ſoli Dei) hunc, ſi quidem mediocre peccatum eſt, & monere, & ſuſpendere, & Pænitentiæ ei dare tempus, ut meliorem ordinem ſumens mox revertatur ad ſemetipſum, & non, quos jam poſuit, amittat labores. Si vero major culpæ ſit modus, ſecundum commiſſum, & medelam correctionis eſſet; & rurſus admonitionem vehementiorem, & pænitentiam fortem exigeret; & ſi quidem voluerit iſtis modis amovere lapſum, & corrumpi cæptum, (hoc autem & in mulieribus converſis, & viris dicimus) grates agere magno Deo, cum & in Cælo fiat magnum gaudium Angelicis Virtutibus, quando aliquis ſalvus ſit peccatorum „ Et Conſtit. 141. *De his, qui luxuriantur contra naturam*: „ Quanquam minatus eſt Deus, & clare oſtendit, quibus ſecundum peccata noſtra digni eſſemus; tamen clementer nobiſcum egit, iramque ſuam in aliud tempus rejecit, noſtram expectans pænitentiam, ut qui nolit mortem noſtram peccatorum, ſed converſionem, & vitam. Quapropter juſtum non fuerit, ut omnes nos opulentiam bonitatis, ac tollerantiæ, & longanimitatis benigni Dei contemnamus, ne in obduratum, & pænitentiam refugiens cor noſtrũ iram nobis in die iræ accumulemus &c. Qui itaque hoc mortis genere contabuerunt, illi non ſolum de cætero peccare deſinant, ſed & rite agant Pænitentiam, & coram Deo procidant. „ Manuel Palæologus orat.6. „ Fieri nequit, ut ſit Pænitentia, quæ omnino pura non ſit. Per hanc enim purificamur. Et quo pacto fieri purificatio per rem non puram poſſit? Etenim vera Pænitentia eſt, reſipiſcere de admiſſis, & factis pænitentiam oſtendere, ad eum currere, qui ſervare poteſt, idque toto corde, tota anima, totis viribus, ut lex priſca loquitur &c. Si vult omnes ſalvos fieri, qui pænitentiam egerint; quæcunque vero vult, poteſt; nihil ergo deeſt illis, qui conſtituti ſunt in peccatis, ad hoc ut ſalvi fiant, quam ut reſipiſcere velint, & pænitentiam factis oſtendere „. Carolus Magnus lib.6. *Legum* cap.160. „ Per Spiritum Sanctum remiſſio peccatorum in baptiſmo, Confirmatione, Pænitentia, &

cæte-

„ cæteris canonicis decretis confertur, „ & Fidelibus in Eccleſia, per Chriſtum, „ ejuſdem ſancti Spiritus dono, per mi- „ niſterium ſacerdotale, & per pæniten- „ tiam remiſſio peccatorum indubitan- „ ter attribuitur „.

VI. Probatur Rationibus. I. Pænitentia in ratione Sacramenti ab omnibus æquiparatur Baptiſmo; ſed Baptiſmus eſt verum novæ legis Sacramentum: ergo pariter Pœnitentia. Argumentum eſt Petri Lombardi lib. 4. *Sentent.* diſt. 14. verbis hiſce „ Poſt baptiſmum „ prolapſi per pænitentiam renovari va- „ lent, ſed non per baptismum; licet „ homini ſæpius pænitere, ſed non bap- „ tizari. Baptiſmus tantum eſt Sacra- „ mentum; ſed & Pænitentia dicitur & „ Sacramentum, & virtus mentis. Eſt „ enim Pænitentia interior, & exterior. „ Exterior Sacramentum eſt, interior „ virtus mentis eſt, & utraque cauſa ſa- „ lutis eſt, & juſtificationis. „. II. Datur in Eccleſia Sacramentum, ut deſtruat peccatum originale: ergo pariter dari debet in Eccleſia Sacramentum, ut deſtruat peccatum actuale. Eſt ratio Alberti Magni ad caput 4. Matthei. „ Pænitentia eſt Sacramen- „ tum deſtruens peccatum actuale com- „ miſſum; & hoc quidem in quantum „ contrarium eſt gratiæ, culpa vocatur; „ in quantum autem contrarium eſt vir- „ tuti, vocatur vitium. Pænitentia „ igitur, quæ eſt prædicabile primum, „ eſt Sacramentum Eccleſiæ, deſtruens „ peccatum in ſe, & omne peccati effe- „ ctum. „ III. Alexander Aleſius hanc alteram adducit rationem part. 4. quæſt. 14. membro 5. art. 2. „ Pæniten- „ tia iterari poteſt, dum eſt in hac vita; „ ſed poſt hanc vitam non poteſt. Et ra- „ tio, quare pænitentia poteſt, ac debeat „ iterari, & baptiſmus non, eſt triplex, „ una eſt, quia in baptiſmo imponitur „ Character, qui eſt indelebilis, in pæ- „ nitentia non. Secunda ratio eſt, quia „ baptiſmus eſt contra morbum non ite- „ rabilem, qualis eſt morbus peccati „ originalis, ſed pænitentia eſt contra „ morbum iterabilem, qualis eſt morbus „ peccati actualis. Tertia ratio eſt, quia „ baptiſmus habet totam efficaciam a „ paſſione Chriſti, pænitentia non, ſed „ ab actu noſtro, & ita baptiſmus non „ iteratur, ſecundum quod voluntas no- „ ſtra convertitur, & revertitur. Inde „ eſt, quod in baptiſmo omnis pæna re- „ mittitur, in pænitentia non; & ſi bap- „ tiſmus iteraretur, daretur nobis occa- „ ſio peccandi, non ſic in Pænitentia, quia „ bene punit. „. IV. Pænitentia omni tempore habita eſt ut novæ legis Sacramentum: ergo vere ita eſt. Antecedens probatur, enumerando Hæreticos illos, qui primis Eccleſiæ ſeculis, & deinde poſterioribus, Pænitentiam eſſe Eccleſiæ Sacramentum negarunt, & ab Eccleſia proſcripti ſunt, atque damnati. V. Dari debet Sacramentum, ut purificet nos ab omni labe lethali, quam nos ipſi contrahimus, ſicut datur Sacramentum, quod purificat nos a labe originali, quam contraximus per originem; ſed hoc eſt Pænitentia: ergo Pænitentia eſt verum Eccleſiæ Sacramentum. Major eſt Sancti Thomæ 3. par. q. 84. art. 1. in corp. *Sicut baptiſmus adhibetur ad purificandum a peccato, ita & Pænitentia; unde & Petrus dixit Simoni Mago Act. 8. Pænitentiam age ab hac nequitia tua; ſed Baptiſmus eſt Sacramentum, ut ſupra habitum eſt: ergo pari ratione & Pænitentia.* VI. Sicut Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ita & Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt; ſed nullum ex his duobus nobis profuiſſet, niſi Pænitentiæ Sacramentum inſtitutum fuiſſet: ergo &c.

Arguunt I. Ex Cyrillo Comment. in Joannem, & ex Hieronymo in cap. 44. Iſaiæ, verba illa: *accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*, non intelliguntur de remiſſione, quæ fit per modum judicii in Tribunali Pænitentiæ, ſed de remiſſione, quæ fit per prædicationem Evangelii, quia per prædicationem homines retrahuntur a vitiis, & ad virtutem excitantur; ergo ex verbis illis non eruitur, quod Pænitentia ſit novæ legis Sacramentum. Probatur antecedens ex præfato Hieronymo, qui citato loco ſcribit: *Solvunt eos Apoſtoli ſermone Dei, & teſtimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* II. Pænitentia habet eandem vim pro remiſſione peccatorum in nova lege, quam in veteri lege habebat; atqui in veteri lege non erat verum Sacramentum: ergo neque eſt in nova. III. Eodem prorſus modo intelligi debent verba illa Chriſti: *quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in Cælis*: ac verba illa: *quæcunque ligaveritis in terra, erunt*

erunt ligata & in Cælis; ſed per hæc poſtrema verba non intelligitur aliquod novæ Eccleſiæ Sacramentum: ergo nec per prima: ergo Pænitentia, quæ per prima verba importatur, non eſt verum novæ legis Sacramentum. IV. Omne Sacramentum novæ legis debet conſtare ex rebus, tanquam ex materia, & ex verbis, tanquam ex forma; ſed in Pænitentia non reperiuntur res, quæ ſint materia, neque verba, quæ ſint forma: ergo Pænitentia non eſt novæ legis Sacramentum. V. Chriſtus Dominus non expreſſe inſtituit Pænitentiæ Sacramentum, ſed tantum dedit Apoſtolis Poteſtatem, ut Peccatoribus veniam indulgerent; ſed hoc totum fieri poteſt per actum internum; & ex altera parte, ut eſſet Sacramentum, deberent intercedere res ſenſibiles, & verba ſenſibilia: ergo in rigore Pænitentia non eſt verum Eccleſiæ Sacramentum. VI. Dicitur quod per Pænitentiam remittuntur peccata; ſed non poteſt quilibet homo peccata remittere: ergo, quum homo non poſſit eſſe Pænitentiæ miniſter, Pænitentia non eſt verum Eccleſiæ Sacramentum. Probatur minor ex illo Marci 2. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* VII. Apoſtoli prædicaverunt Pænitentiam, quam Prophetæ prædicaverant, ex illo Actorum 10.; ſed Prophetæ non prædicaverunt, Pænitentiam eſſe Sacramentum: ergo neque Apoſtoli. VIII. Quod Pænitentia ſit verum Eccleſiæ Sacramentum, traditio nunquam docuit: ergo, quum non habeamus pro nobis traditionem, aſſerere non debemus, Pænitentiam eſſe verum Eccleſiæ Sacramentum. Probatur antecedens. Multi Theologi poſt Magiſtrum ſententiarum docuerunt, Sacerdotem non dimittere peccata, ſed declarare tantum eſſe dimiſſa; ſed hoc opponitur Traditioni, quod Pænitentia ſit Sacramentum: ergo nec fuit, nec eſt traditio &c. IX. Pænitentia non eſt Sacramentum a Sacramento Baptiſmi diſtinctum: ergo non eſt vere & proprie novæ legis Sacramentum. V. Si Pænitentia eſſet verum & proprie Eccleſiæ Sacramentum, omnia per ipſum remitti deberent peccata; ſed non omnia ſunt remiſſibilia, quia dantur peccata, quæ ſunt irremiſſibilia: ergo &c.

Reſpondemus ad I. Quod etſi unus aut alter ex Patribus expoſitionem illam de prædicatione depromat, nemo tamen ex illis alteram, quam nos damus, expoſitionem rejicit; unde bene ſtat, quod poteſt utraque admitti, præcipue quum noſtra ſit etiam ab Eccleſia admiſſa, & illam rejicere ſit ab Eccleſia damnatum; ut patet ex Tridentino ſeſſ. 14. Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pænitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit, detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema ſit.*

Hunc Canonem ſic explicat Eſtius in 4. diſtint. 14. §. 6. quod ſcilicet „ non adverſatur quibusdam Sanctorum Patrum expoſitionibus, etſi minus propriis, ſed in eos pronuntiatur, qui verba Domini Joan. 20. commentitiis interpretationibus ad auctoritatem prædicandi Evangelium, contra inſtitutionem Sacramenti Pænitentiæ, detorquent, quod faciunt Novatores, & a Sanctis Patribus citatis nuſquam factum legimus „. Cyrillus autem lib. 12. in Joan. expreſſe aſſerit, Sacerdotes dimittere peccata, & per Baptiſmum, & per Pænitentiam: *remittunt peccata, vel retinent ſpiritu afflati homines, duobus, ut arbitror, modis. Vel enim dignos ad baptiſmum vocant..... vel cum filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, vel pænitentibus ignoſcunt, ſicuti Paulus erga fornicarium Corinthium.*

Ad II. Quanvis Pænitentia, ut virtus eſt, eadem fuerit in veteri, ac in nova lege, non ſic tamen, ut eſt Sacramentum, quia in veteri lege Sacramentum non erat, in nova vero eſt. Proinde non eandem habebat vim, & efficaciam in veteri, ac habet in nova, quia in veteri dimittebat peccata ex opere operantis, in nova vero dimittit ex opere operato: ulterius in veteri Miniſter declarabat, peccata eſſe dimiſſa, in nova vero, quia eſt Judex, & Sacramentum eſt per modum Judicii, ipſe miniſter dimittit. Unde Davidi confitenti peccatum ſuum Nathan non dimiſit illud, ſed tantum declaravit a Deo fuiſſe dimiſſum, dicens: *Dominus tranſtulit peccatum tuum.*

Ad

Ad III. dicitur, quod facultas ligandi, & ſolvendi una eſt, ſed quæ duas habet partes, ambas tamen ad Sacramentum unum ordinatas, & hoc ratione ordinis, quem duæ hæ partes inter ſe dicunt; neque enim ſolvi poteſt, qui non ligatur. Unde etſi proprie Sacramentum Pænitentiæ conſiſtat in poteſtate ſolvendi, ſupponit tamen poteſtatem ligandi, quæ quamvis alterum non conſtituat Sacramentum, ad idem tamen pænitentiæ Sacramentum ordinatur.

Ad IV. negatur minor; in Sacramento enim pænitentiæ, ut ſuo loco dicetur, adeſt materia, & quidem remota, ſcilicet peccata, & etiam proxima, hoc eſt actus Pænitentis; adeſt ſimiliter & forma, quæ eſt ſacerdotalis abſolutio. Si autem dicant, quod in Sacramento Pænitentiæ non ſint hæc tria, videlicet Sacramentum tantum, res Sacramenti, & Sacramentum ſimul, & res Sacramenti; primo occurritur dicendo, quod hæc tria non inveniuntur ab Eccleſia definita, ſed tantum a Theologis de ſchola excogitata, ſecundo etiam occurritur addendo, quod tria hæc in Pænitentia inveniuntur, quia Confeſſio, & abſolutio dici poſſunt Sacramentum tantum; ſunt enim ſenſibiles, & gratiam ſignificant ſimul, & producunt; gratia vero, ſeu remiſſio peccatorum, quæ ſignificatur, & non ſignificat, eſt res Sacramenti; Contritio denique eſt Sacramentum ſimul, & res Sacramenti; Sacramentum quidem, quia per confeſſionem fit ſenſibilis, & res Sacramenti, quia ex ſe non cadit ſub ſenſu, ſed exprimitur per Confeſſionem; ut Theologi ipſi loquuntur.

Ad V. Quod eſt argumentum Calvini, dicitur, quod, quum Chriſtus Dominus voluerit, ut remiſſio peccatorum fieret per actum judicialem, & in actu judiciali ſententia non interius a Judice proferri ſoleat, ſed exterius debeat pronuntiari, inde eſt, quod actus internus non ſufficit, ſed exterior etiam actus requiratur. Inſuper præcepit Chriſtus, ut a Sacerdotibus, qui ſunt Pænitentiæ Miniſtri, ſententia abſolutionis per exteriora verba proferatur, & inde evenit praxis Eccleſiæ, qua ipſa conſtanter, & omni tempore, lapſis reconciliationem concedebat per verba, quæ leguntur in omnibus antiquis Pænitentialibus, tum ſacramentariis, tum ritualibus; & colligitur ex Cypriano epiſt. 10., qui carpit Sacerdotes, qui dabant lapſis pacem, *nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita*; ſcilicet, ut explicat Juenimus, precibus reconciliatoriis nōdum ſupra eos (ut ferebant Canones) recitatis. Colligitur pariter ex Auguſtino lib. 5. de bapt. cap. 20.: *quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur*.

Ad VI. Utique ſolus Deus peccata dimittit principaliter; at homo dimittit miniſterialiter; quum ergo Sacerdotes in Pænitentiæ Sacramento ſint Miniſtri Chriſti, poſſunt ipſi peccata dimittere, per virtutem quidem miniſterialem, abſque eo quod præjudicium inferatur Deo, qui ſolus per virtutem principalem remiſſor eſt Peccatorum.

Ad VII. Eandem Pænitentiæ virtutem prædicaverunt Apoſtoli, quam prædicaverant Prophetæ; at Prophetæ non prædicaverant Pænitentiæ Sacramentum, quod prædicaverunt Apoſtoli. Verba autem, quæ leguntur Actor. 26., ſcilicet quando dicebat Apoſtolus, *Se nihil extra dicere, quam ea, quæ Prophetæ loquuti ſunt futura*; non intelligi debent de Pænitentia, ſed de iis, quæ Chriſti paſſionem & reſurrectionem ſpectabant.

Ad VIII. Tres reſponſiones adhibet Jueninus, quas omnes ipſiuſmet verbis exponimus. „. Reſp. 1. Lutheranos, &
„ Calviniſtas ea ratione uti non poſſe,
„ ut Pænitentiæ Sacramentum impu-
„ gnent, quippe qui (ut jam fuit obſerva-
„ tum) Sacramenta in eorum ſyſtemate
„ nullam gratiam producant, ſed jam
„ producta ſigna ſint, ac ſigilla. II. Re-
„ ferri quidem a Richardo, & Hugone
„ Victorino, Scriptores aliquos, qui do-
„ cuerint, datam a Sacerdotibus abſolu-
„ tionem jejunam eſſe ac nudam pec-
„ cati prius remiſſi declarationem; ſed
„ eo in capite erraſſe aſſerunt iidem Ri-
„ chardus, & Hugo, præcipui Theologiæ
„ Scholaſticæ parentes. III. Magiſtro
„ ſententiarum viſum quidem fuiſſe,
„ quod per ſinceram cordis contritio-
„ nem peccata lapſis dimittantur; ſed ea
„ in contritione votum abſolutionis in-
„ cludi cenſuit; requiſivit enim, ut ejuſ-
„ modi contritio votum confitendi, ac

„ ſatisfaciendi propoſitum complectere-
„ tur . Unde ſequitur, quod licet juxta
„ Magiſtri ſententiarum principia, abſo-
„ lutio, cum actu datur, ſit modo judi-
„ ciali declarativa peccati prius remiſſi ;
„ peccatum tamen independenter ab ea,
„ ſaltem in voto recepta, non dimittatur.
„ Verum de ea Magiſtri ſententiarum
„ doctrina fuſe agemus, cum de contri-
„ tione inferius diſſeretur . „

Ad IX. & X. Concluſiones quæ ſequuntur, reſponſionem exhibebunt .

Dicimus II. Pænitentiam eſſe Sacramentum a Baptiſmi Sacramento omnino diſtinctum .

I. Probatur ex Scripturis, in quibus habemus præceptum baptiſmi a Pænitentiæ præcepto omnino diſtinctū : ergo pariter habemus Sacramentum Pænitentiæ a Baptiſmi Sacramento omnino diſtinctum . Et quidem Matth. 28. Baptiſmi præceptum legitur : *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti* . Pænitentiæ vero præceptum legitur Joannis 20. : *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt* . Inſuper remedium, quod in Pænitentia continetur, aliud eſt a remedio, quod continet baptiſmus ; & quando Scripturæ Pænitentiæ remedium nobis proponunt, ad baptiſmi memoriam non recurrunt, ut Novatores comminiſcuntur ; unde Joannes cap. 1. epiſt. 1. ut Lapſi peccatorum veniam obtineant, non remittit eos ad baptiſmi memoriam, ſed ad Pænitentiæ confeſſionem . *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus Deus, ut remittat nobis peccata noſtra* . Et Petrus Actor. 8. ad Pænitentiam pariter remittit Simonem Magum, non ad baptiſmi memoriam : *Pænitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum* . Paulus quoque inceſtuoſum Corinthium 1. Corinthior. 5. *ligavit*, & 11. Corinthior. 2. *ſolvit*, at nunquam ad baptiſmi memoriam demandavit . Denique ad Hebreos 6. docet, illos, qui ſemel ſunt baptizati, omnino non poſſe per baptiſmum, vel per baptiſmi memoriam, renovari : *impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, ... & prolapſi ſunt, rurſus renovari* .

II. Probatur ex Conciliis, & quidem ſolum Concilium Tridentinum afferimus, quia primus omnium, qui hunc errorem invenerit fuit Lutherus, ſcribens in libro *de captivit. Babylonica* cap. *de Bapt.* „ præbuit his opinionibus occaſionem verbum illud periculoſum D. Hieronymi, ſive male poſitum, ſive male intellectum, quo pænitentiam appellat ſecundam tabulam, poſt naufragium, quaſi baptiſmus non ſit Pænitentia . Hinc enim, ubi in peccatum lapſi fuerint, de prima tabula, ſeu navi, deſperantes, velut amiſſa, ſecundæ tantum incipiunt niti, & fidere tabulæ, ideſt Pænitentiæ . „ . Et circa finem . „ Pænitentiæ Sacramentum ſigno viſibili & divinitus inſtituto caret: aliud non eſſe dixi, quam viam, ac reditum ad baptiſmum . „ . Lutherum ſequutus eſt Melanchthon *in locis editis* anno 21. tit. *de Pænitentia* ; pariter Calvinus lib. 4. *Inſtitut.* cap. 15. §. 4., & cap. 19. §. 17. qui illud audaciæ ſignum tetigit, ut Hieronymum reprehenderit, quia dixerat, quod Pænitentia eſſet *ſecunda tabula naufragii* . „ Sed dictum eſt Hieronymi . Cujuſcunque ſit, quin plane impium ſit, excuſari nequit, ſi eorum ſenſu exponitur; quaſi vero per peccatum deleatur baptiſmus, & non potius in memoriam revocandus ſit peccatori, quoties de remiſſione peccatorum cogitat, ut illinc ſeſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet . . . . . Aptiſſime itaque dixeris, ſi baptiſmum vocaveris Pænitentiæ Sacramentum, cum in confirmatione gratiæ, & fiduciæ ſigillum, iis datus ſit, qui Pænitentiam meditantur . „ . Sequutus eſt pariter Kemnitius in 2. parte *Examinis* pag. 929. &c. Tridentinum igitur contra hos omnes docuit ſeſſ. 14. cap. 2. *Cæterum hoc Sacramentum Pænitentiæ multis rationibus a baptiſmo differre dignoſcitur . Nam præter quam quod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet, conſtat certe, Baptiſmi Miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus . Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare? Secus eſt de Domeſticis fidei, quos Chriſtus Dominus, lavacro Baptiſmi ſui, corporis membra ſemel effecit . Nam hos ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal*

nal, tanquam reos, ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pænitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt præterea Baptiſmi, & alius Pænitentiæ fructus. Per baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pænitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus. Et Can. 2. *Si quis, Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pænitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pænitentiam non recte ſecundam poſt naufragii tabulam appellari; anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. *de Pænit.* cap. 7. *Hæc igitur venena providens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc patere permiſit. Collocavit in veſtibulo Pænitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat.* Et cap. 4. Pænitentiam vocat, *ſecundam poſt naufragium tabulam.* Et cap. 7. *Secundam ſpem.* Cyprianus epiſt. 52. *Miror autem, quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent Lapſis Pænitentiam, aut Pænitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: memento unde cecideris, & age Pænitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur per opera rurſus exurgere, quia ſcriptum eſt: Eleemoſyna a morte liberat, & non utique ab illa morte, quam ſemel Chriſti Sanguis extinguit, & a qua nos ſalutaris baptiſmi, & Redemptoris noſtri gratia liberavit, ſed ab ea, quæ per delicta poſtmodum ſerpit.* Athanaſius lib. *de Peccato in Spiritum Sanctum* ad Serapionem. *Eſt inter Pænitentiam, & Baptiſma non leve diſcrimen. Quem enim pænitet, is deſinit quidem peccare, ſed tamen retinet vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit; tum ſuperne renovatur, quaſi de integro regeneratus Spiritus gratia.* Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum. *Baptiſmus Sacramentum eſt dominicæ Paſſionis; Pænitentiæ venia meritum Confitentis. Illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt; ideſt gratuita donatio; labor vero iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lacrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.* Joannes Chryſoſtomus homil. 9. in Epiſtolam ad Hebreos. *Novos facere eſt ſolius Baptiſmi, Pænitentiæ autem eſt, eos, qui, novi facti ſunt, deinde in peccatis inveteraverunt, liberare a vetuſtate, ſolidoſque reddere; ad illum autem ſplendorem non licet reducere: illic enim totum eſt gratia.* Auguſtinus Serm. 195. alias 41. ex homiliis quinquaginta: *ægrotant homines, mittunt ad Eccleſiam, vel portantur ad Eccleſiam, & baptizantur, & renovantur, & fælices hinc erunt. Sed non ipſa eſt cauſa Pænitentiæ. Qui nondum accepit Baptiſmum, nondum violavit Sacramentum: qui autem violavit Sacramentum, male & perdite vivendo, & ideo remotus eſt ab Altari, ne judicium ſibi manducet, & bibat, mutet vitam, corrigat ſeſe, & reconcilietur, cum vivit, dum ſanus eſt.*

IV. Probatur rationibus. I. Peccata, quæ committuntur poſt baptiſmum, dimittuntur longe difficilius, quam peccata, quæ ante baptiſmum perpatrantur: ergo ad ea delenda non ſufficit baptiſmi Sacramentum, vel ejus memoria, ſed requiritur ſpeciale Pænitentiæ Sacramentum. Antecedens eſt doctrina S. Auguſtini homil. 50. inter quinquaginta cap. 5., ubi loquens de peccatis commiſſis a baptizatis, hæc habet. *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis Sacrificium, cooperantibus Eleemoſynis.* Eſt pariter Doctrina Tridentini ſeſſ. 14. cap. 2. *Per baptiſmum Chriſtum induentes nova prorſus in illo efficimur Creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pænitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, ut merito Pænitentia laborioſus quidam baptiſmus a SS. Patribus dictus fuerit.* II. Baptizati, qui peccant poſt baptiſmum, ut reſurgant, & ſanentur, non remitti debent ad baptiſmum, & ejus memoriam, ſed ad labores Pænitentiæ, & ad Eccleſiæ claves: ergo non ſufficit baptiſmus. Antecedens eſt do-

ctrina

ctrina Patrum, & præcipue Cypriani in tractatu *de Lapſis*, & in multis ex ejus Epiſtolis, & Tridentini ſeſſ. 14. Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens ipſum baptiſmum Pænitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo Pænitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari: anathema ſit.* III. In Sacramento Pænitentiæ eſt ſubjectum, Miniſter, forma, materia, & effectus, qui ſunt omnino diverſi & diſtincti ab illis, qui ſunt Sacramenti baptiſmi: ergo eſt Sacramentum omnino diverſum. Probatur Antecedens. Subjectum Pænitentiæ eſt tantum homo baptizatus, Baptiſmi eſt quilibet homo; Miniſter illius eſt Sacerdos, hujus vero homo quicunque; Materia illius ſunt peccata, & actus Pænitentis, hujus eſt aqua; forma illius ſunt verba abſolutionis, hujus ſunt verba baptizantis; effectus illius eſt remiſſio actualium peccatorum, hujus vero etiam originalis remiſſio. IV. Sacramentum baptiſmi eſt initerabile, adeoque imprimit characterem; non ſic vero Sacramentum Pænitentiæ, quod iterari poteſt, & characterem non imprimit.

Objiciunt I. Ad Epheſ. 5. Apoſtolus tribuit omnem mundationem baptiſmo, ſcribens: *ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*: ergo Pænitentia vel non mundat, vel mundat per baptiſmum, quod idem eſt ac dicere per memoriam ejus. II. Habemus in Evangelio baptiſmum Pænitentiæ, quem prædicavit Joannes in peccatorum remiſſionem: ergo ſi hoc eſt Pænitentiæ Sacramentum, a Sacramento baptiſmi non eſt diſtinctum. III. Auguſtinus pluribus in locis docet, & præcipue lib. 2. *de gratia, & peccato originali* cap. 39. & 40. Lib. 1. *de nuptiis, & concupiſcentia* cap. 23. Lib. 6. *contra Julianum* cap. 13. & 18. Lib. 3. *ad Bonifacium* cap. 3., quod omnia peccata, etiam commiſſa poſt baptiſmum, per baptiſmum ipſum dimittuntur: ergo ex Auguſtino Sacramentum Pænitentiæ non eſt diſtinctum a Sacramento Baptiſmi. IV. S. Thomas interpretans verba illa Apoſtoli ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte ..... & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad Pænitentiam*; nomine Pænitentiæ renovandæ intelligit baptiſmum. V. Scriptura non loquitur de baptiſmo, & Pænitentia tanquam de duobus Sacramentis ſpecie, & numero diſtinctis; quod probatur, quia Chriſtus, quando miſit diſcipulos ad prædicandum Evangelium, dedit eis poteſtatem non ſolum baptizandi, ſed etiam remittendi peccata: legitur enim Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, et Spiritus Sancti*. Et rurſus. *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis*. VI. Baptiſmus non ſolum remittit peccatum originale, ſed etiam peccata actualia;. unde Auguſtinus: *lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, ſed etiam poſterius admiſſa remittuntur*: ergo Sacramentum Baptiſmi non eſt diſtinctum a Sacramento Pænitentiæ. VII. Eadem eſt gratia regenerativa, & gratia ſuſcitativa; ſed illa eſt effectus baptiſmi: ergo pariter hæc. VIII. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 30. vocat baptiſmum *Sacramentum Fidei, & Pænitentiæ*; ergo nullam inter hæc Sacramenta differentiam agnoſcit.

Reſpondemus ad I. quod quauvis omnis mundatio, reſpectu peccatorum antecedentium, tribuatur baptiſmo vere & effective, reſpectu vero peccatorum ſubſequentium, tribuitur baptiſmo fundamentaliter, præſuppoſitive, & diſpoſitive, quia nemo per Sacramentum Pænitentiæ mundari poteſt, niſi ille qui fuerit antecedenter baptizatus; quum Baptiſmus ſit Sacramentorum omnium janua.

Ad II. Ideo Joannes vocavit baptiſmum ſuum, quem ipſe prædicabat, & conferebat, baptiſmum Pænitentiæ, quia tota ejus vis a Pænitentia dependebat; at non ita eſt in baptiſmo Chriſti, ut diximus, quando de diſcrimine inter baptiſmum Chriſti, & Joannis agebamus.

Ad III. Auguſtinus tribuit remiſſionem peccatorum baptiſmo in ea ratione, qua intelligit, Baptiſmum eſſe diſpoſitionem quandam, ſeu fundamentum præſuppoſitum ad obtinendam peccatorum veniam, miniſterio clavium Eccleſiæ. Et hæc ſunt ejus verba, quibus ſuam mentem aperit lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 33. *Peccata, quæ poſterius humana ignorantia, vel infirmitate, contrahuntur, in baptiſmo remittuntur, non ut baptiſma, quoties*

pec-

peccatur, toties repetatur, ſed quia eo ipſo, quod ſemel datur, fit ut non ſolum antea, verum etiam poſtea, quorumlibet Peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmum Pænitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet? In ipſa quoque oratione dominica, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, dimitte nobis debita noſtra, niſi ab eis, qui baptizati ſunt diceretur?

Ad IV. dicitur a P. Boucat, quod Apoſtolus ibi loquitur de Pænitentia veteris legis, ut perſtringat Judæos, qui putabant, baptiſmum renovari poſſe, ſicut Pænitentia, quam prædicabat Joannes Baptiſta; non vero loquitur de Sacramento Pænitentiæ novæ legis, tanquam a Sacramento baptiſmi indiſtincto; & addit, quod hæc eſt ſolutio S. Thomæ. At clarius & rectius verba illa explicat diſſ. 4. §.9.

Ad V. Idem P. Boucat cum hac diſtinctione reſpondet: „ Chriſtus ſuos mittendo Diſcipulos dedit eis poteſtatem baptizandi ſimul, & remittendi peccata diverſimode, concedo; eodem modo, nego. Conſtituit eos baptiſmi miniſtros ordinarios, extraordinarios laicos: Pænitentiæ vero ſolos Presbyteros, & hoc per modum jurisdictionis; quo circa laici, Subdiaconi, & Diaconi, etiam de via extraordinaria, defectu poteſtatis juriſdictionis, a peccatis abſolvere non poſſunt. Omnis igitur, qui abſolvit, poteſt & baptizare; ſed non e contra „.

Ad VI. Diſtinguitur propoſitio illa: baptiſmus etiam peccata actualia dimittit; ante baptiſmi ſuſceptionem commiſſa, conceditur; poſt baptiſmi ſuſceptionem; ſubdiſtinguitur; radicaliter, conceditur; formaliter negatur; diſtinctio patet ex dictis.

Ad VII. diſtinguitur major; gratia regenerativa & ſuſcitativa eadem eſt, materialiter, ſeu entitative, conceditur; formaliter, & in eſſe ſacramentali, negatur. Quanvis enim gratia habitualis, quæ dicitur generalis, ab omnibus Sacramentis conferatur, adeoque in hoc ſenſu dici poſſit eadem; gratia vero ſpecialis ab unoquoq; Sacramẽto diverſimode confertur; Baptiſmus enim Confert per modum regenerationis; Confirmatio per modum roboris, & fortitudinis; Pænitentia per modum medicinæ, & curationis; Euchariſtia per modum cibi, & confortationis &c.

Ad VIII. dicitur, quod S. Fulgentius appellat baptiſmum Sacramentum fidei, & Pænitentiæ reſpectu Infidelium Adultorum, qui non admittuntur ad baptiſmum, niſi aliquam de commiſſis peccatis Pænitentiam præmittant, ut ibidem S. Fulgentius ſe explicat; non vero reſpectu illorum, qui peccant poſt baptiſmum, de quibus intelligenda eſt controverſia.

Dicimus III. nullum eſſe in hac vita peccatum irremiſſibile.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 18. ubi a Chriſto traditur potentia peccata dimittendi, nulla fit diſtinctio peccatorum; dicitur enim: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo*. II. ad Corinth. 2. Apoſtolus poſt pænitentiam ſuſcepit, & Eccleſiæ tradidit inceſtuoſum Corinthium, quem prius Satanæ tradiderat; ſcribens: *Nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti*: quæ verba obiiciebat Ambroſius Novatianis lib. 1. *de Pænitentia* cap. 7. *Jus ſibi vindicavit Paulus acceptum, non uſurpavit indebitum*. Et cap. 16. *Cum igitur Apoſtolus peccatum remiſerit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Chriſti, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum miſericordem, noverat Dominum Jeſum ſeveritate magis Diſcipulorum offenſum, quam miſericordia*. Inſuper plurima quoque ſunt antiqui Fæderis teſtimonia, quibus peccata omnia, etſi immania, remiſſibilia eſſe perhibetur. Iſaiæ 1. 16. *Lavamini, mundi eſtote, ... quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere ... & venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. Ezechielis 18. 21. *Si impius egerit Pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt ..., vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor*; & infra: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii ...., & non convertatur a viis ſuis, & vivat?* Quibus verbis adhærens S. Petrus ait epiſt. 2. cap. 3. 9. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti*.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Cæleſtinus epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ.

Hor-

Horremus tantæ impietotis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſſit ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & perielitantem ſub onere peccatorum hominem pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere, cum Deus ad ſubveniendum ſit paratiſſimus, & invitans ad pænitentiam ſic promittat: Peccator quacunque die converſus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei. Salutem homini adimit, quiſquis mortis tempore pænitentiam ei denegaverit. Leo Magnus epiſt. 151. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi grotiam, ſed etiam per Pænitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum Homo Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pænitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgotos, ad Communionem Sacramentorum per jonuam Reconcillationis admitterent. Cui utique operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationē ſeculi, ut ſi quid per ſervitutem noſtram bono ordine, & gratulando impletur affectu, non ambigamus, per Spiritum Sanctum fuiſſe donatum.* Refertur cap. *Multiplex*. Diſt. 1. *de Pænitentia*. Gregorius Magnus lib7. Moral. cap. 2. *Per veram pænitentiam, quamvis multa & graviſſima ſint peccata, per miſericordiam Dei facile relaxantur, & apud miſericordiam ſuam leve eſt peccatum quod relaxatur.* Innocentius III. Serm. 1. in Feſto Converſionis Pauli. *Nullus præ multitudine & magnitudine peccatorum deſperet, quia Deus non ſolum recipit pænitentes, verum etiam attrahit peccatores: nam a diebus Joannis Baptiſtæ Regnum Æternum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Nullus omnino deſperet, quia Deus patiens, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitiam, ſuavis, & mitis, & copioſus in miſericordia omnibus invocantibus ſe; quia non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Romanum, in quo ſexaginta Epiſcopi damnaverunt Novatiani errorem, & quorum judicio ſe ſubſcripſerunt cæteri per orbem Epiſcopi, quod teſtatur Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 43., ſatis probat, nullum eſſe peccatum, quod per pænitentiam ſit irremiſſibile. Pariter in Cappadocia damnatus fuit error Novatiani in Concilio, quod memorat Firmilianus, illius Provinciæ Metropolitanus in ſua ad S. Cyprianum epiſtola. Pluribus quoque Conciliis idem error damnatus eſt in Africa, ut legitur in epiſtola Synodica, quæ eſt 54. inter illas S. Cypriani. Et præcipue Alexandriæ legimus quoque proſcriptum, & apud Dionyſium Alexandrinum, & apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 8. Denique Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam, in baptiſmo, ipſius beneficio, & gratia, ſuſceptam, conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtram, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſervitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pænitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pænitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſoria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui potuiſſent, ut perverſitate abjecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtarentur. Unde Propheta ait: Convertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis; & Princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initiandis pænitentiam commendans dicebat: pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; veſtrum. Porro nec ante adventum Chriſti Pænitentia erat Sacramentū, nec eſt poſt adventū ipſius cuiquam ante baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue inſtituit,*

tuit tunc præcipue, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tamen inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus, fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit; & Novatianos, remittendi peccata poteſtatem olim pertinaciter negantes magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam hæreticos, exploſit, atque condemnavit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitios interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Evangelium annunciandi, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem, falſo detorquent.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Chryſoſtomus lib. 3. *de Sacerdotio* cap. 4. *Noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ naves, non dico purgatos probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Gregorius Nyſſenus de vita Moyſis, ſeu de vita perfecta: *Moyſes rurſum per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quæ res quantum qualeque ſit Pænitentiæ Sacramentum, docet: Nam qui poſt quam ſemel biberunt e lapide, quamvis ad ventrem, & Ægyptias voluptates lapſi, bonorum privatione, ac doloris perpeſſione in deſerto condemnentur: poſſunt tamen virtute pænitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, invenire, ac fontes, quos delinquendo obſerarunt, pænitendo reſerare.* Et Orat. in eos, qui durius & acerbius alios judicant: *Quid enim eſt aliud Pænitentia, niſi diſſolutio & averſio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione ſunt admiſſa? Qui vera cognita Pænitentiæ utilitate adhuc in flagitiorum, & impietatis cœno volutatur, ſimilis eſt illi ſervo, qui Dominum ſibi iratum ſciens, in ejus conſpectu ſcelerate ſe gerit, peccatumque duplicat.* Cyrillus Alexandrinus in Joan. lib. 12. cap. 56. *Qua ratione divinæ naturæ dignitatem ac poteſtatem diſcipulis ſuis Salvator largitus eſt. Quia certe abſurdum non eſt, peccata remitti poſſe ab illis, qui Spiritum Sanctum in ſe ipſis habeant. Nam eum ipſi remittunt, aut detinent, Spiritus, qui habitat in iis, per eos remittit, aut detinet; erit autem id per eos duobus, ut arbitror, modis; primum baptiſmo, deinde pænitentia. Nam aut credentes, & vitæ ſanctimonia probatos homines ad baptiſmum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt; aut Eccleſiæ filios peccantes quidem increpant, pænitentibus autem indulgent. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, ut ſpiritus ejus ſalvaretur, recepitque rurſus, ne majore ſubmergeretur dolore.* Baſilius Seleucius Orat. in Jonam: *Veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem, & clamaverunt ad Deum in fortitudine, & converſus eſt quilibet a via ſua mala. Hæc veræ pænitentiæ ſunt indicia, lugens anima, lacrymantes oculi, diſceſſio a malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compreſſio, injuſtitiæ devitatio. His peccatum purgatur, his divinum decretum cedere non erubeſcit, Deus ſolvit ſententiam, & corrigit periculum. Enim vero humani generis amator vultus appropinquantem veneratus pænitentiam, ſupplicanti paret; lacrymantem liberat, compatitur flenti, victorioſum emittit. Vidit enim, inquit, Deus opera eorum, quod converſi ſunt a viis ſuis malis. Pænitentia pænitentiam peperit. Homines mutantur, & Deus Pænitentia ducitur. O divinam bonitatem, ad qualem dignitatem evexit pænitentiam? Homines lacrymantur, & Deus mutatur; mortales lugent, & ſolvit ſententiam Immortalis. Non enim vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur ad ipſum, & vivat.*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus lib. de Pænitentia cap. 4. *Vivo, inquit Dominus, & Pænitentiam molo, quam mortem: ergo Pænitentia vita eſt, cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei ſimilis, (imo me minor, ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum perlevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.* Et cap. 7. *Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur. Cæterum finem utique evadendi habebis, cum offendendi non habebit. Evaſimus ſemel; hactenus periculoſis noſmetipſos inferamus, & ſi iterum evaſuri videamur. Pleraque naufragia*

gio liberati, exinde repudium, & navi, & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam; nolant iterum divinæ miſericordiæ oneri eſſe; formidant videri inculcare, quod conſecuti ſunt; bona certe ſollicitudine iterum experiri vitant, quod ſemel didicerant timere. Ita modus temeritatis teſtatio eſt timoris. Timor autem hominis, Dei honor eſt; ſed enim pervicaciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit. At quin tunc maxime ſævit, cum hominem plene ſentit liberatum; tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiſcat neceſſe eſt, venia peccatorum permiſſa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro ſua eraſos. Dolet, quod ipſum, & Angelos eius, Chriſti ſervus ille peccator judicaturus eſt &c. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo pænitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat. Sed jam ſemel, quia jam ſecundo, ſed amplius nunquam, quia proxime fruſtra. Non enim, & hoc ſemel ſatis eſt? Habet, quod jam non merebaris, amiſiſti enim quod acceperas. Si tibi Indulgentia Domini accommodat, unde reſtituas, quod amiſeras, iterato beneficio gratus eſto, nedum ampliato; majus eſt enim reſtituere, quam dare, quoniam miſerius eſt perdidiſſe, quam omnino non accepiſſe. Verum non ſtatim ſuccidendus, ac ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ quis Pænitentiæ debitor fuerit: pigeat ſane peccare rurſus, ſed rurſus pænitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum extiterit, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris. Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes. Cyprianus epiſt. 34. *Statueramus quidem jam pridem, frater chariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab Adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pænitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione & pace ad Dominum demitterentur, quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cælis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.* Hilarius Can. 18. in Matthæum. *Neque fas eſt, nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam ſine modo nobis a Deo fuerit indulta.* Pacianus epiſt. 1. ad Sympronianum Novatianum. *Nunquam Deus non pænitenti comminaretur, niſi ignoſceret pænitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt; ſed, & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in Cælis &c. Cur hoc, ſi ligare hominibus, ac ſolvere non licebat? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum Sanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare; quia totum hoc non aliis, quam Apoſtolis imperatum eſt. Quod ſi uno in loco & reſolutio vinculorum, & Sacramenti poteſtas datur, aut totum ad nos ex Apoſtolorum forma, & poteſtate deductum eſt, aut nec illud ex decretis relaxatum: ego, inquit, fundamentum poſui, alius autem ſuper ædificat. Hoc ergo ſuperædificamus, quod Apoſtolorum doctrina fundavit. Denique, & Epiſcopi Apoſtoli nominantur, ſicut de Epaphrodito Paulus ediſſerit: Fratrem, & Commilitonem, inquit, meum, veſtrum autem Apoſtolum. Si ergo & lavacri, & criſmatis poteſtas majorum & longe chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque ſolvendi. Quod etſi nos ob noſtra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut Sanctis, & Apoſtolorum cathedram tenentibus non reſtabit, qui Epiſcopis etiam unici ſui nomen indulſit.* Et Paræneſi ad Pænitentiam. *Apocalypſis ſeptem Eccleſiis, niſi pænitentiam egerint, comminatur. Neque utique non pænitentibus comminaretur, niſi ignoſceret pænitentibus. Etiam ipſe Deus dicit: memento unde excideris, & fac pænitentiam; & iterum: cum ingemueris, ſalvus eris.* Ambroſius lib. 2. de Pænitentia cap. 27. *Lazarum Judæi interficere volebant. Nonne merito eorum ſucceſſores vos fore cognoſcitis, quorum duritiæ*

Digitized by Google

ritiæ hæredes eſtis? Nam & vos indignamini, & contra Eccleſiam congregatis Concilium; quia videtis mortuos in Eccleſia reviviſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari. Itaque, quod in vobis eſt, per invidiam vultis interficere reſuſcitatos. Sed Ieſus non revocat beneficia, imo cumulo ſuæ liberalitatis amplificat. Reviviſcit ſolicite reſuſcitatũ, & celebratæ reſurrectionis gratia lætus ad Cœnam venit, quam ei ſua præparavit Eccleſia, in qua ille, qui fuerat mortuus, vivus inter diſcumbentes cum Chriſto invenitur. Et Exhortatione ad agendam Pænitentiam. *Baptizatus homo, ſi poſtea deſertor, violatorque Sacramenti fuerit, peccat, & Deum repellit a ſe. Si autem agat Pænitentiam ex toto corde, ubi Deus videt, ſalvabitur, ſicut vidit cor Davidis, quando increpatus a Propheta graviter, poſt comminationes terribiles Dei, exclamavit dicens: Peccavi: & mox audivit: abſtulit peccatum tuum. Quantum valent tres ſyllabæ? Tres enim ſyllabæ ſunt: Peccavi: ſed in iſtis tribus ſyllabis flamma ſacrificii cordis ejus ad cælum aſcendit. Ergo qui egerit veraciter pænitentiam, & ſolutus fuerit a ligamento, quo erat conſtrictus, & a Chriſti corpore ſeparatus, ut bene poſt pænitentiam vixerit, cum defunctus fuerit ad Dominum vadit, ad requiem vadit, Regno Dei non privabitur, & a populo Diaboli ſeparabitur.* Et Lib. 2. *de Pænitentia* cap. 4. num. 26. *Omnibus converſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt: omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Et lib. 1. cap. 2. *Dominus nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.* Hieronymus epiſt. ad Oceanum de Bigamia. *Fruſtra mortuus eſt Chriſtus, ſi aliquos vivificare non poteſt. Mentitur Joannes Baptiſta, & digito Chriſtum, & voce demonſtrans: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit.* Denique S. Auguſtinus cum lib. 1. *de Serm. Domini in monte* dixiſſet, eſſe aliquod peccatum ad mortem, quod remitti non poteſt, libro tamen *Retractationum* 2. cap. 19. num. 7. ait. *Addendum fuit, ſi in hac tam ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vitam. Quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto, non eſt utique deſperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur.*

VI. probatur Rationibus I. Si eſſet peccatum aliquod irremiſſibile per pænitentiæ Sacramentum, vel hoc eſſet ex defectu auctoritatis in miniſtro, vel ex defectu poteſtatis a Chriſto Domino traditæ eidem miniſtro; ſed ex nullo ex his duobus capitibus: ergo nullum eſt peccatum per pænitentiæ Sacramentum irremiſsibile. Probatur Minor. Non ex primo, quia auctoritas, quam miniſter habet, eſt univerſalis, & ad quæcunque peccata remittendi; neque ex ſecundo, quia Chriſtus poteſtatem miniſtris traditam non limitavit, nec ad tempus, nec ad crimina: ergo &c. II. Ideo Adverſarij dicunt, aliqua peccata eſſe a Sacerdotibus irremiſſibilia, quia Deus illorum remiſſionem ſibi ſoli reſervavit; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor: quia ex S. Paciano epiſt. 1. ad Sympronianum, *quod per ſuos Sacerdotes facit Chriſtus, ſua poteſtas eſt.* Et epiſt. 3. *Quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini: Dei enim ſumus adiutores.* Ex quibus deinde infert, quod ſemper Chriſtus ſolus eſt cauſſa principalis remiſſionis peccatorum; Sacerdotes vero ſunt tantum cauſa miniſterialis: *quare, ſive baptizamus, ſive ad pænitentiã cogimus, ſeu veniam petentibus relaxamus; Chriſto id Auctore tractamus.* III. Scripturarum teſtimonia, per quæ Sacerdotibus confertur poteſtas remittendi peccata, non ſunt de aliquibus tantum peccatis, ſed de omnibus, etiam de gravioribus; & quæ in Deum ipſum committuntur: ergo ex nullo capite Scripturarum probari poteſt, quod ſit peccatum aliquod per Eccleſiam irremiſſibile. Antecedens eſt doctrina Sancti Ambroſii lib. de *Pænitentia* cap. 3. *Deum nullam feciſſe diſtinctionem, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* IV. Si Eccleſiæ claves extenduntur ad quæcunque crimina ſolvenda, nullum erit in Eccleſia peccatum irremiſſibile: ſed ita de facto extenduntur Eccleſiæ claves: ergo &c. Minor eſt doctrina S. Hilarii can. 16. in Matt. ad verba illa Matthæi: *tu es Chriſtus filius Dei vivi*; pro quibus explicandis exclamat. *O in nuncupatione novi nominis fælix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra*

diſſolvent! O beatus Cœli Janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cœlo; ut quæ in terris, aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuiſti, ut eandem conditionem obtineant, & in Cœlo.

Opponunt I. Quanvis ex Scripturis, & ex Patribus conſtet, quod Eccleſiæ Miniſtri habeant poteſtatem remittendi peccata, quæ commiſſa fuerint ante baptiſmum, non tamen conſtat, quod habeant illam remittendi peccata, quæ baptiſmum ſequuntur: ergo ſaltem peccata commiſſa poſt baptiſmi ſuſceptionem ſunt irremiſſibilia. II. Etſi concedatur, quod Apoſtolis fuerit a Deo tributa poteſtas remittendi omnia peccata, non ex hoc tamen evincitur, quod fuerit aliis hæc eadem facultas conceſſa. III. Aliud eſt denegare Eccleſiæ auctoritatem ligandi, per quam poteſt imponere pænarum vincula, & quæ a nemine negatur; aliud eſt denegare auctoritatem ſolvendi, quam Deus ſibi ſoli reſervavit. IV. Nec Eccleſiæ traditio, nec ejuſdem praxis, probare poterunt unquam, quod peccata omnia, etiam enormia, fuerint ab Eccleſiæ Miniſtris remiſſa primis ſaltem Eccleſiæ ſeculis. V. Morinus lib. 9. *de Pænitentia* cap. 28. aſſerit, blaſphemiam in Spiritum Sanctum, ſeu Fidei negationem, & Apoſtaſiam, prioribus ſeculis nunquam a Deo, & ab Eccleſia veniam obtinuiſſe: ergo ſaltem hoc crimen putatum fuit in Eccleſia irremiſſibile. VI. Athanaſius epiſt. 4. ad Serapionem teſtatur, Origenem, & Theognoſtum putaſſe, peccatum in Spiritum Sanctum fuiſſe ab Eccleſia irremiſſibile, & hæc ſunt ejus verba: *Priſci certe Viri, Origenes, eruditiſſimus & laborioſus ſcriptor, & Theognoſtus admirandus ille & ſtudioſus homo ..... aiunt, illam eſſe in Spiritum Sanctum blaſphemiam, cum ii, quibus in baptiſmate donum Spiritus ſancti tributum, ad peccata recidunt, ideoque illos remiſſionem non conſecuturos ajunt; quemadmodum & Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hæbreos ait: impoſſibile eſt &c. Idipſum ambo dicunt.* VII. Ipſemet Athanaſius de blaſphemia in Spiritum Sanctum idem tulit judicium, quod ſcilicet ſit irremiſſibile, verbis hiſce, quæ habet in epiſt. 4. ad Serapionem n. 12. *Cum autem illos* (Phariſæos) *de multis criminibus prius accuſaret Salvator, quod ſcilicet legem de parentibus latam propter pecuniam tranſgrederentur, & Prophetarum dicta reſpuerent &c....., attamen hortabatur eos, ut pænitentiam agerent. Verum, ubi ipſum dicerent in Beelzebub ejicere dæmonia, non hoc ultra peccatam ſimpliciter, ſed blaſphemiam dixit eſſe tantam, ut qui talia proferre auſi eſſent, nec pænam effugere, nec veniam obtinere poſſent.* VIII. Alii etiam Patres Concluſioni noſtræ adverſantur, & ſunt Firmilianus in epiſt. ad S. Cyprianum, quæ eſt inter Cyprianicas 75. *Non quaſi a nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed ut per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum convertantur, & Domino plenius ſatiſfacere cogantur.* Pacianus in epiſt. 3. ad Sympronianum, de blaſphemia in Spiritum Sanctum dicit: *non remittetur, nec in hoc ſeculo, neque in futuro.* Ambroſius lib. 2. de Pænitentia cap. 4. loquens de Phariſæis, qui opera Chriſti Diabolo tribuebant, ſcribit. *Hos ergo, qui hæc loquuntur, negat ad veniam pertinere.* Et paulo poſt. *Reſponſum eſt igitur a Domino blaſphemiæ Phariſæorum; & ideo his poteſtatis ſuæ gratiam negat, quæ in remiſſionem peccatorum eſt, qui cœleſtem ejus poteſtatem diabolico fultam ſuffragio vindicarunt.* Hieronymus epiſt. 149. ad Marcellum de eodem crimine in Spiritum Sanctum ſcribit: *Manifeſtum eſt, peccatum in Spiritum Sanctum ideo non poſſe dimitti, quod habeat blaſphemiam, ut cum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur* (Novatianus) *aliquem negatorem Beelzebub vocaſſe Chriſtum, & ultro referam gradum, negatorem non poſſe veniam conſequi poſt ruinam.*

Reſpondemus ad I. ex Ambroſio lib. 1. *de Pænitentia* cap. 6., quod Eccleſiæ poteſtas eadem eſt, tam pro remittendis peccatis, quæ committuntur ante baptiſmum, quam pro illis relaxandis, quæ baptiſmum ſequuntur. *In baptiſmo utique remiſſio peccatorum omnium Sacerdotes vindicent? Unum in utroque myſterium eſt. Sed dicis, quia in lavacro operatur myſteriorum gratia, quid in Pænitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis vindicatis vobis Dei gratiam, ubi vultis repudiatis? Sed hoc inſolentis arrogantiæ, non ſancti timoris eſt, ut faſtidio vobis ſint, qui volunt agere pænitentiam.*

Ad II. reſpondet S. Pacianus epiſt. 1. verbis hiſce: *ergo, & baptizare ſolis licet Apoſtolis, & Spiritum Sanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare, quia totum hoc, non aliis, quam Apoſtolis imperatum eſt? . . . . Si ergo & lavacri, & Chriſmatis poteſtas majorum longe Chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adſuit, atque ſolvendi, ut in probationibus eſt dictum.*

Ad III. Ex Ambroſio lib. 1. de Pænitentia cap. 2. dicimus, quod eadem eſt poteſtas in Eccleſia & ligandi, & ſolvendi: *Dominus par jus eſſe voluit ſolvendi, & ligandi, qui utrunque pari conditione permiſit*. Inſuper ad Dei miſericordiam ſpectat, quod potior ſit in Eccleſia poteſtas ſolvendi, quam ligandi. Denique, ex eodem Ambroſio, inutilis eſt Pænitentia quando ſpe veniæ eſt deſtituta. *Nemo poteſt bene agere Pænitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam* Et cap. 16. *Fruſtra dicitis vos* (Novatiani) *prædicare pænitentiam, qui tollitis fructum pænitentiæ. Homines enim ad aliquod ſtudium, aut præmiis, aut fructibus, incitantur; omne autem ſtudium torpeſcit dilatione.*

Ad IV. Praxis Eccleſiæ, ac ejuſdem conſtans & perpetua traditio, ſatis conſtaut ex communi Eccleſiarum omnium voto; quo impium Novatianorum Dogma proſcriptum fuit, & in Africa, & in Italia. Inſuper ubique Eccleſia conſuevit pænitentes quoſcunque ad pacem, & veniam admittere. Denique Conciliorum decreta evincunt, quod nuſquam Eccleſia a Chriſti pietate in quibuscunque criminibus dimittendis deſcivit.

Ad V. Morinus priora ſua verba in ulteriori editione his aliis verbis emollivit, & explicavit: *Non fuit a me dictum de certa quadam ſpecie peccati, quæ ſit ex natura ſua irremiſſibilis, cum nulla ſit ejuſmodi; ſed de nonnullis gravium peccatorum circumſtantiis, propter quas Deus impiis iſtis auxilia pænitendi ſubtrahit*. Morini explicationem nihilominus non admittit Tournely, immo potius deridet verbis hiſce. „
„ At frigida profecto videtur expoſi-
„ tio hæc, & merum effugium: perinde
„ enim eſt, peccatum aliquod ex ſe irre-
„ miſſibile eſſe, ac peccatum tam grave
„ eſſe, ut nunquam pænitentiæ gratiam
„ Deus propter illud largiatur; cum im-
„ poſſibile ſit peccatum ſine Pænitentia,
„ dimitti; quod agnovit ipſe Morinus
„ eodem citato capite 28. n. 16., ubi ſcri-
„ bit: ea reciprocatione quadam inter
„ ſe connecti, nempe Deum peccato ve-
„ niam denegare, & Deum gratiam
„ Pænitendi non inſpirare, ſine qua non
„ poteſt a tanto crimine ad pietatem
„ converti. „.

Ad VI. dicitur, quod Origenes, & Theognoſtus dixerunt, peccatum in SpiritumSanctum eſſe irremiſſibile, non abſolute, & ſimpliciter, ſed dumtaxat cõparate ad peccata Ethnicorum. Cæterum Origenes ſic pro ſententia Catholicorum lib. 3. contra Celſum ſcribebat: *Jam ergo peccantes, quam ſevera eſt diſciplina, præcipue contaminatos libidine, quot e ſua Republica ejiciunt noſtri . . . . . reſipiſcentes haud ſecus, quam redivivos recipiunt, tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem.*

Ad VII. Athanaſius putavit, blaſphemiam in Spiritum Sanctum, tunc eſſe irremiſſibilem, quando cum finali impænitentia conjungitur, ſecus vero quando ab hac eſt ſejuncta. En ſua verba in tractatu de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti n. 49. *Sunt alii, qui in Spiritum Sanctum impingunt, qui ſcilicet in Chriſti Deitatem blaſphemias dicunt, aiuntque in Beelzebub, Principe dæmoniorũ, ejicit dæmonia. De iſtis intelligendum eſt, quod ait: non remittetur neque in præſenti ſeculo, neque in futuro. Quin, & hoc obſervandum eſt, non dixiſſe Chriſtum blaſphemanti, & Pænitentiam agenti, remiſſionem dandam non eſſe, ſed blaſphemanti, id eſt in blaſphemia perſeveranti. Quandoquidem nullum eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis, qui vere ex animo, & ut par eſt pænitentiam agunt.*

Ad VIII. Firmilianus intelligendus eſt, quod Sacerdotes non dimittant peccata auctoritate propria, ſed poteſtate a Chriſto ipſis tributa. Pacianus voluit, blaſphemiam in Spiritum Sanctum eſſe graviorem, quam peccata Gentilium, non vero eſſe irremiſſibilem. Ambroſius ideo cenſuit, blaſphemiam in Spiritum Sanctum dici irremiſſibilem, quia hujus criminis pauciſſimi ſunt homines, quos vere pæniteat. Hieronymus denique contra Novatianos agens hoc argumento utebatur, quod etiamſi detur, & concedatur, blaſphemiam in Spiritum Sanctum eſ-

ſe

ſe irremiſſibilem , non per hoc tamen Novatiani recte ac legitime deducebant,alia crimina pariter irremiſſibilia eſſe.

DISSERTATIO CCCLXI.

De exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ. An Chriſtus Dominus conceſſerit Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata? An detur Forum Eccleſiæ exſternum pro Cenſuris? An detur Forum internum Eccleſiæ pro Peccatis? Et quid dicendum de errore Marci Antonii de Dominis, Spalatenſis Archiepiſcopi, & Apoſtatæ, de peccatis occultis, & manifeſtis?

PRIMO , Novatus voluit , illos , qui Idolis immolaſſent , ad myſteria admittendos non eſſe , ſed a Deo peccati remiſſionem impetrare debere, nullam tribuens Sacerdotibus poteſtatem , qua potuiſſent lapſos , & ſi pœnitentes , contritos , & confeſſos , abſolvere . Teſtantur Cyprianus lib.4. cap.2., Euſebius lib. 6. cap.39., Socrates lib.4. cap.23., Ambroſius lib.4. *de Pœnitentia* cap. 2. *Et hic Novatus* tertio ſeculo floruit .

Secundo , Meletius , qui erat Epiſcopus Thebidos , Lapſos ad pœnitentiam non admittebat , niſi poſt longum tempus, dicens , ſe hac poteſtate præditum a Deo non fuiſſe , ſed Deum ſibi ſolum eandem præſervaſſe . Teſtis eſt Epiphanius hæreſi 68, Et hic floruit Seculo quarto .

Tertio , Aceſius Novatianus dixit , non in Sacerdotum , ſed in Dei ſolius ſitum eſſe poteſtate , illud peccati genus ſolvere , quod Scripturæ vocant *peccatum ad Mortem*. Refert Coccius tom. 2. Theſauri lib.7. *de Pœnitentia* art.1. ex Sozomeno lib.1. cap.21.

Quarto , Sympronianus , pariter Novatianus , aſſerebat , ſolum Deum ignoſcere pœnitenti , & poſt baptiſmum non eſſe licitum pœnitere , quia mortale peccatum Eccleſia dimittere non poteſt . Teſtis eſt quoque Pacianus epiſt.1. & 3. ad Sympronianum . Et hi ambo eodem ſeculo quarto floruerunt .

Quinto , Proteſtantes noſtrorum temporum , ut teſtatur P. Boucat , negant Forum internum , in quo Peccata per modum judicii a Sacerdotibus remittantur, quanvis concedant Forum exſternum,in quo abſolvuntur a Cenſuris. Et hæc ſunt ejus verba Diſſert. 4. *de Pœnitentiæ Sacramento* §. 7. „ Pœnitentiæ Sacramentum eſt judicium „ latum , ut Reus abſolvatur quantum „ ad pœnam, & ligetur quantum ad „ pœnam pro peccatis ſatisfactoriam. „ Illud docet S.Thomas 3.par. q.17. art. „ 1. , ſed a Chriſto nato hujuſmodi judi- „ cium latum eſt in foro Eccleſiæ , & „ probatur ex traditione , qua conſtat, „ eſſe duplex forum eccleſiaſticum , „ unum ſcilicet exſternum, quo abſolute „ pœnitentes,aut cenſura aliqua, aut aliis „ pœnis aſtringuntur; alterum internum, „ quo ſacramentaliter reconciliantur, „ itaut mirum ſit, Proteſtantes illud re- „ tinere , iſtud vero abnegare , cum „ utrunque auctoritate , ratione , & uſu „ comprobetur . „

Sexto, Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus & Apoſtata Spalatenſis, lib.

lib.5. de republica Eccleſiaſtica, ex Fraſſen tom. 4. tract.1. diſput. 2. art.2. quæſt.5. in Corollario „ fatetur quidem, Sacerdotes novæ legis habere poteſtatem revera ſolvendi, ac ligandi peccatores apud Deum; at non reſpectu omnium peccatorum, ſed dumtaxat quorundam. Duplicis quippe generis peccata diſtinguit, quorum quædam ita occulta ſunt & lateutia, ut nulla ratione exſterius pateant, nec ullum afferant Eccleſiæ ſcandalum, qualis eſſet V. G. deliberata animi interna voluntas adulterandi, nullo exſteriori ſigno manifeſtata: quædam vero ita notoria ſunt & publica, ut Eccleſiæ ſcandalum afferant, ejuſque ſanctitatem inficiant, ut homicidium, adulterium publicum &c. Docet autem, occulta peccata non inducere vinculum, nec ligare, niſi apud Deum, a quo ſolo poſſunt diſſolvi recte, & immediate: quare ſi peccator occultus coram Deo perfecte contritus, ejuſmodi peccati veniam exoret, eam conſequitur, nec tenetur peccatum illud Sacerdotibus per Confeſſionem exponere; ſi vero ita exponat, ut a Sacerdote abſolvatur, hæc abſolutio prorſus erit inutilis & otioſa; tum quia, inquit, peccatum iſtud remiſſum eſt, antequam peccator accedat ad Eccleſiam, tum quia Eccleſia non poteſt ſolvere, quod ipſa non ligavit. Quatenus vero peccata ſunt publica, remittuntur a Deo directe & immediate, ut ſunt offenſiva Dei, & ab Eccleſia, quatenus ſunt offenſiva Eccleſiæ; idque duntaxat poſt peractas ſatiſfactiones, & perpeſſos labores pænitentiales. Ex quibus colligit, quod &ſi abſolutio Eccleſiæ pænitentibus non proſit, quantum ad remiſſionem occultorum peccatorum; nihilominus, inquit, SS. Patres hortati ſunt pænitentes, ut ab Eccleſia poſtularent ligationem, & ſolutionem pro criminibus occultis, eo quod impoſiti Pæuitentiæ labores eis prodeſſent, ut fructus, & effectus interioris Pænitentiæ; exercitia quippe durioris Pæuitentiæ a Sacerdotibus iniuncta, argumenta erant contriti ac humiliati cordis „.

Dicimus I. Chriſtum Dominum tribuiſſe Eccleſiæ poteſtatem dimittendi peccata.

I. Probatur ex Scripturis. Chriſtus tradidit Petro, & Succeſſoribus ejus, claves ligandi, & ſolvendi, hoc eſt remittendi, vel retinendi peccata: Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatũ & in Cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quæ verba explicans Tertull. in Scorpiaco cap. 10. ſcribit: *Si adhuc clauſũ putas Cælum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe.* Item Chriſtus poteſtatem eandem omnibus Apoſtolis tribuit Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erant ligata & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erant ſoluta & in Cælo.* Et hæc eadem verba Patres Africani intellexerunt de poteſtate ſolvendi, & retinendi peccata, ut legitur in ipſorum epiſtola ſynodica, quæ eſt inter illas Cypriani 54. Inſuper hanc eandem poteſtatem, quam Chriſtus promiſerat Apoſtolis Matthæi 18., de facto contulit iiſdem Joannis 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Denique hac eadem poteſtate uſi ſunt Apoſtoli, & præcipue Paulus erga Corinthium inceſtuoſum II. ad Corinth.2., quem tradidit Satanæ, & poſtmodum eidem veniam indulſit, dicens: *nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti:* quæ verba ſic explicavit Ambroſius lib.1. *de Pænitentia* cap.7. *Ius ſibi vindicavit Paulus acceptum, non uſurpavit indebitum.* Et cap.26. *Cum igitur Apoſtolus peccatam remiſerit, qua vos auctoritate dimittendam negatis? Quis reverentior Chriſti, Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum miſericordem, noverat Dominum Ieſum ſeveritate magis Diſcipulorum offenſum, quam miſericordia.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Clemens Romanus, vel quiſquis alius Conſtitutionum Apoſtolicarum eſt Auctor, lib.2.cap.11. his verbis Epiſcopum alloquitur. *In Eccleſia ſede ſermonem faciens, ut qui poteſtatem habens judicandi eos, qui peccerunt: quoniam vobis Epiſcopis dictum eſt: quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in Cælo &c. Iudica igitur poteſtate fretus tanquam Deus.* Gregorius Magnus homil.26. in Evangelia. *Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alie-*

alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni judicis ſortiuntur, ut vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent. Sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, & alios damnant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent; ligandi, atque ſolvendi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed grave pondus iſtius honoris. Durum quippe eſt, ut qui neſcit moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Ancyranum, quod habitum eſt anno 314. ſtatuit pænitentias pro peccatorum varietate, & Can. 4. hæc habet. *De iis, qui vi ſacrificarunt, & propterea ad Idola pranſi ſunt, quicunque abducti quidem, & lætiore habitu acceſſerunt, & veſte ſumptuoſiore uſi ſunt, & parati prandii, non ægre id ferentes participes fuerunt, viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni, ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id quod eſt perfectum accedere.* Et Can. 7. *Hi qui ſecundo, & tertio ſacrificaverunt coacti, quatuor annis pænitentiæ ſubiiciantur, duobus autem aliis ſine oblatione communicent, & ſeptimo anno perfecte recipiantur.* Et Can. 24. *Quidam Sponſam habens, ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit, poſtmodum deſponſatam ſibi duxit uxorem; illa vero, quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit. Hi, qui fuerunt conſcii, poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi, ſecundum gradus pænitentiæ conſtitutos.* Concilium Laodicenum Can. 2. *De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt, & perſeverantes in oratione confeſſionis, & Pænitentiæ, converſionem a malis habuere perfectam, pro qualitate delicti, talibus pænitentiæ tempus impenſum, propter clementiam, & bonitatem Dei communio concedatur.* Concilium Eleberitanum Can. 76. *Si quis Diaconum ſe permiſerit ordinari, & poſtea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſponte fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pænitentia, poſt triennium accipere communionem; quod ſi alius detexerit, poſt quinquennium acta pænitentia accipere communionem laicam debere.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *de Pænitentia. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis Succeſſoribus, fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit; & Novatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam hæreticos, exploſit, atque condemnavit.* Et Can. 5. ejuſdem ſeſſionis. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pænitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema ſit.*

IV. Probatur ex Patribus. Joannes Chryſoſtomus Homil. 80. ad Populum Antiochenum. *Si fueris antiquatus a peccato, per pænitentiam te renova: num pænitentem licet ſalvari? Maxime. Totam vitam in peccatis abſumpſi, & ſi pænitentiam egero, ſalvabor? Maxime. Unde conſtat? Ex Domini Clementia. Ne tuæ confidas pænitentiæ: tua namque pænitentia tanta nequit peccata delere. Si ſola foret pænitentia, jure timeres: ſed poſt quam cum pænitentia commiſcetur Dei miſericordia; confide, quoniam tuam vincit nequitiam. Multum eſt enim miſericors Deus, & tantum clemens, ut neque filio pepercerit, ut ingratos ſervos redimeret. Nec mihi dicas: nimium peccavi, & quomodo poſſum ſalvari? Tu non potes, tuus poteſt Dominus, & ita delet peccata, ut nec eorum remaneat veſtigium &c. Si vel infinita quis habens vulnera pænitentiam egerit, & aliquid fecerit boni, ſic ea Deus delet, ut neque cicatricem, neque veſtigium, neque peccatorum oſtendat indicium. Sicut in corpore vulnera ſunt, & medicamina, itidem in anima peccata ſunt, & pænitentia. Et quid loquar animadverte. Vulnus, & medicamentum; peccatum, & pænitentia.* Ambroſius lib. 9. epiſt. 76. *Ubi pæna præſcribitur, debet eſſe pænitentia peccatorum: ubi remiſſio datur, gratia eſt. Præcedit Pænitentia, ſequitur gratia. Neque ergo Pænitentia ſine gratia, neque gratia ſine pænitentia. Debet*

bet

bet enim pænitentia prius damnare peccatum, ut gratia poſſit abolere. Ideo typum legis accipiens Joannes, baptizavit in Pænitentia, Chriſtus ad gratiam. Hieronymus ad cap.2. Joelis. *Si poſt pænitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid reſpondebis Novatus negans pænitentiam, & reformari poſſe peccatores in priſtinum ſtatum, ſi digna fecerint opera pænitentiæ? In tantum enim Deus recipit pænitentes, ut vocet eos populum ſuum, & nequaquam aſſerat confundendos, & habitaturum ſe in eorum medio repromittat.* Auguſtinus epiſt. 108. *Agunt homines ante baptiſmum pænitentiam de ſuis prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur, ſicut ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum. Pænitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine Domini Ieſu Chriſti, & dimittentur vobis peccata veſtra. Agunt etiam homines pænitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur: ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie pænitentes appellantur &c. Eſt etiam Pænitentia bonorum, & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo; ſed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt.*

V. Probatur rationibus I. Præcepit Apoſtolus, Presbyteros debere eſſe judices Chriſtianorum in temporalibus rebus, ſi quæ inter illos jurgia naſcerentur: ergo multo magis iidem Presbyteri debent eſſe Judices in Conſcientiæ rebus examinandis, ac judicandis. Antecedens patet ex epiſt. 1. ad Corinth. cap.6., ubi Paulus hæc ſcribit. *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia? Secularia igitur judicia, ſi habueritis contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Ad quæ reſpexit Gratianus Can. 32. cauſa 11. quæſt. 1. *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quidquid illud eſt dirimatur, & omnimode obediant ſtatutis eorum.* II. Ubi ſunt delicta, & ſunt Rei delictorum, ibi debent eſſe Judices; ſed ubi ſunt Iudices, ibi debet eſſe tribunal judiciale: ergo ſi inter Chriſtianos ſunt crimina, & ſunt criminum Rei; inter Chriſtianos debent eſſe Judices, & forum pariter judiciale; atqui hoc nequit eſſe, niſi tribunal Sacramenti Pænitentiæ: ergo &c. Hanc rationem ſic illuſtrat S. Proſper lib.2. de vita contemplativa cap.2. *Ipſis proprie animarum curandarum ſollicitudo commiſſa eſt, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis, infatigabiliter ſupplicant Deo. Qui ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis a Populo, qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis Judices &c. Ipſi januæ civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum: ipſi Janitores, quibus claves datæ ſunt Regni Cælorum.* III. Pro judicio Peccatorum conveniebat, ut Deus in hac vita inſtitueret forum, in quo partes ſuas agerent Miſericordia ſimul, & Juſtitia; ſed hoc eſſe non poterat, niſi forum Eccleſiæ: ergo conveniens fuit, ut pro judicandis peccatis in Eccleſia Deus forum judiciale inſtitueret; quod eſt Pænitentiæ forum. IV. Ex una parte non expediebat, ut Deus in hac vita ſineret peccatores eſſe ſine remedio, & peccata eſſe ſine ſupplicio; ſed hoc totum peragitur in Pænitentiæ foro; ergo expediens fuit, ut Chriſtus in Eccleſia pro peccatis forum Pænitentiæ inſtitueret.

Dicimus II. dari forum externum Eccleſiæ pro Cenſuris.

I. Probatur ex Scripturis. I. ad Corinth. 6. *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud Sanctos? An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis judicetis? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia? Secularia igitur judicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum.* Quibus verbis ex communi Patrum intelligentia forum eccleſia-

ſticum aperte inſinuatur, & pro rebus ſecularibus, & pro judiciis etiam ſpiritualibus, non tantum internum, ſed etiam externum; quod quidem Ambroſius lib.1.de Pænitentia cap.2. ſolis Catholicis adjudicavit, non vero Hæreticis, qui veros Sacerdotes nou habent. *Hoc ſibi recte Eccleſia vindicat, quæ veros Sacerdotes babet: Hæreſis vindicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipſo, de ſe pronuntiat, quod cum Sacerdotes non babeat, jus ſibi vindicare non debet ſacerdotale. Ita in impudenti contumacia prudentem cernimus confeſſionem.* Inſuper Apoſtolus forum Eccleſiæ externum proCenſuris inſinuavit I. ad Corinth.5., ubi inceſtuoſum Corinthium excommunicavit. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem Spiritu, jam judicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Et II. ad Corinth. 2., ubi eundem Corinthium inceſtuoſum, jam excõmunicatione ligatum, abſolvit. *Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit, ſed ex parte, ut non onerem omnes vos, ſufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum, an in omnibus obedientes ſitis. Cui autem aliquid donaſtis; & ego &c.* Quibus verbis explicandis applicat Morinus *de adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ* lib.1. cap.3. hæc Tertulliani verba. *Hoc pretio dominus veniam addicere inſtituit; hac Pænitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Cum enim provolavit hominem, magis relevat; cum ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cum accuſat, excuſat; cum condemnat, abſolvit. Eam igitur tu peccator ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fletibus merſum perlavabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occaſionem inopinatæ felicitatis, ut ille tu, nihil quondam penes Deum, niſi ſtilla ſitulæ, & area pulvis, & vaſculum figuli, arbor exinde fias illa. quæ penes aquas ſeritur, & in foliis perennat, & tempore ſuo fructus agit, quæ non ignem, non ſecurim videbit. Nam temporali afflictione æterna ſupplicia, non dicam fruſtratur, ſed extinguit.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius epiſt.3. cap.4. Exuperio, qui eum interrogaverat, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in conſortio Adulterorum manere videantur? reſpondet verbis hiſce. *Super hoc chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre conſueverunt, & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur: virorum autem latente commiſſo, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur, qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cum ergo par cauſa ſit, interdum probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit.* Gregorius Magnus homil. 27. in Evangelia. *Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri fiunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxationis accipiunt, principatumque ſuperni judicis ſortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo conſenſerant humiliari. Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent, ligandi atque ſolvendi poteſtatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed grave pondus iſtius honoris. Durum quippe eſt, ut qui neſcit moderamina vitæ ſuæ, judex vitæ fiat alienæ.* Adducitur etiam a Morino loco citato, & a P. Boucat, Clemens Romanus lib.2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap.5., & præcipue cap.11., ubi his verbis Epiſcopum alloquitur. *In Eccleſia ſede ſermonem faciens, ut qui poteſtatem habeas judicandi eos, qui peccarunt. Quoniam vobis Epiſcopis dictum eſt: quodcunque ligaveritis ſuper terram, erit ligatum & in Cælo &c. Judica igitur Epiſcope poteſtate fretus tanquam Deus.* Inſuper docet cap.10., Epiſ-

Epiſcopum, qui peccatori temere parcit, Reum eſſe; cap. 12. præſcribit, qua ratione Epiſcopus delinquentibus veniam concedere debeat, & cap. 16. ait *Cum vero delinquentem aliquem videris, acerbe ferens, jube eum ejici foras. De Ejecto doleant Diaconi, eumque obſervent, & extra Eccleſiam contineant, & poſtea jubebis ingredi, & facta examinatione, an pæniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur, caſtiga illum jeiunii duarum, aut trium, aut quinque ſeptimanarum, ut delicti genus, & ratio popoſcerit, atque ita abſolve eum.* Et cap. 20. pariter explicat eccleſiaſtici Fori auctoritatem. Quanvis enim Eruditi negent genuinum fætum Apoſtolicarum Conſtitutionum librum S. Clementis eſſe, omnes tamen conveniunt, ipſarum Auctorem eſſe perantiquum, & fortaſſis alterius Romani Pontificis ſententias collegiſſe, & ſub Sancti Clementis nomine publicaſſe.

III. Probatur ex Conciliis. Quanvis Canones, qui dicuntur *Apoſtolorum*, Critici eruditi inficientur, vere ab Apoſtolis fuiſſe conditos, conveniunt tamen fere omnes, eos fuiſſe conditos in primis Eccleſiæ Conciliis, & ſub Apoſtolorum nomine fuiſſe evulgatos. Hos igitur allegare, tanquam Conciliorum ſanctiones, nemo poterit nobis jure prohibere. Igitur ad rem noſtram ſequentes Canones afferuntur. Scilicet 9., in quo legitur. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Sacerdotali Catalogo, facta oblatione non communicaverit, aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur; aut ſi non dixerit, communione privetur, tanquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo, qui ſacrificavit, quod recte non obtulerit.* Et 10. *Omnes fideles, qui ingrediuntur Eccleſiam, non autem perſeverant in Oratione, nec ſanctam Communionem percipiunt, veluti inquietitudines Eccleſiæ commoventes, convenit communione privari.* Et 24. *Laicus ſemetipſum abſcindens, annis tribus communione privetur, quia ſuæ vitæ inſidiator exſtitit.* Et 31. *Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregentur omnes, qui illi communicant.* Et 43. *Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur. Similiter etiam Laicus.* Et 48. *Si quis Laicus uxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.* Et ex iis, qui triginta quinque numerantur, & quos ſupra quinquaginta Græci recipiunt: 11. *Si adverſus Fidelem aliqua accuſatio intendatur, ut fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alterius prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne promoveatur.* Et 21. *Si quis Chriſtianus oleum deferat in Templum gentium, vel in Synagogam Judæorum in eorum feſtis, ut lucernam accendat, ſegregetur.* 22. *Si quis Clericus, vel Laicus a Sancta Eccleſia ceram, vel oleum auferat, ſegregetur.* 23. *Vas aureum, vel argenteum, vel velum ſanctificatum nemo amplius in ſuum uſum convertat: hoc ſit enim præter jus, & contra legem. Si quis autem depræhenſus fuerit, mulctetur.* Eadem habent Concilium Ancyranum, quod habitum eſt anno 314. Can. 4. Concilium Laodicenum Can. 2. Concilium Eliberitanum Can. 76., quos Canones in præterita concluſione attulimus, ac recitavimus.

IV. Probatur ex Patribus: Cyprianus epiſt. 55. *Opto omnes in Eccleſiam regredi: opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi; remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio, & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examine delictis, plusquam oportet, remittendis pene ipſe delinquo.* Et epiſt. Ad Antonianum. *De eo tamen, quod ſtatuendum eſſe circa cauſſam lapſorum diſtuli, ut cum quiee & tranquillitas data eſſet, & Epiſcopie in unum convenire indulgentia divina permitteret: tunc communicato, & librato de omnium collatione conſilio, ſtatueremus, quid fieri oporteret; ſi quis vero ante Concilium noſtrum ſtatutum lapſis temere communicare voluiſſet, ipſe a communione abſtineretur &c.* Et paulo poſt. *Secundum quod antea fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & ſcripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & pacis, lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum gentiliter vive-*

rent. Nec tamen rurſus cenſura evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent, ſed traheretur diu Pænitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur cauſæ, & voluntas, & neceſſitates ſingulorum, ſecundum quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt. S. Pacianus adverſus Sympronianum epiſt. 3. *Ego plantavi, Apollo irrigavit, ſed Deus incrementum dedit: ergo neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quare ſive baptizamus, ſive ad Pænitentiam cogimus, ſeu veniam Pænitentibus relaxamus, Chriſto id auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an* Chriſtus *hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit ...... Jam quam argute caput illud abſolvis, quod ego poſui, datam Epiſcopis poteſtatem, ut quæ ligaſſent in terris, ligata eſſent in Cælis. Dicis, hoc non ad fideles, ſed ad Catechumenos pertinere: ut baptizandis adhuc ſcilicet populis ſolvi liceret crimina, vel teneri...... Quod ſi ad gentes hanc ſolvendi licentiam, vel ligandi ſpectaſſe concedam, multo magis ad baptizatos pertinuiſſe convincam. Nam ſi is ſolvi potuit, vel ligari, qui non habuit vinculum, quanto magis ille, quem fidei jura tenuerunt. Ais, poſuiſſe Matthæum: ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum ſolus cum ſolo, ac ſtatim ſubjunxiſſe Dominum; quæcunque ſolveris in terra, ſoluta erunt & in Cælis, ut ad fratris offenſam pertinere videatur. Age, non vides, quod ſupra dicis, ſi in te peccaverit frater tuus; hic vero addis; amen dico vobis, quæcunque ſolveritis in terra &c. Illud uni juſſit, hoc pluribus relaxavit; illud ipſe ſolvit, in quem admittitur; hoc vero Eccleſia: illud ſine Sacerdote, ſine fratribus; hoc ab omnibus impetratur. Quæcunque ſolveritis, inquit, omnino nihil excipit. Quæcunque, inquit, vel magna, vel modica.* Ambroſius lib. 1. de Pænitentia cap. 2. *Sed ajunt ſe Domino deferre Pænitentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Immo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cum ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Jeſus; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt, quis eſt ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit. Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget, & relaxet &c. ...... Sed ajunt ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam pænitentiam putavit, ea ſcilicet contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret; ne ligando ſperari faceret a ſe ſolutionem. In eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda a vobis putetis, & quæ ſine remedio eſſe arbitremini. Sed Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.*

V. Probatur ex Legibus ſecularium Principum. Conſtantinus Magnus audiens Novatiſtarum appellationem ab Eccleſiæ judicio ad ſe ipſum factam, exclamavit: *O rabida furoris audacia! Sicuti in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*; quod refert Optatus Milevitanus lib. 1. pag. 44. Et præterea ſtatuit hanc legem, quæ legitur in fine Codicis Theodoſiani. *Multa enim, quæ in judicio captioſo præſcriptionis vincula non patiantur, inveſtigat, & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas.* Ad quæ addit P. Boucat. „.
„ Hoc edictum ſuo munivit calculo
„ Theodoſius, hoc ſuo Carolus Magnus,
;„ hoc Ludovicus Pius, qui illud in ſua
„ tranſtulit capitularia lib. 6. cap. 281. Il-
„ lud ipſum refert Gratianus II. q. 1. cap.
„ 35. *Quicunque*. „

VI. Probatur rationibus I. Eccleſiæ Perſonæ ſunt extra ſeculi forum, & poſſunt delinquere, ut delinquere poſſunt illi, qui ſunt ſub Eccleſiæ foro: ergo pro hominibus Eccleſiæ judicandis debet dari forum, quod ſit a ſeculi foro ſeparatum; ſed hoc nequit eſſe, niſi forum Eccleſiæ: ergo datur forum Eccleſiæ externum. II. Dantur delicta, quæ ſunt externa, & quorum judicium ad Eccleſiam pertinet; ſed de his non poſſunt Laici Judices judicium ferre: ergo ferre debent judices Eccleſiaſtici; atqui hoc idem eſt, ac Eccleſiæ forum externum ſtatuere pro cenſuris: ergo dari debet forum externum Eccleſiæ pro cenſuris. III. Dari debet forum illud in Eccleſia, quod omni ævo in illa fuit, & pro perſonis, & pro

cri-

criminibus eccleſiaſticis ; ſed ex perpetua traditione habemus, forum hoc omni tempore in Eccleſia extitiſſe : ergo &c. IV. Forum illud admitti debet in Eccleſia, quod Laici Principes in ſua ditione faſſi ſunt non eſſe, nec illud uuquam aut uſurparunt, aut uſurpare intentarunt ; immo potius admiſerunt, & adjuvarunt ; ſed hoc eſt forum externum Eccleſiæ pro cenſuris : ergo &c.

Dicimus III. Dari in Eccleſia Forum internum pro peccatis.

I. Probatur ex Scripturis. Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcunqae alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Quæ verba expendens Auguſtinus ſerm.8. *de verbis Domini cap.*2. inquit ; *Dicit ergo aliquis, quid prodeſt Eccleſiu, ſi jam Confeſſor voce dominica reſuſcitatus prodit? Quid prodeſt Eccleſia canfitenti, cui Dominus ait; quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo? Ipſum Lazarum attende, cum in vinculis prodit; jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt, quæ ſolveritis, ſolata erunt, niſi quod ait Dominus cantinuo ud Diſcipulos, ſolvite illum, & ſinite abire?* Joannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* De hac auctoritate loquens Chryſoſtomus lib.3. *de Sacerdotia* hæc ſcribit. *Qui terram incolunt, atque in ea verſantur, his commiſſum eſt, ut ea, quæ in cælis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ud illas dictum eſt: quæcunque alligaveritis in terra, erunt alligata & in Cælo; & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in Cælo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad Cælos uſque pervadit; uſque adeo, ut quæcunque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnium rerum cæleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? Quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro poteſtas huc una major eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit. Cæterum video ipſam eandem omnifariam poteſtatem a Deo filio illis traditam. Num quaſi jam in cælum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab effectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, ut poteſtatem habeat, quoſcunque velit in carcerem conjiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus omnium judicio fuerit. At vero, qui a Deo tanto majorem accepit poteſtatem, quanto Cælum terra pretioſius eſt, quanto animæ corporibus præſtans, hic vilem ea uſque dignitatem accipiſſe nonnullis videri debet. &c. Procul, procul hinc ſuceſſat hujuſmodi inſania. Inſania enim manifeſta deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis, neqae promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus . . . . . . Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam haud purgare quidem, ſed purgatoe probare Judeorum Sacerdotibus ſolis licebat. Neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio, ac incertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare judicio quidem meo, qui iſtos deſpiciunt, contemnuntque, multo ſceleratiores, ac majori ſupplicio digni fuerint, quam fuerint Dathan &c.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus ſerm. 11. *Quadrageſimæ* cap.4. *Lapſos & inſidiarum ſuarum fraude deceptos pænitentiæ lacrimis ablui, & portas miſericordiæ apoſtolica clave reſerante, ad remedia reconciliationis admitti videt.* Gregorius Magnus lib. 13. *Moral.*cap. 6. *Quid in ſacco, & cinere, niſi pænitentia? Quid in cute, & carne, niſi peccatum carnis debet intelligi? Cum ergo quidam poſt lapſum carnie ad pænitentiam redeunt, quaſi ſaccus ſuper cutem conſuitur, & cinere caro operitur, quia culpa carnis per pænitentiam tegitur, ne in diſtricti Judicis examine ad ultionem videatur. Infirma autem membra ſua ſancta Eccleſia cum a peccatis retrahit, atque ad pænitentiæ remedium ducit, hæc procul. dubio fletibus adjuvat, ut ad recipiendam auctoris ſui gratiam convaleſcat, & per ſortes plangit,*

Digitized by Google

git, quod non ſecit, quod in membris ſuis debilibus quaſi ipſa fecit. Et lib. 2. epiſt. 44. *Tribunal Judicis æterni ſecurus aſpiciet, quisquis reatus ſui conſcius, digna eum modo pænitentia placare contendat.* Inuocentius III. In Pſalm. 1. Pænitentialem. *Homo, qui cecidit per offenſam, reſurgit per pænitentiam, ut per eum decimus Angelorum ordo reſtauretur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe IV. cap. 74. & 75. ſtatuit, ut Sacerdos Pænitentiam imploranti, abſque perſonæ acceptione, Pænitentiæ leges injungat, atque ut negligentiores Pænitentes tardius recipiantur. Eadem habet Concilium Toletanum III. cap. 11. Concilium Pariſienſe ſub Ludovico, & Lothario lib. 1. cap. 13. & 32. Cabillonenſe ſub Carolo cap. 38. Vormatienſe ſub Hadriano: quæ omnia refert Morinus, addens etiam Concilium Trullanum cap. 102. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ, jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram Peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti Fideles ceciderint; qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, cognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pænis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent.* Fere eadem habentur cap. 8.

IV. Probatur ex Patribus. Auguſtinus ſerm. 352. inter homilias quinquaginta. *In quibuſcunque peccatis non perdit viſcera pia Mater Eccleſia. Ergo ſolent inde etiam Pagani, quaſi inſultare nobis, neſcientes quid loquantur. Vos, inquiunt, facitis, ut peccent homines, cum illis promittitis veniam, ſi egerint Pænitentiam. Diſſolutio eſt iſta, non admonitio .... Tamen quomodo vincantur breviter accipiat charitas veſtra, quia Domini miſericordia totum optime conſtituit in Eccleſia ſua ..... Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum Pænitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus Pænitentiæ, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis ſibi deſperaret ignoſci? Diceret enim ſibi. Ecce peccavi, ecce ſcelus admiſi, jam mihi veniæ nullus eſt locus; Pænitentia infructuoſa eſt; damnatus ſum: quare jam non vivo, ut volo? Quia ibi non invenio charitatem, hic ſaltem paſcam cupiditatem. .... Quid ergo? Deus, ne per ullam ſpem indulgentiæ rurſus augerentur peccata, non dehinc providere debuit? Quomodo enim providit, ne deſperando augeantur, ſic providere debuit, ne ſperando augeantur. Quomodo enim revera auget peccata, qui deſperavit, ſic poteſt augere peccata, & qui veniam ſperaverit, ut dicat ſibi: faciam quod volo, Deus bonus eſt, quando me convertero, ignoſcet mihi. Ita plane dic tibi, me quando convertero, ignoſcet mihi, ſi craſtinus dies certus eſt tibi. Nonne ad hoc te admonet ſcriptura dicens:* Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; ſubito enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet te. *Ecce ad utrunque vigilavit pro nobis Providentia Dei. Ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt Pænitentiæ portus: rurſus ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus.* Petrus Chryſologus ſerm. 84. Quorum remiſeritis peccata. *Ubi ſunt, qui per homines hominibus non poſſe peccata remitti præſcribunt? qui ſemel diabolica impulſione collapſos opprimunt, ne ſe erigant? Qui languoribus curam, vulneribus crudeli ſpiritu ſubtrahunt negantque medicinam? Qui peccatoribus remittendi & redeundi deſperatione impia reſultant? Remittit Petrus peccata, & toto cum gaudio ſuſcipit pænitentes, atque omnibus Sacerdotibus hanc a Deo conceſſam amplectitur poteſtatem, qui poſt negationem, niſi pænitentiam repetiſſet, Apoſtolatus gloriam, & vitam pariter perdidiſſet. Et ſi Petrus per pænitentiam rediit, quis ſine pænitentia ſubſiſtit?* Gennadius Maſſilienſis lib. *de Eccleſiaſticis Dogmatibus* cap. 78. *Pænitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamſi in ultimo vitæ ſpiritu admiſſorum pæniteat, & publica lamentatione peccata prodantur; quia propoſitum Dei, quo decrevit ſalvare, quod perierat, ſtat immobile. Et ideo, quia voluntas ejus non mutatur, ſive emendatione vitæ, ſi tempus conceditur, ſive ſupplici confeſſione, ſi continuo vita exciditur, venia peccatorum fideliter præ-*

Digitized by Google

præſumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur a perditione pænitendo, & ſalvatus miſeratione Domini vivat. Si quis autem ſecus de juſtiſſima Dei pietate ſentit, non Chriſtianus, ſed Novatianus eſt, Fulgentius Epiſt. 7. cap. 4. *Sed forſitan dicitur, illos peccatores poſſe ſalvos fieri, qui poſt peccata merentur baptiſmatis ablutione mundari; deinceps autem peccata, quæ videtur baptizatus admittere, irremiſſibilia permanere. Nunquid non baptizatis loquebatur Joannes Apoſtolus, quibus dicebat*: Filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis: ſi quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum; & ipſe eſt exoratio pro peccatis noſtris? *Qualecunque ſit ergo peccatum, a Deo quidem poteſt remitti converſo; ſed ille ſibi remitti non ſinit, qui deſperando contra ſe indulgentiæ oſtium clauſerit. Cæterum veritas non mentitur, quæ*, quærite, & invenietis, petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis *Matth. 7. dixit*. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. *de divinis officiis* cap. 16. *Pænitentia eſt medicamen vulneris, ſpes ſalutis; per quam peccatores ſalvantur, per quam Deus ad miſericordiam provocatur, quæ non tempore penſatur, ſed profunditate luctus, & lacrimorum. Pænitentia autem nomen ſumpſit a pœna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur. Hi vero, qui pænitentiam agunt, proinde capillos, & barbam nutriunt, ut demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro vitiis accipiuntur, ſicut ſcriptum eſt*. Crinibus peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur. Vir quippe ſi comam nutriat, ignominia eſt. *Ut ait Apoſtolus. Ipſam ergo ignominiam ſuſcipiunt pænitentes, pro merito peccatorum. Quod vero in cilicio proſternuntur (per cilicium quippe recordatia eſt peccatorum) propter hædos ad ſiniſtram futuros. Inde ergo confitentes in cilicio proſternimur, tanquam dicentes*: & peccatum meum contra me eſt ſemper. *Ille vere pænitentiam agit, qui nec pænitere præterita negligit, nec adhuc pænitenda committit, qui vero lacrimas indeſinenter effundit, & tamen peccare non deſinit, hic lamentum habet, ſed mundationem non habet*.

V. Probatur rationibus I. Ubi eſt poteſtas judicialis interna, ibi eſt Forum internum pro peccatis; ſed in Sacramento Pænitentiæ eſt poteſtas judicialis interna: ergo pariter eſt Forū internum pro peccatis. II. Deus dedit poteſtatem Sacerdotibus ſuſcitandi homines, qui per peccatum dormitant, & quodammodo moriuntur; ſed hoc non fit, niſi per poteſtatem abſolvendi illos a peccatis, quam tribuit iiſdem: ergo dedit illis poteſtatem abſolvendi; atqui hoc importat forum internum judiciale: ergo &c. Unde Anſelmus ad cap. 9. Matthæi ad verba illa *Puella dormit*; ſubdit; *quia, qui peccant in præſenti, nondum mortui ſunt, ſed dormiunt, quia adhuc per pænitentiam ſuſcitari poſſunt*. III. Ex probatis a nobis alibi nullum eſt peccatum, quod non ſit remiſibile; ſed poteſtas remittendi peccata importat forum internum pro peccatis: ergo &c. Quapropter idem Anſelmus ad cap. 12. II. ad Corinthios ſubdit. *Cum de his tam execrandis libidinum perpatrationibus, pænitentiam fieri ſuadeat Apoſtolus, patet, quia non eſt ulla criminum tam horrenda macula, quæ per pænitentiam deleri non poſſit*. IV. Poteſtas ligandi, & ſolvendi, remittendi, & retinendi peccata, conſtituit vere forum internum pro iiſdem, vel condonandis, vel retinendis ad tempus; ſed hæc poteſtas fuit a Deo tributa Apoſtolis, & Succeſſoribus ipſorum: ergo Deus vere conſtituit in Sacramento Pænitentiæ forum internum pro peccatis.

Objiciunt I. Sacræ Paginæ tribuunt Peccatorum remiſſionem non Eccleſiæ judicio, ſed Peccatoris converſioni, ac contritioni: ergo ex earundem teſtimonio, non datur in Eccleſia Tribunal, neque internum pro peccatis, neque externum pro cenſuris. Probatur antecedens. Pſal. 50. dicitur: *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*: & Ezechielis 18. *Si impius egerit Pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur*. II. Novum pariter teſtamentum tribuit Peccatorum remiſſionem Charitati, & miſericordiæ operibus, & non Eccleſiæ tribunali: ergo &c. Probatur antecedens. Lucæ 7. Chriſtus mulieri peccatrici peccata condonavit, quia dilexit. *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit*. Joannis 8. Mulieri adulteræ pariter Jeſus dixit. *Mulier ubi ſunt, qui te*

accu-

accuſabant? Nemo te condemnavit! Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem Jeſus, nec ego te condemnabo: vade & jam amplius noli peccare. III. Actorum 8. S. Petrus non remiſit Simonē Magum, gravium criminum Reum, ad aliquod Eccleſiæ Tribunal, ut in eo vel condemnaretur, vel abſolveretur: ergo ſignum eſt, quod nullum tribunal in Eccleſia agnoſcebat. Probatur antecedens ex verbis Petri. *Petrus autem dixit ad eum: non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pænitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe*. IV. In lege gratiæ Fides, Pænitentia, & Charitas eandem virtutem habent, quam in lege moſaica habebant; ſed in lege moſaica per has ſolas virtutes Peccatores juſtificabantur, abſque eo quod eſſet in Eccleſia tribunal, in quo judicarentur: ergo pariter in lege nova ſatis eſſe debent virtutes eædem, abſque eo quod in Eccleſia novum tribunal conſtituatur. V. Chryſoſtomus docet homil. 85. in Joannem, quod miniſter in Sacramento Pænitentiæ ſolum linguam adhibeat; ſed ſola lingua non poteſt Judicis officium exercere, & adimplere: ergo ex Chryſoſtomo nullum eſt judicium in Pænitentiæ Sacramento: ergo nullum Tribunal. VI. Auguſtinus lib. 3. quæſtionum veteris teſtamenti docet, quod in Sacramento Pænitentiæ nihil reperitur, quod ſit ſenſibile, ſicut in cæteris Sacramentis habetur; ſed judicium nequit fieri ſine aliquo ſenſibili, cui innitatur: ergo ex Auguſtino in Sacramento Pænitentiæ nullum ſit judicium, adeoque nullum eſt tribunal.

Reſpondemus ad I. Utique Scripturas inducere neceſſitatem in peccatoribus pænitentibus ſinceræ converſionis, & contritionis cordis; at non negare judicii neceſſitatem, imo potius inducere, & confirmare. Sic pariter nos Catholici commendamus contritionis, & converſionis virtutem, quæ ſemper eſt neceſſaria; at non idcirco excludimus efficaciam, & neceſſitatem Sacramenti Pænitentiæ, & per conſequens neque excludimus exiſtentiam Tribunalis, ſive interni, ſive externi in Eccleſia, tam reſpectu peccatorum, quam cenſurarum.

Ad II. Tribuunt quoque Scripturæ ſuam vim in Sacramento Pænitentiæ Charitati, & Miſericordiæ operibus; ſed non ideo negant exiſtentiam fori, ſive externi, ſive interni, in quo peccata, & crimina vel relaxentur, vel retineantur. Ad exempla Chriſti tam reſpectu mulieris peccatricis, quam reſpectu mulieris adulteræ, dicitur, quod tunc temporis adhuc Chriſtus Pænitentiæ Sacramentū non inſtituerat, & per conſequens, nec internum, nec externum Eccleſiæ forum pro peccatis, & cenſuris erexerat. Denique & ſi Pænitentiæ Sacramentum Inſtitutum antea fuiſſet, poterat Chriſtus per poteſtatem excellentiæ peccata dimittere ſine illo; ejus autem exemplum extendi nequit ad Eccleſiæ Miniſtros, in quibus non eſt poteſtas excellentiæ, quæ erat in Chriſto.

Ad III. S. Petrus remiſit Simonem Magum ad Pænitentiam, non ſolum, ut virtus eſt, ſed etiam, ut eſt Sacramentum; quando ei dixit: *Pænitentiam itaque age ab hac nequitia tua*; ut Doctores noſtri communiter explicant.

Ad IV. dicitur, quod ſicut per inſtitutionem baptiſmi nihil detractum fuit ab efficacia virtutum, Fidei, & Charitatis, ita nec per inſtitutionem Pænitentiæ; & quemadmodum compati poſſunt virtutes hæ cum baptiſmo, ita etiam ſunt compatibiles cum Pænitentia.

Ad V. Hæc ſunt verba Chryſoſtomi citato loco. *Sacerdos linguam, & manus præbet; neque enim juſtum eſt propter alterius malitiam, ad ſalutem noſtram accedentes, offendi*. Et hujuſmodi verborum ſenſus eſt, quod in Sacramento Pænitentiæ, in ejuſque foro, inveniatur poteſtas principalis, & poteſtas miniſterialis; illa eſt in Chriſto, qui Princeps eſt; altera vero eſt in Eccleſiæ Miniſtro, qui Judex eſt, & virtute poteſtatis operatur, quam a Chriſto Principe accepit. Unde S. Pacianus Barcinonenſis in epiſt. ad Sympronianum, qui erat Novatianus, hæc ſcribit. *Solus hoc Deus poterit, verum eſt; ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit:* quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in Cælis; quæcunque ſolveritis in terris ſoluta erunt & in Cælis.

Cur

Cur hoc,ſi ligare hominibus,et ſolvere non licebat ? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet ? Ergo & baptizare ſolis licet, & ſpiritumSanctum dare ſolis,& ſolis Gentium peccata purgare;quia totum hoc non aliis, quam Apoſtolis imperatum eſt. Quod ſi uno in loco, & reſolutio vinculorum, & Sacramenti poteſtas datur, aut totum ad nos ex Apoſtolorum forma, & poteſtate deductum, aut nec illud ex decretis relaxatum eſt.... Si ergo & lavacri,& Chariſmatis poteſtas, majorum longe chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque ſolvendi.

Ad VI. Dicitur, quod Auguſtinus intelligendus eſt de elemento proprie dicto, non vero de ſigno ſenſibili, quod ſic explicat P. Boucat. ,, . Duplicis ge-
,, neris ſunt Sacramenta : quædam ha-
,, bent materiam phyſicam,& elementa-
,, rem, ut Baptiſmus, Confirmatio ; &
,, quædam moralem, quæ in actibus vo-
,, luntatis ſita eſt, ut matrimonium in
,, conſenſu, ut Pænitentia in Confeſſio-
,, ne, & dolore ; omnia ſenſibilem ha-
,, bent, nanque conſenſus interior debet
,, aut voce, aut nutibus exprimi in Ma-
,, trimonio : peccata per confeſſionem
,, aperiuntur, dolor per voces,aut pecto-
,, ris percuſſionem, ſe prodit, quod ſuffi-
,, cit ad rationem ſigni;juxta illud ipſius
,, Auguſtini lib. 10. Confeſſ. cap. 35. his
,, verbis. *Vide, quid ſapiat, vide quid*
,, *oleat, vide quid ſonet, vide quam durum*
,, *sit*. Ea igitur omnia ſigna dicuntur,
,, quæ ſenſu percipiuntur. ,, .

Pro ultima Diſſertationis parte, hæc addimus ex Fraſſen tract.1. de Sacram. Pænitent.diſp.2.art.2.q.5. in Corrollario. ,, . Ex his aperte ſatis, & abunde
,, confutata manet ſententia *Antonii de*
,, *Dominis, Archiepiſcopi Spalatenſis*, qui
,, lib.5. *de Republica Eccleſiaſtica*, fatetur
,, quidem, Sacerdotes novæ legis habere
,, poteſtatem revera ſolvendi, ac ligandi
,, peccatores apud Deum, at non reſpe-
,, ctu omnium peccatorum ; ſed dunta-
,, xat quorundam. Duplicis quippe gene-
,, ris peccata diſtinguit,quorum quædam
,, ita occulta ſunt, & latentia, ut nulla
,, ratione exterius pateant,nec ullum af-
,, ferant Eccleſiæ ſcandalum, qualis eſſet
,, V.G. *deliberata animi interna voluntas*
,, *adulterandi, nullo exteriori ſigno manife-*
,, *ſtata*; quædam vero ita notoria ſunt
,, & publica, ut Eccleſiæ ſcandalum af-
,, ferant, ejuſque Sanctitatem inficiant,
ut *homicidium,adulterium publicum &c*
,, Docet autem,occulta peccata non in-
,, ducere vinculum, nec ligare, niſi apud
,, Deum, a quo ſolo poſſunt diſſolvi di-
,, recte, & immediate ; quare ſi pecca-
,, tor occultus,coram Deo perfecte con-
,, tritus, ejuſmodi peccati veniam exo-
,, ret, eam conſequitur, nec tenetur
,, peccatum illud Sacerdotibus per Con-
,, feſſionem exponere ; ſi vero ita expo-
,, nat, ut a Sacerdote abſolvatur, hæc
,, abſolutio prorſus erit inutilis & otio-
,, ſa ; tum quia, inquit, peccatum iſtud
,, remiſſum eſt, antequam peccator
,, accedat ad Eccleſiam ; tum quia Ec-
,, cleſia non poteſt ſolvere, quod ipſa
,, non ligavit. Quatenus vero peccata
,, ſunt publica,remittuntur a Deo dire-
,, cte, & immediate, ut ſunt offenſiva
,, Dei, & ab Eccleſia, quatenus ſunt of-
,, fenſiva Eccleſiæ ; idque duntaxat poſt
,, peractas ſatisfactiones, & perpeſſos
,, labores pænitentiales. Ex quibus col-
,, ligit, quod,etſi abſolutio Eccleſiæ pæ-
,, nitentibus non proſit, quantum ad re-
,, miſſionem occultorum peccatorum,
,, nihilominus, inquit, SS. Patres hortati
,, ſunt Pænitentes, ut ab Eccleſia po-
,, ſtularent ligationem, & ſolutionem
,, pro criminibus occultis, eo quod im-
,, poſiti Pænitentiæ labores eis prodeſ-
,, ſent, ut fructus, & effectus interioris
,, pænitentiæ : exercitia quippe durioris
,, Pænitentiæ a Sacerdotibus injuncta,
,, argumenta erunt contriti ac humiliati
,, cordis. ,, . His poſitis

Impugnatur I. hoc hæreticum dogma ab eodem Fraſſen. Sacerdotes novæ legis acceperunt a Chriſto poteſtatem remittendi quæcunque peccata ſimpliciter, & abſque ulla exceptione : ergo acceperunt etiam poteſtatem dimittendi peccata occulta. Antecedens probatur ; quia Chriſtus indiſcriminatim, & univerſim dixit Apoſtolis Matth. 16. *quodcunque ſolveritis &c.* Matth. 18. *quæcunque ſolveritis &c.* Joannis 20. *quorum remiſeritis peccata &c.*

Impugnatur II. ex Patribus. Chryſoſtomus lib.3. *de Sacerdotio* cap.5. *Omnem rerum cæleſtium poteſtatem a Deo Sacerdotibus eſſe traditam, & tantã ad remittenda peccata, quantam Deus Pater dedit Filio.* Hilarius Can. 16. in Matth. *O felix Eccleſiæ fundamentum* (alloquitur S. Petrum), *dignaque ædificationis illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra*

diſſolveret . O beatus Cæli Ianitor , cuius arbitrio claves æterni aditus traduntur , cujus terreſtre judicium præjudicata ſit auctoritas in Cælo , ut quæ in terris,aut ligata ſunt , aut ſoluta , ſoluti ejusdem conditionem obtineant & in Cælo . S.Leo ſerm.3. *Manet ergo Petri privilegium , ubicunque ex ejus æquitate fertur judicium,nec nimia eſt ſeveritas , vel remiſſio, ubi nihil erit ligatum , nihil ſolutum , niſi quod B. Petrus ſolverit , aut ligaverit .*

III. Impugnatur ratione , & verbis ejusdem Fraſſen citato loco. ,, . In hoc au-
,, tem turpiſſime hallucinatu Spalaten-
,, ſis , quod confundat *poteſtatem clavium*
,, quoad *forum exterius* , *& contentioſum*
,, *cum poteſtate clavium* quoad *forum inte-*
,, *rius*: ait enim cap.7.nu.25. ligamen,ſeu
,, vinculum , quo peccatores Eccleſia li-
,, gat , in aliqua ſemper excommunica-
,, tione conſiſtere, dum videlicet Eccle-
,, ſia vel peccatorem publicum prorſus
,, ſeparat e numero fidelium , ſi ſit con-
,, tumax , & incorregibilis, vel duntaxat
,, ad tempus , donec ſcandalum debita
,, ſatisfactione publica expiaverit ; ſic-
,, que vult ſolum alligari , vel retineri
,, peccata per Eccleſiæ claves , cum ita
,, in peccatorem publicum animadver-
,, tit ; ſolvi autem,& remitti , cum tollit
,, ejuſmodi Excommunicationis vincu-
,, lum, ſicque externum forum Eccleſiæ
,, cum interno perperam confundit ; ſi
,, quidem poteſt aliquis ab excommuni-
,, catione ſolvi , qui nihilominus rema-
,, nebit peccato obſtrictus ; ſicut & alius
,, abſolvi poteſt a peccato per contritio-
,, nem perfectam.*qui tamen remanebit ex-*
,, *communicatione ligatus . Igitur diverſa*
,, *eſt poteſtas abſolvendi ab excommunica-*
,, *tione ab illa , qua quis abſolvitur a pecca-*
,, *tis in foro interiori & ſecreto Sacramen-*
,, *ti Pænitentiæ* . ,, .

Opponit I. , quod ſolus Deus remittit offenſam ſibi illatam ergo non Eccleſia . II.Eccleſia ſolvit tantum quæ ligat;ſed non ligat peccata occulta : ergo neque ſolvit . Probat minorem ; quia Eccleſia non judicat de internis , & de occultis .

Reſpondet Fraſſeo ad I. , quod Deus remittit offenſam auctoritate propria, & principali ; Eccleſia vero ex delegatione , & commiſſione Dei : ,, Sicut
,, enim privatus Judex non poteſt con-
,, donare offenſam irrogatam Principi
,, propria auctoritate, ſed ſolum ex Prin-
,, cipis delegatione , ita Sacerdos non ex
,, propria,ſed ex Dei conceſſione remit-
,, tit offenſam Deo irrogatam . ,, .

Ad II. diſtinguit dicens , quod Eccleſia non poteſt ligare peccata , quando occulta ſunt & omnino interna , at poteſt ligare , quando manifeſtantur , & nota fiunt per Confeſſionem ,, : Tunc enim
,, Eccleſia per ſuos Miniſtros ejuſmodi
,, occulta peccata retinere poteſt , ſi de-
,, bitas diſpoſitiones in pænitente non
,, requirat; ea vero abſolvere , ſi idoneas
,, diſpoſitiones inveniat . ,, .

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCLXII.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ. Quænam ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ circa quam? *Quænam ſit materia* ex qua?

Materiam Sacramenti Pænitentię dividunt communiter Theologi, ut materiam aliorum Sacramentorum pariter dividunt; ſcilicet in remotam, & proximam. Materiam remotam vocant quoque materiam *circa quam*, quam dicunt eſſe objectum, vel ſubjectum, circa quod Sacramentum occupatur, nimirum peccata, circa quæ occupatur Pænitentiæ Sacramentum. Materiam vero proximam dicunt etiam materiam *ex qua*, & ſunt partes, ex quibus Sacramentum Pænitentiæ conſtituitur, nimirum Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio; ex quibus aliquæ dicuntur eſſentiales, ſiue quibus nullum eſt Sacramentum, aliæ vero ſolum integrantes, quæ ſcilicet ad integritatem Sacramenti, non ad eſſentiam pertinent.

Circa materiam *circa quam* dubitari poteſt, an ſit eadem materia, quæ dicitur remota, hoc eſt peccata, & qualia? Nimirum an originale, an actuale ſolum? Et, an veniale ſit materia ſufficiens, aut etiam neceſſaria? Circa materiam vero proximam, quæ eſt materia *ex qua*, dubitatur quoque, an conſiſtat in actibus Pænitentis? An in manus impoſitione ex parte Miniſtri? An in aliquo alio? Et demum dubitatur quoque, quænam hujus Sacramenti ſint partes eſſentiales, & quænam integrantes?

Dicimus I. Peccatum originale non eſſe materiam remotam, ſeu *circa quam* Sacramenti Pænitentiæ; ſed actuale tantum, quod committitur poſt Baptiſmum: Mortale ſcilicet eſſe materiam neceſſariam; veniale vero peccatum eſſe materiam liberam, & ſufficientem.

Prima Concluſionis pars. I. probatur. Ex probatis a nobis, Sacramentum Pænitentiæ eſt diſtinctum a Sacramento Baptiſmi: ergo non eſt pro peccatis illis, pro quibus Sacramentum baptiſmi eſt inſtitutum pro peccato originali delendo: ergo pro peccato originali delendo non eſt inſtitutum Pænitentiæ Sacramentum.

II. probatur. Sacramentum Pænitentiæ continet judicium Eccleſiæ: ergo illos tantum complectitur, qui Eccleſiæ ſunt ſubjecti; ſed qui originale peccatum habent, non ſunt Eccleſiæ ſubjecti: ergo illos non complectitur Pænitentiæ Sacramentum. Minor ſubſumpta probatur, quia, qui originale peccatum habent, ſunt infideles, qui extra Eccleſiam reperiuntur, & Apoſtolus dicit I. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare.*

III. Probatur. Peccata, quæ propria voluntate committuntur, & quæ proinde de voluntatis dicuntur, ſunt materia, *circa quam* Sacramenti Pænitentiæ; ſed peccatum originale non eſt peccatum voluntatis, ſed naturæ: ergo ad illud expiandum non extenditur Pænitentiæ Sacramentum.

Secunda concluſionis pars probatur. I. Sacramentum Pænitentiæ eſt pro remittendis peccatis illis, quorum peccatorem pænitere debet, & quæ proponere habet non amplius ſe commiſſurum; ſed hæc ſunt tantum peccata actualia mortalia poſt baptiſmum commiſſa: ergo hæc ſunt tantum materia *circa quam* Sacramenti Pænitentiæ. Probatur major; quia ex Tridentino habemus, Sacramentum Pænitentiæ fuiſſe a Chri-

a Chriſto inſtitutum pro Lapſis; ſed Lapſi ſunt illi tantum, qui committunt crimina, ſeu mortalia peccata: ergo pro his tantum peccatis remittendis fuit Sacramentum Pænitentiæ inſtitutum: ergo hæc tantum peccata ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ.

II. probatur. Materia proxima Sacramenti Pænitentiæ verſatur tantum circa peccata actualia mortalia; ergo hæc ſola ſunt materia neceſſaria, circa quam Sacramenti Pænitentiæ; unde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. expreſſe docet. *Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in baptiſmo, ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam conſtanter tueretur non fuiſſet opus aliud ab ipſo baptiſmo Sacramentum ad peccatorũ remiſſionẽ eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe poſtea in peccati ſervitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pænitentiæ, quæ lapſis poſt baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pænitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam, & juſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam, qui baptiſmi Sacramento ablui potuiſſent, ut perverſitate abjecta, & emendata, tantam Dei offenſionem, cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtarentur.*

III. Probatur. Peccata illa ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ, quę non niſi, quam per idem Pænitentiæ Sacramentum remitti poſſunt ab Eccleſia; ſed ita ſunt peccata actualia mortalia: ergo peccata actualia mortalia ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ. Argumentum eſt doctrina Concilii Tridentini in ſeſſ. 14. cap. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ, jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum Lapſis, jure divino, neceſſariam exiſtere, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, qui pro poteſtate Clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe, jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pænitentem, & olim obſervatum fuiſſe tantum ob ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia: anathema ſit.*

Tertia Concluſionis pars, quod ſcilicet peccata venialia ſint materia ſufficiens & libera Sacramenti Pænitentiæ, probatur I. Peccata venialia ſunt vera peccata: ergo ſunt materia pænitentiæ: ſed non ſunt materia neceſſaria, quia non ſunt peccata gravia: ergo ſaltem ſunt materia ſufficiens. Antecedens probatur. Peccata venialia ſunt talia peccata, quæ clavibus Eccleſiæ juſte ſubjici poſſunt, & rite ſubjiciuntur: ergo ſunt vera peccata.

II. Probatur. Illa peccata ſunt materia Sacramenti pænitentiæ, quorum remiſſionem Chriſtus tribuit Apoſtolis; ſed Chriſtus tribuit Apoſtolis remiſſionem venialium: ergo peccata venialia ſunt materia Sacramenti Pænitentiæ. De majori propoſitione non eſt dubium, quia peccata illa recte nos confitemur, quæ Eccleſiæ miniſtri rite abſolvunt; minor probatur; quia Chriſtus abſque illa peccatorum diſtinctione Apoſtolis dixit: *Quorum remiſeritis peccata &c.; quæcunque ſolveritis ſuper terram &c.* ergo, ſi Chriſtus nullam fecit peccatorum diſtinctionem in abſolutione, nec nos debemus facere in confeſſione.

III. Probatur ex uſu & praxi Eccleſiæ, quum ſciamus, viros alioquin pios & doctos ſubjicere clavibus Eccleſiæ in Confeſſione peccata etiam venalia; unde Tridentinum citato Can. 7. hanc praxim approbavit, tanquam rectam & utilem, & quæ poteſt citra omnem præſumptionem retineri. Et Sacra facultas Pariſienſis anno 1665. hanc propoſitionem proſcripſit: *Confeſſio valida eſt, deficientibus peccatis: potuit ergo*

Bea-

Beatiſſima Virgo, licet nec contritionem habuerit, nec ullum, vel leviſſimum peccatum, commiſſerit, Beato Joanni confiteri. Ex quibus verbis deducitur, quod poſſumus peccata levia Eccleſiæ miniſtro confiteri.

IV. Probatur. Peccatorum venialium quotidie a Deo petimus remiſſionem in oratione dominica, quam Auguſtinus in lib. Enchiridii cap. 70. vocat quotidianam pænitentiam, & ſatisfactionem: dicimus enim: *dimitte nobis debita noſtra &c.*: ergo ſignum eſt, quod ſunt materia ſufficiens & libera Sacramenti Pænitentiæ. Proinde Tridentinum citato loco, hæc habet. *Venialia peccata, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Et Auguſtinus citato loco Enchiridii ſcribit. *De quotidianis autem brevibus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit: eorum eſt enim dicere: Pater noſter, qui es in Cælis, qui jam Patri tali regenerati ſunt ex aqua, & Spiritu Sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa, a quibus vita Fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pænitendo in melius mutata, diſcedit.*

Arguunt I. Poteſt dari peccatum mortale, quod actu committatur ab aliquo, quando baptizatur; ſed hoc peccatum eſt materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ, & tamen non eſt comiſſum poſt baptiſmum, ſed in actu receptionis baptiſmi: ergo materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ non ſunt ſola peccata comiſſa poſt baptiſmum. II. Peccata venialia non poſſunt a Miniſtris Sacramenti Pænitentiæ retineri: ergo, nec debent remitti: ergo, nec pariter tenemur eadem confiteri. Conſequentia prima ſequitur; quia de iiſdem peccatis data eſt a Chriſto Eccleſiæ miniſtris poteſtas remittendi, ac poteſtas retinendi: ergo, ſi iidem miniſtri non habent poteſtatem retinendi venialia, nec pariter habent auctoritatem illa remittendi. III. Eodem modo ſunt materia Sacramenti Pænitentiæ peccata venialia, ac mortalia alias abſoluta; ſed mortalia alias abſoluta non ſunt materia ſufficiens & libera Sacramenti Pænitentiæ: ergo nec venialia. Probatur minor; quia ſi mortalia alias abſoluta eſſent materia ſufficiens, & libera Sacramenti Pænitentiæ, ſequeretur, quod ex una & eadem materia conficerentur duo Sacramenta Pænitentiæ, quod non eſt dicendum; ſequeretur inſuper, quod abſolutio eſſet falſa, quia Miniſter abſolveret peccata, quæ jam fuiſſent antecedenter abſoluta: ſequeretur denique, quod, quum peccatum abſolutum eſſet purum nihil, tum moraliter, tum phyſice, judicium in Sacramento Pænitentiæ fieret de mero nihilo; quod nec pariter dici poteſt. IV. Peccata, quorum in Confeſſione obliviſcimur, vel quæ tacemus ob juſtam rationem, non debent iterum Confeſſario aperiri: ergo multo minus debent eidem manifeſtari peccata, vel venialia, vel mortalia alias abſoluta.

Reſpondemus ad I. quod nomine peccatorum, quæ poſt baptiſmum comittuntur, veniunt peccata illa, quæ per baptiſmum non remittuntur. Unde, quum peccatum illud, de quo arguens loquitur in hypoteſi, non ſit per baptiſmum remiſſum, quod negari ab arguente omnino non poteſt, ſequitur, quod per pænitentiam remitti debeat.

Ad II. dicitur, quod etiam Venialia aliquando ob juſtas cauſſas Confeſſario retineri poſſunt, tum ob frequentem in eadem lapſum, abſque ulla emendationis ſpe, tum ob propoſiti defectum, tum ob doloris, vel ob alias cauſſas, quæ facere poſſunt, ut eorundem abſolutio, ſaltem per aliquod tempus, ſuſpendatur.

Ad III. dicitur, quod mortalia alias abſoluta poſſunt eſſe materia ſufficiens & libera Sacramenti Pænitentiæ, quod patet ex Benedicto XI. in Extravaganti *inter cunctas de Privilegiis §. Cæterum;* ubi hæc leguntur. *Licet neceſſitate non ſit eadem confiteri peccata, tamen, quia propter erubeſcentiam, quæ magna eſt pænitentiæ pars, ut eorundem peccatorum reiteretur confeſſio, putamus ſalubre.* Et quanvis ſit eadem materia *circa quam*, non tamen eſt eadem materia *ex qua*, quia diverſi ſunt actus doloris, propoſiti, & confeſſionis; nec abſolutio eſt falſa, quia per verba illius, vel confertur gratia, vel augetur, ſi alias

in

in pænitente invenitur, & hoc in caſu propoſito abſolutionis verba importarent; & denique, quia peccatum abſolutum, etſi condonatum, eſt nihilominus denuo condonabile; quod ſi faciunt bomines, & bene faciunt, ſæpius remittendo offenſas, quas ab hominibus acceperunt, a fortiori poteſt facere Deus, qui in condonando ſuam infinitam exercet, & potentiam, & miſericordiam.

Ad IV. Falſitas argumenti propoſiti patet ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. quæ eſt; *Peccata in Confeſſione remiſſa, ſeu oblita, ob inſtans vitæ periculum, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.*

Circa alteram Diſſertationis partem, enumeramus Hæreticorum errores, præcipue noviſſimorum; & deinde ſubnectimus Scholaſticorum opiniones.

Primo, Lutherus voluit, partes pænitentiæ non eſſe contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, ſed duas tantum, ſcilicet terrores incuſsos Coſcentiis poſt peccati agnitionem, & fidem conceptam ex Evangelio, vel ex abſolutione, qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata per Chriſtum. Hæc ſunt verba Lutheri in Refutatione articulorum Lovanienſium cap. 37. ,, . A ,, Lovanienſiũ Synagoga tradita ſenten- ,, tia (ſcilicet, quod ſit Contritio, Confeſ- ,, ſio, & ſatisfactio,) eſt nulla, niſi Judæ ,, prodireris, & ſimilium, ideo ut bære- ,, tica eſt damnanda ,, . Hæc ſunt pariter ejuſdem Lutheri verba prout ea refert Cardinalis Pallavicinus lib. 12. Hiſtoriæ Concilii Tridentini cap. 10. ,, . Non ,, ſunt tres pænitentiæ partes, contritio, ,, confeſſio, & ſatisfactio; ſed duæ tan- ,, tum terrores ſcilicet incuſſi conſcien- ,, tiis agnito peccato, & fides concepta ,, ex Evangelio, vel abſolutione, qua ,, credit quis ſibi per Chriſtum eſſe re- ,, miſsa peccata. ,, .

Secundo, Calvinus duas aſſerit eſſe Pænitentiæ partes, ſcilicet mortificationem, & vivificationem; per mortificationem, non intelligit terrores incuſſos, ut intelligebat Lutberus, ſed vitiorum mortificationem, abnegationem ſui, & totius veteris bominis ſpoliationem; per vivificationem vero non intelligit fidem, vel fiduciam, aut conſolationem ex Evangelio conceptam. ut pariter intelligebat Lutherus, ſed ſtudium bene vivendi, affectum ad opera bona &c. ſut videre eſt apud ipſum lib. 3. Inſtitut. cap. 33. §. 8. ubi concludit. ,, proinde non va- ,, leret aliquo tempore, ſed tota vita pæ- ,, nitentia agenda eſt. ,, .

Circa vero Scholaſticorum opiniones, aſſerit Jueninus in Inſtitutionibus Theologicis part. 8. *de Pænitentia* q. 2. duas eſſe Theologorum ſententias, unam ſcilicet Scotiſtarum, qui volunt, actus pænitentis, ſeu contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, non eſſe materiam *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ, ſed eſſe ipſamet verba, ex quibus abſolutio conſtat; unde aſſerunt, abſolutionem eſſe Sacramenti Pænitentiæ materiam ſimul, & formam; materiam ſcilicet, prout ſunt ſonus quidam ſenſibilis, formam vero, prout ſignificant, ac exprimunt peccatorum remiſſionem; alteram vero Thomiſtarum, qui contendunt, actus Pænitentis eſſe materiam *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. Verum, ut res cum majori diſtinctione, & claritate explicetur, ſingulorum Scbolaſticorum circa ipſam adducimus, & enumeramus.

Primo Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 4., & diſt. 16. quæſt. 1. vult, quod tota Sacramenti Pænitentiæ ratio, ſeu eſſentia in ſola Sacerdotis abſolutione conſiſtat, & quod contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſint quidem neceſſariæ ad Sacramenti effectum, proprie tamen non eſſe illius partes eſſentiales. Multum quidem diſtat Scoti ſententia a Novatorum errore, prout ipſemet ſe explicat diſt. 16. quæſt. 1. citatis num. 7. ubi hæc ſcribit. *Hujus nulla pars eſt contritio; quæ eſt quoddam ſpiritale in anima,* (ideſt non ſenſibile) *neque confeſſio, quia nihil eſt ipſius ſententiæ Sacerdotis, ſed actus rei accuſantis ſe, neque ſatiſfactio, quæ ſequitur illam abſolutionem Sacramentalem .... Hæc tamen tria ad Sacramentum Pænitentiæ, ad hoc ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, vel ſequentia.*

Secundo, Andreas Vega lib. 13. *de juſtificatione* cap. 5. acriter defendit Scoti opinionem, eamque dicit multum a Novatorum errore diſtare, ac proinde Concilium Tridentinum Novatorum errorem damnans, nullum intendit Scolaſticorum opinionibus præjudicium inferre. Quod, & narrat Cardina-

dinalis Pallavicinus lib. 12. hiſtoriæ Concilii Tridentini cap. 10. dicens: *non parum in Concilio diſceptatum fuiſſe, qua ratione actus pænitentis declarandi forent pars Sacramenti, nihil ob id perſtricta Scoti ſententia, cui neque pariter officere voluerat Synodus Florentina.*

Tertio, Maldonatus part.3. de pænitentia Theſi 7. pariter Scoti opinionem defendit, & de Concilii Tridentini mente ſcribit: „ nunquam fuiſſe
„ Eccleſiæ ſenſum, ut decerneret in om-
„ ni Sacramento debere eſſe res duas
„ diſtinctas, quarum altera materia eſ-
„ ſet, altera forma. Hoc enim non po-
„ teſt in omni Sacramento reperiri,
„ V.G. in matrimonio: ſed tantum vo-
„ luit dicere, in omni Sacramento eſſe
„ quiddam externum, quod habeat vi-
„ cem materiæ, & quiddam, quod ha-
„ beat vicem formæ, etiamſi non ſit di-
„ ſtinctum. Ego vero jam docui, non
„ tantum aqua in baptiſmo eſſe mate-
„ riam, ſed etiam verba, quia quidquid
„ ſenſibus percipitur, vocatur materia
„ in Sacramento; ſignificationem au-
„ tem eſſe formam. „.

Quarto, Durandus in 4. diſt. 16. quæſt. 1. tuetur, quod ſola pænitentis confeſſio ſit materia eſſentialis pænitentiæ; contritio vero ſit diſpoſitio, & ſatisfactio ſit fructus Pænitentiæ.

Quinto, Paludanus aſſerit in 4. diſt. 16. quæſt. 4. quod contritio, confeſſio, & ſatisfactio ex æquo conſtituant eſſentialem materiam pænitentiæ. Et Petrus de Oſma Paludani ſententiæ accedens voluit, quod abſolutio data ante ſatisfactionem ſit nulla.

Sexto, Melchior Canus parte 6. *de Pænitentia*, docuit, quod contritio non ſit pars eſſentialis pænitentiæ, ſed tantum integralis.

Septimo, alii Theologi, quos impugnat S. Thomas Opuſculo 21. cap.4., & ſequitur Marianus Victorius in lib. *de Sacramento Confeſſionis* cap. 13., & in lib. *de Pænitentiis publicis*, voluerunt, quod manuum impoſitio ſit materia proxima & eſſentialis Sacramenti Pænitentiæ.

Octavo, communiter Theologi poſt Concilium Tridentinum ſcribentes pro materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ, aſſignant tres actus pænitentis, ſcilicet Contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, ita tamen, quod contritio, & confeſſio conſtituant materiam eſſentialem, ſatisfactio vero materiam integralem.

Dicimus II. Terrores Conſcientiæ incuſſos, & fidem ex Evangelio, vel ex abſolutione conceptam, in ſenſu Lutheri, & mortificationem, & vivificationem, in ſenſu Calvini, non eſſe materiam eſſentialem *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ.

I. Probatur ex Scripturis. Apoſtolus II. ad Corinth. 7. ſcribit: *Quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, Pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Ubi per triſtitiam, non intelligit Apoſtolus dolorem de peccatis comiſſis, quæ eſt contritio, ſed moleſtiam illam, & verecundiam, quæ gignit Pænitentiam. Et hoc ex eodem Apoſtolo patet, in eadem epiſtola cap. 2. *Ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis, non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vos*. Et cap. 7. *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad Pænitentiam*. Ad quæ Bellarminus *de Pæniten.* lib. 1. cap. 19. ſubdit. „. At cer-
„ te Apoſtolus non hæc diceret, ſi per
„ triſtitiã dolorem illum acciperet, quo
„ quis angitur, quod Deum offende-
„ rit. Non diceret, inquam: *ſcri-*
„ *pſi vobis, non ut doleatis de peccato*, cum
„ hoc ipſum vehementiſſime cuperet, ne-
„ que diceret: *non gaudeo, quia contriſtati*
„ *eſtis*; cum maxime gaudendum ſit, quod
„ peccatores peccaſſe ſe doleant, & gau-
„ dium ſit in Cælo ſuper uno peccatore
„ pænitentiam agente. Itaque, ut Chry-
„ ſoſtomus, & alii exponunt, ſenten-
„ tia Pauli eſt: gaudeo de fructu,
„ qui eſt Pænitentia. Et quemadmodum
„ medicus non gaudet, quod amaro
„ pharmaco, vel ſectione, aut aduſtio-
„ ne ægrotum cruciet, ſed gaudet de
„ ſanitate, quæ ex illo pharmaco, vel
„ ſectione, aut aduſtione conſequitur, ſic
„ etiam Paulus non gaudet, quod aſpe-
„ ra objurgatione, & minis, terrorem,
„ & moleſtiam Corinthiis attulerit; ſed
„ quod, ea moleſtia, ac terrores, Pæni-
„ tentiam, eamque ſtabilem, & omni-
„ no ſalutarem pepererint. Vides igitur
„ ex doctrina Apoſtoli Pænitentiam
„ non eſſe terrorem ex minis incuſſum,
„ ſed effectum, ſeu fructum quendam
„ ejus terroris, ut Concilium Tridenti-
„ num recte docet „. Calvini autem error ſic impugnatur; quia ipſe, vel confundit Pænitentiam cum juſtificatione poſte-

poſteriorem eſſe Pænitentia : Scripturæ vero aperte aſſerunt, Pænitentiam eſſe viam ad juſtificationem, & per conſequens eſſe priorem juſtificatione; vel ſupponit juſtificationem poſteriorem eſſe Pænitentia : Scripturæ vero aperte aſſerunt. Pænitentiam eſſe viam ad juſtificationem, & per conſequens eſſe priorem juſtificatione ipſa. Jerem. 18. *Si pænitentiam egerit gens illa a malo, agam & ego Pænitentiam*. Ezechielis 18. & 33. ſæpe repetit Dominus. *Si pænitentiam egerit impius, iniquitatum ejus non recordabor*. Lucæ 3. *Niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*. Lucæ 24. *Oportebat prædicari Pænitentiam, & remiſſionem peccatorum*. Actorum 2. *Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Actor. 3. *Pænitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Actor. 5. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua ad dandam Pænitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum*. Actor. 8. *Pænitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*. Actor. 2. *Ergo & Gentibus Pænitentiam dabit Deus ad vitam*,

II. probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius Magnus homil. 34. Pænitentiam definit: *præterita peccata plangere, & plangenda non admittere*: ubi dolor de admiſſis, & propoſitum de non admittendis expreſſe continetur, & nulli terrores, & nec fides exprimitur, quam vult Lutherus, & nec vivificatio, nec mortificatio, quam vult Calvinus. Et ante ipſum Leo Magnus ſerm. 11. *de Quadrageſima* cap. 4. *Lapſos, & inſidiarum ſuarum fraude deceptos pænitentiæ lacrymis ablui, & portas miſericordiæ, Apoſtolica clave reſerante, ad remedia reconciliationis admitti videt*. Gregorius III. De Pænitentia in præfatione. *Pænitentia dicta eſt a pænitendo, quod ſcilicet aliquis corde pæniteat, & ſe peccaſſe coram Deo erubeſcat. Quia Deo donante, nihil poteſt contra nos Diabolus in ſua proficere nequitia, ſi puram volumus agere pænitentiam*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. *Sancta Synodus damnat eorum ſententias, qui pænitentiæ partes, incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt*. Et can. 4. ejuſdem ſeſſionis. *Si quis dixerit duas tantum eſſe Pænitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa eſſe peccata; anathema ſit*.

IV. Probatur ex Patribus. Tertullianus in lib. *de Pænitentia* aſſerit, neceſſariam eſſe contritionem, quia oportet, Pænitentis animum mæroribus dedere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies, ac noctes: neceſſariam eſſe ſatisfactionem, quia oportet, ſacco, & cineri incubere, corpus ſordibus obſcurare, jejuniis preces alere: neceſſariam eſſe confeſſionem, de qua hæc omnia ſcribit: *Hæc omnia Exemologeſis, ut pænitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut peccatorem, ipſa pronuncians pro Dei indignatione fungatur ..... Cum igitur provolvit hominem, magis relevat, cum ſquallidum facit, magis mundatum reddit, cum accuſat, excuſat, cum condemnat, abſolvit*. S. Cyprianus in ſerm. *de Lapſis*. ait. *Denique quanto, & fide majora, & timore meliora ſunt, qui quanvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti; quia tamen de hoc, vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentur, Exemologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt*. Chryſoſtomus in ſerm. *de Pænitentia*, qui habetur in 5. tomo poſt homilias decem de Pænitentia. *In corde ejus contritio, eſt in ore confeſſio, in opera tota humilitas: hæc eſt perfecta, & fructifera pænitentia*; Auguſtinus tract. in Pſal. 146. illa verba exponens: *qui ſanat contritos corde*: inquit: *Sanat contritos corde, ſanat confitentes, ſanat ſe ipſos punientes*.

V. Probatur Rationibus I. Terrores incuſſi ex Luthero, & fiducia remiſſionis non coſtituunt pænitentiam, ſed antecedunt illam: ergo non poſſunt eſſe materia eſſentialis pænitentiæ. Antecedens probatur, quia poſſunt ad excitandam Pænitentiam: ergo eam inchoant, & inducunt, non vero coſtituunt. II. Si actus illi eſſent materia eſſentialis Pænitentiæ, ubicunque reperirentur, deberet eſſe Pænitentia; ſed hoc eſt falſum, quia plures terroribus hiſce concutiuntur, & nihilominus

nus

mus pænitentia non ducuntur : ergo quanvis terrores illi, & fides aliquando pænitentiam excitent, non eam tamen eſſentialiter conſtituunt. III. Si vivificatio Calvini eſt juſtificatio, nequit conſtituere pænitentiam, quia pænitentiam conſequitur : unde Actorum 11. dicitur. *Pænitentiam ; & Gentibus dedit, & vitam*, quibus verbis fit palam, quod pænitentia eſt via ad juſtificationem, & ideo eſt prior ipſa. IV. In oppoſito errore poſiti ſunt Lutherus, & Calvinus ; Lutherus enim ponit pro materia eſſentiali pænitentiæ actus illos, qui pænitentiam præcedunt ; Calvinus vero ponit actus illos, qui pænitentiam ſubſequuntur : ergo, ut veritas in medio ſit, debent pro materia eſſentiali Pænitentiæ poni actus illi, qui pænitentiam nec præcedunt, nec ſubſequuntur, ſed qui pænitentiam ipſam ingrediuntur, adeoque ipſam eſſentialiter conſtituunt ; quales ſunt, *Contritio, Confeſſio, & Satisfactio*.

Arguunt I. Scripturæ docent, ex duabus tantum partibus Pænitentiæ Sacramentum conſtitui, ſcilicet ex ceſſatione a malo, & ex converſione ad bonum : ergo hæ tantum duæ ſunt materia eſſentialis *ex qua* hujus Sacramenti, & non illæ tres, quas Catholici aſſignant. Antecedens probatur. Iſaiæ I. dicitur: *quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere*. Et Pſal.34. *Declina a malo, & fac bonum*. II. Illæ partes ingrediuntur eſſentialiter materiam *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ, quæ in ejusdem definitione apponuntur ; ſed in ejusdem definitione apponuntur averſio a malo, & converſio ad bonum : ergo hæ duæ tantum partes ſunt materia eſſentialis *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. Probatur minor. Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 14., & Gratianus diſt. 3. *de Pænitent.*, has aſſignant Sacramenti Pænitentiæ definitiones, quas volunt decerptas ex Ambroſio, Auguſtino, & Gregorio: *Ante acta peccata deflere, & flenda non committere* : & *Mala præterita plangere, & plangenda non committere* : & *vindicta quædam puniens in ſe, quod dolet comiſiſſe*. III. In Scripturis pro materia ex qua Sacramenti Pænitentiæ leguntur tantum terror, & fides : ergo non illi tres actus materiam, *ex qua* hujuſmodi Sacramenti ingrediuntur. Probatur antecedens. Marci 1. *Pænitentiam agite, & credite Evangelio*. Lucæ ultimo. *Oportet prædicare Pænitentiam, & remiſſionem peccatorum in nomine meo*. Actor. 20. *Teſtificans Judæis, atque Gentilibus, in Deum pænitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. IV. Actus illi, quos Catholici docent eſſe materiam eſſentialem Sacramenti Pænitentiæ, nullibi in Scripturis inveniuntur expreſſi : ergo pro libito & ſine fundamento ſunt excogitati. V. Idem actus poſſunt ab homine ſimulari, & fingi : ergo in illo caſu eſſet ſimulatum Sacramentum Pænitentiæ, quod non eſt dicendum. VI. Judas habuit tres actus jam dictos, & nihilominus laqueo ſe ſuſpendit, quia fidem ſpecialem non habuit : ergo non actus illi, ſed fides, Sacramentum pænitentiæ eſſentialiter conſtituit. VII. Tres actus, de quibus loquimur, quanvis olim fuerint neceſſarii ad pænitentiam publicam, nunquam tamen neceſſarii fuerunt ad Pænitentiæ Sacramentum eſſentialiter conſtituendum : ergo vana fuit Catholicorum excogitatio, illos pro materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ aſſerere, & publicare. VIII. Veteres Patres quando loquuti fuerunt de Pænitentiæ Sacramento, nunquam uſi ſunt illis tribus actibus, quos Scholaſtici induxerunt, ſed dumtaxat illud explicarunt per ceſſationem a malo, & per converſionem ad bonum : ergo ſignum eſt, quod hæ duæ tantum partes materiam *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ eſſentialiter conſtituant.

Reſpondemus ad I. Iſaiæ verba non indicare, quod juſtificatio ſit poſt præteritorum peccatorum deteſtationem, & melioris vitæ propoſitum, quod intendit Calvinus, ſed ante ; adeoque Pænitentiam non eſſe fructum, ſed eſſe cauſſam juſtificationis noſtræ ; & hoc patet, quia poſt citata verba Iſaias dicit : *quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere : quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam ; & venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, ut nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. Ad ſecundum locũ dicitur, quod, quæ ibi adnumerantur, ſunt partes juſtitiæ, non partes Pænitentiæ, ut Bellarminus exponit.

Ad II. dicitur, tres actus Pænitentiæ eſſe tres pænitentis actiones, quæ exiguntur ad peccati remiſſionem in Sacramento reconciliationis. Definitiones allatæ pænitentiæ intelliguntur, vel de ſola contritione, vel de contritione, & ſatisfactione, in qua confeſſio includitur.

Ad III. dicitur, quod admittuntur quidem terrores, & minæ, quæ cauſſant pænitentiam, non vero conſtituunt; aliter in Dæmonibus, in quibus locum habent terrores, & minæ, locum pariter haberet pænitentia, quod nemo dicere poteſt; ut enim ait Bellarminus, *Aliud eſt terreri, quod etiam Dæmonibus competit, aliud pænitere, quod illis non convenit*. Allatæ Scripturæ diſtinguunt pænitentiam a Fide; Paulus enim prædicat pænitentiam, & fidem: ergo ſignum eſt, quod non conſtituunt Pænitentiam in fide.

Ad IV. dicitur, quod actus illi continentur in Scripturis; & quidem contritio, ſeu dolor, habetur Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu*: Satisfactio, Danielis 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*: & de confeſſione erit ſermo ſuo loco.

Ad V. dicitur, quod in caſu ſimulationis, non conficitur Sacramentum pænitentiæ, quia deſunt actus illi, qui eſſe debent sinceri & veri, ut ex illis pænitentiæ Sacramentum conſtituatur. Cæterum ſimulatio poteſt etiam habere locum in Baptiſmo, & in Euchariſtia, & tamen non per hoc Adverſarii dicunt, quod Baptiſmus, & Euchariſtia non ſint Sacramenta.

Ad VI. Judas peccati ſui non vere pænituit; ſicut, nec corpus Domini credidit, quando ipſum accepit; & ideo ſe damnavit, & laqueo ſuſpendit: at non per hoc dici poteſt, quod verum Sacramentum Euchariſtiæ non acceperit, licet veram pænitentiam non habuerit, & licet fructum Sacramenti Euchariſtiæ non percæperit, quia vera Pænitentia deſtitutus erat.

Ad VII. hæc reſpondet Bellarminus.., Re-
„ ſpondeo; hæc omnia facile poſſent
„ contemni, cum nulla ratione, vel te-
„ ſtimonio muniantur; tamen non gra-
„ vabor uno verbo calumniam iſtam
„ refellere. Quomodo, quæſo, ad gene-
„ ralem doctrinam de Pęnitentia tres
„ illæ partes ex Ritibus publicæ pęniten-
„ tiæ acccmodatæ ſunt, cum etiam in
„ veteri teſtamento in uſu fuerint, ut ſu-
„ pra oſtendimus exemplo Davidis, &
„ Ninivitarum; & ex ipſa ratione, ac
„ natura pænitentiæ colligantur, ut
„ paulo ante demonſtratum eſt? Ritum
„ enim publicæ pænitentiæ poſt Chriſti
„ aſcenſionem in Cælum inſtitutum eſt,
„ nemo, opinor, inficiabitur. Deinde
„ cum aperte Veteres mentionem fa-
„ ciant pænitentiæ, & publicæ, & priva-
„ tæ, ut in ſequenti capite demonſtra-
„ bo; unde probabit Kemnitius, enu-
„ merationem illam ex ritibus publicæ
„ pænitentiæ, & non ex privatæ, ſump-
„ tam eſſe? „

Ad VIII. Ut oſtendantur mendacia Opponentium, ultra Patrum teſtimonia allata, hæc alia ſubnectimus, quæ afferuntur a Bellarmino. Tertullianus in lib. *de Pænitentia* ait. *Pænitentia Dominus mitigatur*. Cyprianus in ſerm. de Lapſis. *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulneri diligens & longa medicina non deſit*. Ambroſius præfatione in pſalm. 37. *Quis dubitet affligere animam ſuam, cum Propheta tantū ſe affiixerit, ſolvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati?* Auguſtinus in epiſt. 54. ad Macedonium. *Quoſdam a ſocietate removemus Altaris, ut pænitendo placare poſſint, quem peccando contempſerant, ſeque ipſos puniendo*.

Dicimus III. Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, tres Pænitentis actus, eſſe materiam ex qua Sacramenti Pænitentiæ.

I. probatur ex Scripturis. Deuteronomii 4. 29. *Cumque quæſieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Judith. 8. 14. *Quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pæniteamus, & indulgentiam ejus fuſis lacrymis poſtulemus*. Pſal. 6. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Pſal. 33. *Juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde*, Pſal. 37. 9. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei, Domine ante te omne deſiderium meum; & gemitus meus non eſt abſconditus*. 18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. Pſal. 41. 4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte*. Pſal. 50. 19. *Sa-*

Digitized by Google

19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal. 101. 10. Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam Pſal. 118. Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Eccleſiaſtici 1. 27. Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. Iſaiæ 38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Iſaiæ 66. 2. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Jerem. 51. 19. Poſt quam enim converſiſti me, egi pænitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meū. Confuſus ſum, & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. Joelis 2. 12. Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitiam.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus hom. de Feſto omnium Sanctorum cap. 3. Luctus hic, cui conſolatio æterna promittitur, non eſt cum mundi hujus affectione communis, nec beatum quemquam faciunt iſta lamenta, quæ totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio eſt Sanctorum gemituum, alia beatarum cauſa lacrymarum. Religioſa triſtitia, aut alienum peccatum luget, aut proprium; nec de hoc dolet, quod divina juſtitia agitur, ſed de eo mæret, quod humana iniquitate committitur. Ubi magis plangendus eſt faciens maligna, quam patiens. Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 17. Cum ad mentem male geſta pænitendo reducimus, gravi mox mærore confundimur, perſtrepit in animo turba cogitationum, mæror conterit, anxietas devaſtat, in ærumnam mens vertitur, & quaſi quodam nubilo caliginis obſcuratur. Hæc nanque caligo confuſionis eorum mentem ſalubriter oppreſſerat, quibus Apoſtolus dicebat: Quem enim fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? &c. Si diem, quam peccati delectationem diximus, tot impeti precibus audivimus, ut videlicet circundantes fletus expient, quicquid delectatus per negligentiam animus deliquit, quanta animadverſione pænitentiæ hujus diei nox ferienda eſt, videlicet ipſe jam conſenſus ad culpam? Tanto arctiori manu pænitentiæ mens a pollutione tergenda eſt, quanto ſe per conſenſum conſpicit ſordidius inquinatam. Cum vehemens pænitentiæ ſpiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehenſibilis gaudii perturbat, ut nihil, niſi quod ſe terrere poſſit, attendat. Ponit nanque ante oculos illinc diſtrinctionem juſtitiæ, hinc meritum culpæ, conſpicit quo ſupplicio digna ſit, ſi parcentis pietas deſit, quæ per lamenta præſentia ab æterna eruere pæna conſuevit. Innocentius III. ad Pſal. 1. Pænitentialem. Pænitentia debet habere tres partes: contritionem in corde, confeſſionem in ore, ſatisfactionem in opere: in contritione debet habere pænitens timorem de pæna, dolorem de culpa, & amorem de gratia. Et ad Pſal. 3. Pænitentialem. Tria ſunt in vera pænitentia neceſſaria, dolor compunctionis in corde, pronuntiatio Confeſſionis in ore, & flagellum ſatisfactionis in opere. Dolor compunctionis non debet eſſe perfunctorius, ſed continuus, non levis, ſed gravis, quia pænitere eſt pænitentiam tenere.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum in Decreto pro inſtructione Armenorum. Quartum Sacramentum eſt Pænitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pænitentis; qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut Peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia ſatisfactio pro peccato ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius Pænitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem, ex Dei inſtitutione requiruntur, pænitentiæ partes dicuntur. Et Can. 4. Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pænitente, quaſi materiam Sacramenti Pænitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionē, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur; anathema ſit.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 2. *Beatus David, quamvis audiverit Dominum tranſtuliſſe peccatum ipſius, non abſtinuit tamen a Pænitentia; verum loco purpuræ ſacco utebatur, & loco aurei throni, in terra cinereque rex ſedebat; neque tantum in cinere ſedebat, verum etiam cinere verſcebatur, quemadmodum ipſe dicit* : Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo. *Vindicabat lacrymis concupiſcentem oculum*. Gregorius Nyſſenus homil. ad eos, qui durius, & acerbius alios judicant. *Verum quoniam alius judicii Dominus, qui in infinita millium millia miſericordiam tribuit, nec vult mortem peccatoris, ſed expectat, ut reſipiſcat, eo fit, ut ne illi quidem, qui priorē gratiam contumelioſius abjecerunt, merito afficiantur ſupplicio, ſed a poſteriore miſericordia prior excipiatur, & oblivio cum venia conjungatur, ut lacrymarum effuſio lavacri vim habeat, gemituſque reducat gratiam, quæ paulisper receſſerat. Si orationi noſtræ fidem non habes, Petrum in ædibus Principis Sacerdotum interroga, & dicet tibi, quomodo abnegationis peccatum amare lugens expiaverit, nec in Simonem mutatus ſit, ſed Petrus permanſerit Apoſtolus &c. Conſidera mihi Davidem &c. Hic poſt præclarum divinæ laudis præconium, mulieris pulchritudine captus, quibus ſe peccatis obſtrinxerit, omnes ſcimus. Attamen idem a Propheta reprehenſus, admiſſum ſcelus agnovit, & pænitentiæ modum Poſteris ſeriptum reliquit. Quamobrem dolorem ejus in libro Pſalmorum, tanquam in ſpeculum, videmus expreſſum. Ubi nunc luctu, & ſquallore corpus excruciat, nunc ſibi noctes ad lugendum præſcribit &c.; explora celeriter, & diligenter animadverte morbum, quo affectus es, ſuſcipe ex eo dolorem, quantum maximum potes, affige te, fratreſque benevolos, atque unanimes adhibe, qui ſimul doleant adjumentoque ſint, ut libereris*. Chryſoſtomus in epiſt. 2. ad Corinth. homil. 4. in Moral. *Peccavit etiam David. Videamus igitur quo peccato; hic quoque pænitentiam egerit. Tres totos dies in cinere ſedit. At ille quidem hoc non ob peccatum fecit, ſed filii cauſa ..... peccatum autem alio modo abſterſit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem, dum etiam illud cavet, ne in eadem relabatur, dum peccati nunquam memoriam abjicit &c; Cor quippe contritum & humiliatum habebat .... nam in hoc demum confeſſio, in hoc pænitentia poſita eſt &c. Quamobrem tu quoque cor tuum dimitte, ut Deum allicias. Prope enim eſt illis, qui tribulato ſunt corde. Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis (nihil enim hoc eſt), ſed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſatum, ut filium quoque ſuum tua cauſa tradiderit. Ingemiſce igitur, neque unquam id facere intermitte. Etenim hoc demum eſt Confeſſio. Non nunc lætum, cras autem mæſtum, ac rurſum lætum te præbe; verum perpetuo in luctu; ac tui contritione mane*. Et ſermone de Pænitentia. *Perfecta pænitentia cogit pænitentem omnia libenter ferre; in corde ejus contritio, in ore confeſſio, in opere toto humilitas; ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iiſdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem, ore per confeſſionem, ac opere per ſatisfactionem*.

V. probatur ex Patribus Latinis. Cyprianus lib. *de Lapſis*, ait. *Confiteantur ſinguli, quæſo vos Fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt. Convertamur ad Dominum mente tota, & pænitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mæſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incubat. Rogare qualiter debeamus, dicit ipſe* : Revertimini ad me in toto corde veſtro, ſimulque, & jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. *Ad Dominum toto corde redeamus, iram & offenſam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pænitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis, & continuis operibus inflectat, miſereri talium poteſt .... Pænitenti, operanti, roganti, poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quicquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes*. Auguſtinus ſerm. 351. *de Pænitentia* alias 50. inter homil. quinquaginta. *Implicatur tam*

mor-

Digitized by Google

mortiferorum vinculis peccatorum, detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in Cælo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantum Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri .... Judicet ergo ſe ipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, a Præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolum ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. Ambroſus lib. 11. de Pænitentia cap. 5. *Qui agit pænitentiam, non ſolum diluere lacrymis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta ſuperiora.* Et cap. 6. *Si vis juſtificari, fatere delictum tuum. Solvit enim criminum nexus verecunda confeſſio peccatorum .... Sed audiant, qui agunt pænitentiam, quomodo agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intentione, qua concuſſione viſcerum, qua cordis converſione.* Vide Domine, quia tribulor, venter meus turbatus eſt a fletu meo, converſum eſt cor meum in me. *Cognoviſti intentionem animæ, fidem mentis, cognoſce & habitum Corporis.* Sederunt in terra, tacuerunt Seniores Filiæ Sion, & impoſuerunt terram ſuper caput ſuum, præcinxerunt ſe cilicio &c. *Sic flevit & Ninive Populus, & denuntiatum excidium Civitatis evaſit. In te igitur, ut evadas, vult rogari Dominus, vult ſibi ſupplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoſcas, & putas Deum tibi non roganti ignoſcere? Ipſe Dominus Jeruſalem flevit, ut quia ipſa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertingeret. Ipſe nos flere vult, ut evadere poſſimus, ſicut habes ſcriptum in Evangelio.* Filiæ Jeruſalem nolite me flere, ſed vos ipſas flete. *Flevit David & metuit, ut mortem populi pereuntis divina removeret miſericordia, quando tribus ſibi propoſitis optionibus, eam tamen, in qua majorem Domino miſerationem experiretur, elegit.*

VI. Probatur ex veteribus Scholaſticis. Petrus Lombardus lib. 4. ſentent. diſt. 16. *In perfectione Pænitentiæ tria obſervanda ſunt, ſcilicet compunctio cordis, confeſſio oris, ſatisfactio operis &c. Triplici morti triplici remedio occurritur: contritione, confeſſione, ſatisfactione. Compunctio nobis comendatur ibi. Scindite corda, & non veſtimenta veſtra.* S. Bonaventura parte 6. Breviloquii cap. 10. *Pænitentiæ partes integrales ſunt, contritio in anima, confeſſio in verbo, & ſatisfactio in facto. Ex quibus tunc pænitentia integratur, cum peccator omnem mortalem culpam perpatratam & facto deſerit, & verbo accuſat, & animo deteſtatur, proponens nunquam iterare peccatum.* In ſecunda Dieta de Contritione. *Contritio eſt prima pars pænitentiæ, & debet eſſe ſeptiformis. Nam debet eſſe moroſa & intenta, non perfuntoria; ſolitaria, non publica; integra, non diminuta; ordinata non confuſa; propria non aliena; gemebunda, non delicioſa; juſta, non ſimulata; & hæc ſeptem ſunt in verbo Iſajæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Joannes Taulerus lib. 1. Inſtitut. cap. 1. *Peccator, quia malam in creaturis voluptatem, ac delectationem quæſivit, quam in ſolo creatore quærere debuiſſet, ideo cum amara cordis contritione peccata ſua deflere, & cum vero dolore, veroque ſe emendandi propoſito coram Sacerdote ſe accuſare debet. Cæterum dolor iſte, ſive contritia, non ex ſervili quodam timore, neque ex ſenſuali dolore cum amaritudine ſe ipſum, ut damnum ſuum, pluſquom Dei injuriam, & offenſam lugente procedet. Sed dolor noſter, atque contritio, divina prorſus & ſupernaturalis erit, qua videlicet homo pro peccatis ſuis dolens, plus omnipotentis Dei tam grave multiplicemque inhonorationem, contemptum, & offenſam, quam ſuum ipſius damnum ponderet, atque deplorat. Iſta contritio ex amore naſcitur, qui nunquam abſque dulci quodam guſtu, & conſolatione eſt.* Laurentius Juſtinianus de Obedientia cap. 5. *Nullum eſt tam grave delictum, quod non contritione, atque confeſſione tergatur. Negavit Petrus Dominum, flevit amare, & illico reſtitutus eſt gratiæ. Coram Domino mulier peccatrix ingemuit, pro reatibus ſuis lacrymas fudit, pedes ipſius plorando lavit, & mox audire promeruit; mulier remittuntur tibi peccata tua.*

VII. probatur Rationibus. I. Per pœnitentiæ Sacramentum Peccatoris anima ſanatur ab infirmitatibus ſuis, quæ ſuæ ſunt iniquitates; ſed hæc ſanatio fit per tres dictos Pænitentis actus: ergo tres dicti Pænitentis actus ſunt materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. Minor eſt doctrina Auguſtini in Pſal. 146. ad verba illa: *qui ſanat contritos corde*; ubi ſic habet. *Sanat contritos corde, ſanat confitentes, ſanat ſe ipſos punientes*. II. Tres dicti Pænitentis actus ſunt Sacramenti Pænitentiæ partes; ſed partes ſunt materia *ex qua*, ſeu ex quibus Sacramentum conſtat: ergo tres prædicti Pænitentis actus ſunt materia *ex qua* Sacramenti pænitentię. Major eſt doctrina Concilii Tridentini in citato Can. 4. *Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur &c.* III. Tres Pænitentis actus referuntur ad abſolutionem, ut ad formam; ſed quod refertur ad abſolutionem, ut ad formam, eſt materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ: ergo pariter tres Pænitentis actus ſunt materia *ex qua* Sacramenti Pęnitentię. Major eſt pariter doctrina Tridentini cit. locis explicata. IV. Quæ dicitur materia alicujus Sacramenti, non eſt quid extrinſecum ipſi Sacramento; ſed Concilium Tridentinum vocat tres Pęnitentis actus quaſi materiam Sacramenti Pænitentiæ: ergo actus ipſi non ſunt quid extrinſecum pænitentiæ Sacramento: ergo ſunt quid intrinſecum: ergo ſunt materia *ex qua*.

Objiciunt I. Abſolutioni Sacramentali poteſt æque convenire, & ratio materiæ, & ratio formæ; materiæ quidem, quatenus eſt quid ſenſibile; ſenſibus enim percipitur; formæ vero, quatenus exprimit peccatorum remiſſionem, & verbis conſtat: ergo quum in ſola abſolutione habeamus, & materiam, & formam Sacramenti Pænitentiæ, non eſt cur recurramus ad pænitentis actus, ut materiam eidem Sacramento aſſignemus. II. Tres pænitentis actus dicuntur a Concilio Tridentino *quaſi materia* Sacramenti pænitentiæ: ergo vere non ſunt materia. III. Vocãtur potius tres illi actus diſpoſitiones, quę pręcedunt formam; & ideo materiam non niſi improprie dicuntur: ergo revera ſunt materia improprie dicta; unde Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam Peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo, ita demum præparas ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc ſacramentũ requirũtur.* IV. Si actus Pænitentis eſſent materia *circa quam* Sacramenti Pęnitentiæ, ſequeretur, quod Miniſter ejuſdem Sacramenti non eſſet Sacerdos, ſed Pænitens; ſed ex Concilio Tridentino Miniſter eſt Sacerdos, & non Pænitens: ergo &c. Sequela negari non poteſt, quia Sacramentum majori ex parte dependeret a Pænitente, & non a Sacerdote, quatenus actus illi eſſent Pænitentis, & non Sacerdotis. Minor patet ex verbis Concilii ſeſſ. 12. cap. 6. ubi ſic legitur. *Circa miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas, doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, Clavium Miniſterium pernicioſe extendunt; putantes verba illa Domini: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata & in Cælo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælo: & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcue, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam Confeſſionem, cuicunque factam. Docet quoque etiã Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquam Chriſti Miniſtros, functionem remittendi peccata exercere, eoſque prave ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamvis autem abſolutio alieni Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi, remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a judice, ſententia pronunciatur. Atque ideo non debet Pænitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut, etiamſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit, putet tamen, ſe propter ſuam ſolam fidem,*

Digitized by Google

fidem, vere, & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pænitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret, nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem agnoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret. V. Producere effectum Sacramenti non tantum tribuitur formæ ipſius, ſed ipſius quoque materiæ; atqui actibus Pænitentis nequit tribui peccatorum remiſſio, & gratiæ ſanctificantis infuſio, quæ ſunt Sacramenti Pænitentiæ effectus: ergo actus Pænitentis nequeunt eſſe materia *circa quam* Sacramenti Pænitentiæ. Major eſt certa, quia Patres tribuunt productionem gratiæ aquæ in Sacramento Baptiſmi, impoſitioni manuum in Sacramento Ordinis, unctioni olei in Sacramento extremæ Unctionis; & hoc non ob aliam rationem, niſi quia aqua, impoſitio manuum, & oleum, ſunt materia illorum Sacramentorum. Minor etiam patet, quia aliter ſequeretur, quod Pænitens ſibi ipſi conferret peccatorum remiſſionem, ſibi ipſi daret gratiam ſanctificantem, immo & ſe ipſum quoque abſolveret; quæ omnia admitti nullo modo poſſunt. VI. Actus Pænitentis ſi habent virtutem concurrendi ad collationem gratiæ, hunc habent ratione formæ, quæ eſt abſolutio: ergo ſemper ſtat, quod abſolutio conſtituit materiam Sacramenti Pænitentiæ. VII. Materia *ex qua* Sacramentorum debet eſſe ſenſibilis: ergo cõtritio nequit eſſe materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. VIII. Pænitenti, qui adit Confeſſarium, ut eidem confiteatur peccata ſua, & deinde ob morbum ſupervenientem non confitenti illa, poteſt dari abſolutio, & per conſequens in hoc caſu fit Sacramentum Pænitentiæ; ſed in hac hypoteſi nulla eſt oris confeſſio: ergo oris confeſſio non eſt materia *ex qua* Sacramenti pænitentiæ. IX. Si detur abſolutio Pænitenti, qui ſtatim eſt moriturus, nulla imponitur ſatisfactio, & nihilominus fit Sacramentum ſine ſatisfactione: ergo ſatisfactio non eſt materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. X. Materia, & forma Sacramentorum debent eſſe ſimul; ſed actus pænitentis, & forma, quæ eſt abſolutio, non poſſunt eſſe ſimul: ergo actus pænitentis non ſunt materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. XI. Satisfactio eſt pars tantum integrans Sacramenti Pænitentiæ: ergo non eſt materia *ex qua*, quæ, ut talis ſit, debet eſſe eſſentialis, & non integrans. XII. Satisfactio vel debet præcedere abſolutionem, vel ſubſequi: non ſubſequi; quia eſſet contra Concilium Carthaginenſe IV. habitum anno 398. Can. 78., & Arauſicanum I. coactum anno 441. Can. 3., quibus Pænitentes, qui in decurſu Pænitentiæ propter periculum mortis fuerant abſoluti, quando convaleſcebant, ad Pænitentium ordinem remittebantur; neque præcedere, quia maximum inde incommodum ſequeretur, & Confeſſariis, & Pænitentibus in hujusmodi Sacramenti adminiſtratione, ut de ſe notiſſimum eſt.

Reſpondemus ad I. negando primam partem antecedentis; non enim ſufficit ad materiæ rationem ſalvandam in Sacramentis, ut ſit ſenſibilis; ſed ulterius requiritur, ut ſit res, quo pacto Patres omnes de Sacramentorum eſſentiali conſtitutivo loquuntur, ut nimirum illud ingrediantur res, & verba. Abſolutio autem nunquam dici poteſt, quod ſit res, ſed tantum quod ſit verba; quæ quidem verba etiam ſunt ſenſibilia, & tamen in aliis Sacramentis ſolummodo ſunt forma, & nunquã materiæ rationẽ ingrediuntur.

Ad II. dicitur, quod non ideo Concilium Tridentinum vocavit tres illos actus, quaſi materiam Sacramenti Pænitentiæ, quod ſcilicet vere & proprie materiæ rationem non haberent, ſed quia non ſunt res, quæ extrinſecus adhibeantur, quemadmodum in aliis Sacramentis evenit; nimirum in aqua, quæ res exterior eſt, & eſt vere materia in baptiſmo; ita etiam unctio, vel manuum impoſitio in aliis; unde inquit Catechiſmus Romanus; *Neque enim hi actus, quaſi materia a Sacra Synodo appellantur, quod vere materiæ rationem non habeant, ſed quia ejus generis materia non ſunt, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in baptiſmo, & Chriſmatio in confirmatione.*

Ad III. dicitur, quod non repugnat, quod idem ſit ejuſdem Sacramenti & diſpoſitio, & materia, ſub diverſa ſcilicet ratione: unde in caſu Pænitentis actus ſunt diſpoſitiones præviæ ad Sacramentum Pænitentiæ; ſi hoc accipiatur inadæquate, nimirum, pro abſolu-

ſolutione, quæ ut cum fructu percipiatur, actus illi diſponunt, & præparant; ſi vero ſumatur adæquate & complete, ſcilicet pro tota Sacramenti eſſentia, & integritate, iidem actus ſunt materia ipſius.

Ad IV. dicitur, quod Miniſter Sacramenti debet active concurrere ad productionem ipſius, adeoque non ſufficit, ut materiam ſolummodo ſubminiſtret, ſi ulterius active ad ipſum Sacramentum non concurrat. In Sacramento Pænitentiæ utique Pænitens ſubminiſtrat actus, & ſubminiſtrat materiam, quæ conſiſtit in actibus ipſis, ſed non concurrit active ad unionem formæ cum ipſa materia; ſolus enim Sacerdos ad hanc unionem active concurrit, adeoque Sacramentum perficit. Cæterum nulla eſt neceſſitas, ut tam materia, quam forma Sacramenti ab eodem dependeant, & ſubminiſtrentur; quod patet etiam in Phyſicis, in quibus agens dicitur cauſſa, & principium compoſiti, quanvis, aut ſolam formam inducat, ut ignis producens ignem, aut ſolam materiam ſubminiſtret, ut homo hominem generans.

Ad V. Actus Pænitentis poſſunt concurrere ad productionem gratiæ in Sacramento Pænitentiæ diſpoſitive, præparando ſcilicet Pænitentem ad illam recipiendam; quanvis non poſſit concurrere effective, quod tantum convenit illi, qui Sacramentum adminiſtrat. Et hæc eſt doctrina S. Thomæ 3. par. quæſt. 86. art. 6. *Actus humani, qui ſunt ex parte peccatoris, materialiter ſe habent in Sacramento Pænitentiæ: omne autem Sacramentum producit effectum ſuum, non ſolum virtute formæ, ſed etiam virtute materiæ, ſcilicet aquæ, principaliter tamen virtute formæ, ex qua ipſa aqua virtutem recipit; ita etiam & remiſſio culpæ eſt effectus pænitentiæ principalis quidem ex virtute clavium, quas habent Miniſtri, ex quorum parte accipitur id, quod eſt formale in hoc Sacramento: Secundario autem ex vi actuum pænitentis pertinentium ad virtutem Pænitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad Claves Eccleſiæ.*

Ad VI. Eadem eſt reſponſio, ſcilicet quod actus Pænitentis per ſe ipſos diſponant ad gratiam, ſicuti diſponunt ad abſolutionem, per quam complete infunditur gratia, & non incohative tantum, ſicuti tribuitur per pænitentis actus. Hoc autem non obſtat, quin actibus Pænitentis ſub alia ratione materiæ nomen non conveniat, quavis iiſdem competat ratio diſpoſitionis & ad formam, quæ abſolutio eſt, & ad effectum Sacramenti, quæ eſt gratia ipſa, ut dictum eſt nuper.

Ad VII. Materia Sacramentorum debet eſſe ſenſibilis non ſemper per ſe ipſam, quia aliquando ſufficit, ut ſit ſenſibilis per aliud. Contritio quanvis non ſit per ſe ſenſibilis, eſt tamen ſenſibilis per aliud, nimirum vel per oris Confeſſionem, vel per Sacramenti petitionem, vel per quodcunque aliud externum ſignum.

Ad VIII. dicitur, quod in tali caſu Sacramentum Pænitentiæ valeret ſine certa Confeſſionis ſpecie, ſeu ſine oris Confeſſione, non autem ſine omni prorſus Confeſſione; ut enim Theologi docent apud Jueninum in Inſtitutionibus Theologicis tom. 7. par. 8. diſſert. 5. quæſt. 2. „ Oris Confeſſio requiritur „ quidem jure divino, cum eam pænitens edere poteſt, non autem eum eam „ non poteſt edere; tunc enim ſatis eſt „ Confeſſio per nutus, & ſigna, ut re- „ vera reperiuntur in eo, qui advocavit „ Sacerdotem, antequam uſum rationis „ amitteret. „

Ad IX. Idem Jueninus in Comentario diſſert. 6. quæſt. 3. hæc habet. „. Reſ- „ pondent nonnulli, hominem illum, ra- „ tione, & ſenſibus deſtitutum, habere „ votum ſatisfaciendi, licet actu non „ ſatisfaciat: volunt autem illud votum „ partem eſſe Sacramenti Pænitentiæ, „ non vero actualem ſatisfactionem. Sed „ non valet ea reſponſio, eo quod ſa- „ tisfaciendi propoſitum ſit omnino idem „ cum contritione; eſt enim illius pars, „ cum nemo debite conteratur, niſi pro- „ ponat ulciſci in ſemetipſum injuriam, „ quam Deo per peccatum intulit. Reſ- „ pondemus nos ad argumentum; con- „ ceſſo antecedente, nego conſequen- „ tiam. Ratio eſt, quia ſicut digitus eſt „ pars intrinſeca corporis, quanvis ſine „ digito poſſit eſſe humanum corpus, ita „ & ſatisfactio eſt pars intrinſeca Sacra- „ menti Pænitentiæ, quanvis ſine ea „ idem Sacramentum eſſe poſſit: verum „ quemadmodum mancum eſt, & im- „ perfectum humanum corpus, cui di- „ gitus defuerit; ita Pænitentiæ Sacra- „ mentum eſt imperfectum, cum ſatis-

factio

Digitized by Google

„ factio Pænitenti non iniungitur. „. At
„ de Confeſſione, & Satisfactione fuſior
„ redibit ſermo, quando de iiſdem in
„ particulari tractabitur.

Ad X. Quænam ſimultas materiæ, &
formæ ad valorem Sacramentorum
requiratur, diximus Tomo 6. diſſert.
307., ubi probavimus res,& verba in
Sacramentis novæ legis nequidem, ſe-
cundum aliquam ſui partem, requirere
ſimultatem phyſicam, aut temporis, aut
loci, requirere tamen ſimultatem mo-
ralem; ibidemque de Sacramento Pæ-
nitentiæ adiunximus. „. In Sacramen-
„ to Pænitentiæ profertur forma abſo-
„ lutionis, quando jam prolata ſunt pec-
„ cata, & actus Pænitentis expleti: er-
„ go non ſunt ſimul materia, quæ con-
„ ſiſtit in peccatis, & in actibus, & for-
„ ma, quæ in abſolutione conſiſtit; ſed
„ non ſunt ſimul phyſice, ſunt autem ſi-
„ mul moraliter: ergo non phyſice, ſed
„ moraliter uniuntur. „.

Ad XI. Quanvis Satisfactio ſit tantum
pars integralis Sacramenti Pænitentiæ,
& non eſſentialis, ſemper tamen ſtat,
quod ſit mataria *ex qua*, licet integra-
lis; materia enim *ex qua* duplex eſt,
eſſentialis nimirum, & integralis; ut
diſcurrit Jueninus citato loco in Inſti-
tutionibus Theologicis. „. Materia
„ *ex qua*, ſeu intrinſeca, duplex eſt, eſ-
„ ſentialis, ut corpus reſpectu hominis,
„ & integralis, ut digitus reſpectu ipſius
„ hominis. Satisfactio non eſt materia
„ eſſentialis Sacramenti Pænitentiæ, ſed
„ integralis tantum; hoc eſt, quanvis
„ ſine ea habeat omnia, quæ ſibi ſunt
„ eſſentialia, non habet tamen ea, quæ
„ ad ejus integritatem requiruntur; ſi-
„ cut homo habens corpus, & animam,
„ ſed orbatus digito, habet quidem om-
„ nia, quæ homini ſunt eſſentialia, ſed
„ non habet omnia, quæ neceſſaria ſunt
„ ad illius integritatem. Quæ mox de
„ Satisfactione dicta ſuut, intelliguntur
„ de Satisfactione actuali, non autem de
„ Satisfactione in animi præparatione; ſi
„ quidem Satisfactio in animi prætpara-
„ tione eſt idem cum propoſito ſatisfa-
„ ciendi; propoſitū autem ſatisfaciendi,
„ ſaltem implicitum, eſt eſſentialis mate-
„ ria inadæquata Sacramenti; nempe pro-
„ poſitum illud eſt idem cum contritio-
„ ne, ſeu cum pænitentia, prout virtus
„ eſt; contritio enim, ſeu pænitentia,
„ prout virtus eſt, dicit ſaltem implicite
„ propoſitum Deo ſatisfaciendi pro pec-
„ catis. Sed hæc ſatis ſint de actibus Pæ-
„ nitentis in genere. „.

Ad XII. Ex allatis Conciliis probatur
quidem, quod olim lege ordinaria da-
ta fuerit abſolutio poſt expletos Pæni-
tentiæ labores; at non probatur, quod
Satisfactio ſit pars eſſentialis Sacra-
menti Pænitentiæ, ſine qua nulla ſit
abſolutio ſacramentalis. Cæterum nos
ſuo loco probabimus, quod primis Ec-
cleſiæ ſeculis, Eccleſia ratam habuit
abſolutionem, quæ in quibusdam caſi-
bus dabatur ante Satisfactionem. Pro
modo addere ſufficit, quod Sixtus IV.
Romanus Pontifex, damnavit contra-
riam opinionem, anno 1478. in Petro
de Oſma, qui erat Doctor Salmaticen-
ſis; & pariter Sacra Facultas Pariſien-
ſis in libro, cui titulus *verax pacificus*;
& auctor dicebatur Theophilus Bra-
chet, Dominus de la Miletrere, an-
no 1644.

DISSERTATIO CCCLXIII.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ. An ſint verba determinata pro Sacramenti Pœnitentiæ Forma? Quinam ſit verborum illorum ſenſus? Et quænam ex illis poſſint omitti abſque peccato, & abſque invaliditate Sacramenti?

Conveniunt quidem Theologi omnes de Schola, immo & Patres omnes Eccleſiæ, Sacramenti Pænitentiç Formam conſiſtere in abſolutione ſacramentali, quam profert Sacramenti Miniſter poſt Pænitentis actus, qui eſſentialiter, ut materia, concurrunt ad ipſum pænitentiæ Sacramentum. Et quanvis Scotus cum Suis materiam etiam in abſolutione conſtituat, ut dictum eſt; ab hac tamen Sacramenti formam non removent, quia duplicem in ea reſpectum agnoſcunt, unum quidem, ratione cujus ſe habet, ut materia, alterum vero, ratione cujus ſe habet, ut forma; ut ſufficienter in præterita Diſſertatione explicavimus. Igitur forma Sacramenti Pænitentiæ eſt abſolutio, per quam Pænitentis actus determinantur ad Sacramentum conficiendum. Et hoc patet, tum ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis*, ubi legitur: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit abſolvo te*: tum ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 54. cap. 3. in quo habetur. *Docet ſancta Synodus, Sacramenti Pænitentiæ formam ..... in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: ego te abſolvo: quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Adduntur autem præfatis abſolutionis verbis aliqua, quæ ſunt merę preces, quarū quædam præmittuntur abſolutioni, nimirum: *Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam: amen. Dominus noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat &c.* Alia ſubſequuntur nempe: *Paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ: amen.*

Igitur circa primam Diſſertationis partem, an ſcilicet ſint verba determinata pro Sacramenti Pænitentiæ Forma? Scotus docet, quod in Sacramento Pænitentiæ non requirantur verba ita præciſa & determinata ad ejus confectionem, ſicut in Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ, & verba ipſius ſunt *in 4. diſt. 14. quæſt. 4. n. 4.* ,, quia
,, Sacramentum hoc inſtitutum eſt per
,, modum Judicii: ſententia autem po-
,, teſt a Judice ferri quibuſcunque ver-
,, bis, dummodo Judicis mentem expri-
,, mant: quare non eſt neceſſe, eſſe ita
,, præciſa verba in iſto Sacramento, ſi-
,, cut in Baptiſmo, vel Euchariſtia, quia
,, ſufficit, quod exprimatur actus ſenten-
,, tiæ abſolventis: ſicut & in judicio pu-
,, blico non oportet eſſe limitata verba:
,, ait enim unus de Theodoro Martyre:
,, *jubeo ignibus tradi*: alter de Cypriano
,, Sancto: *gladio animadverti placet*. Com-
,, muniter tamen iſta verba ſunt apta:
,, *ego te abſolvo*: quæcunque alia præ-
,, mittantur, vel conſequantur ſecun-
,, dum diverſam conſuetudinem in di-
verſis

Digitized by Google

„ verſis Eccleſiis. „. Ex quibus Scoti verbis, hæc deducit Fraſſen *De Sacram.* „ *Pænitent. tract. 1. diſt. 2. art. 2. quæſt. 3.* „ „ Quibus verbis ſignificat Doctor, quod „ quæcunque forma, ſeu verba, per quæ „ ſignificatur, & explicatur, remiſſionem peccatorum fieri authoritative, „ & per modum judicii, ac ſententiæ, „ erit ſufficiens forma hujus Sacramenti, in quo Miniſter officium implet Judicis, & cum authoritate ſententiam „ abſolutionis profert; nihilominus proferenda ſunt ea verba, quæ communiter præſcribit, ac profert Eccleſia: „ nempe: *ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Utrum autem omnes illius abſolutionis particulæ ita neceſſario debeant proferri, ut ſi omitteretur aliqua, invalida foret abſolutio, determinandum erit in ſequentibus. „

Dicimus I. Verba Formæ Pænitentiæ Sacramenti non eſſe adeo determinata, ut ſunt verba formæ Sacramentorum Baptiſmi, & Euchariſtiæ; ſtandum eſſe tamen verbis, quę Eccleſia approbavit.

I. Probatur. Confectio Sacramenti Pænitentiæ non dependet a qualitate verborum, ſed ab ipſorum ſenſu: ergo quæcunque ſint verba, dummodo ſenſus verificetur, quem inſtituit Chriſtus, & intendit Eccleſia, verba illa ſunt ſufficientia ad valorem Sacramenti Pænitentiæ. Antecedens eſt certum, quia Confectio Sacramenti Pænitentiæ reſpicit effectum ipſius; ſed effectus ipſius non dependet a qualitate verborum, ſed ab ipſorum ſenſu: ergo pariter Confectio Sacramenti Pænitentiæ non dependet a qualitate verborum, ſed ab ipſorum ſenſu. Prior conſequentia ſequitur pariter, quia ſi ſemel ſenſum formæ aſſequamur, parum intereſt, an hæc, aut alia verba adhibeantur: ergo quæcunque ſint verba, dummodo ſenſum ipſorum habeamus, parum, aut nihil de verborum qualitate ſolliciti eſſe debemus.

II. Probatur. Sacramentum Pænitentiæ eſt inſtitutum a Chriſto Domino per modum Judicii; ergo ſat eſt, ut in ejus forma habeamus verba, quæ judicium ipſum contineant, atque demonſtrent, quicquid poſtea ſit de ipſorum verborum qualitate. Et ſane nemo dixit, quod in aliis judiciis verba debeant eſſe determinata, & præciſa, ut judicium ipſum habeat ſuam validitatem, & effectum: ergo, nec hoc pariter eſt dicendum in judicio hujus Tribunalis interioris, in quo ipſum Sacramentum Pænitentiæ conſiſtit.

III. Probatur. Ideo in Sacramentis Baptiſmi, & Euchariſtiæ pro forma habemus determinata & præciſa verba, quia Chriſtus Dominus ita inſtituit: ſed Chriſtus Dominus non inſtituit determinata & præciſa verba pro forma Sacramenti Pænitentiæ: ergo forma Sacramenti Pænitentiæ non conſiſtit in determinatis & præciſis verbis, quemadmodum conſiſtit forma Sacramenti Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Probatur minor; quia Chriſtus Dominus concedendo Apoſtolis, & Succeſſoribus ejus poteſtatem abſolvendi, vel retinendi peccata, non præſcripſit verba, per quæ uſus hujuſcemodi poteſtatis exerceretur: ergo dummodo habeamus ſenſum, qui uſum hujuſcemodi poteſtatis contineat, & exprimat, non eſt curandum de verbis; ſed ſufficit, ut per illa, quæcunque ſint, uſus illius poteſtatis, & exercitium ejusdem exprimatur.

Opponunt I. Chriſtus Dominus dedit poteſtatem ſolvendi, & ligandi: ergo hæc ſunt verba, per quæ Sacramentum Pænitentiæ confici & exerceri debet; Sed hæc ſunt verba determinata: Ergo &c. II. Etiam in Tribunalibus exterioribus ſunt præſcriptæ formulæ, per quas judicia exercentur ab iis, qui ea proferre debent; & adeo formulæ illæ ſunt neceſſariæ, ut ſi omittantur, nullitates in judicio committantur: ergo eodem prorſus modo de tribunali interno conſcientiæ in pænitentiæ Sacramento, & in ejus judicio, diſcurrendum eſt. III. Quanvis afferantur alia verba, per quæ Sacramentum Pænitentiæ ab antiquis adminiſtratum fuerit, non eſt tamen certum, quod illud validè adminiſtraverint: ergo, ut de hoc certitudinem habeamus, dici debet, quod adhibenda ſint verba, quæ communiter Eccleſia uſurpavit, atque præſcripſit. IV. Ad præſens habemus verba determinata & præciſa, quæ ſunt forma Sacramenti Pænitentiæ; atqui illa immutare non licet: ergo ex mente Eccleſiæ, a Chriſto quidem inſtructæ, & regulatæ, habemus verba determinata, & præciſa, in quibus Sacramenti Pænitentiæ forma conſiſtit. V. Conveniunt unanimiter Doctores,

quod verba formæ Pænitentiæ Sacramenti debent eſſe judicialia, non deprecatoria, non oratoria, non declaratoria; ſed hoc eſt idem ac dicere, quod verba formæ Sacramenti Pænitentiæ debeant eſſe determinata & certa: ergo &c. VI. Ex illis verbis, quæ modo adhibentur in forma Sacramenti Pænitentiæ alia ita ſunt neceſſaria, ut Sacramentum ipſum ſine ipſis non conficiatur; alia vero ita adhibentur, ut ſi aliquando omittantur, Sacramentum tamen non ideo ſit infectum, aut invalidum; atqui hoc ipſum indicat, quod verba Sacramenti Pænitentiæ ſint præciſa & determinata: ergo vere ex Eccleſiæ praxi, quæ modo eſt in uſu, & viget, verba formæ Sacramenti Pœnitentiæ ſunt determinata & præciſa.

Reſpondemus ad I. concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: ergo hæc ſunt verba, ſcilicet ſenſus verborum, qui ſignificet *ligare & ſolvere*, conceditur; ſcilicet verba ipſa individualia, & immutabilia, per quæ actio ſolvendi, vel ligandi exprimatur, negatur. Sufficit ergo, ut per verba, quæ in forma Sacramenti Pænitentiæ adhibentur, exprimantur actus ſolvendi, & ligandi, quod quidem reſpicit verborum ſenſum, non materialitatem ipſorum; adeoque non eſt neceſſarium, ut hic ſenſus manifeſtetur, & exprimatur per hæc numero verba, & non per alia; quod ſatis eſt, ne verba formæ Pænitentiæ Sacramenti dici debeant præciſa & determinata.

Ad II. dicitur, vel quod falſum ſit omnino quod aſſumitur, & aſſeritur de Tribunalibus exterioribus; non enim ibi ingreditur validitatem actorum hoc, vel illud verbum determinatum, abſque eò quod æquivalens adhiberi non poſſit; vel ſi poſſibilis eſt caſus iſte, dicitur, quod ideo hoc accidit, quia verba illa fuerunt a Principibus præſcripta, imperata, ac determinata, ita ut ſine ipſis nullitates inducantur in Acta. Quod quidem quum in caſu noſtro non ſit, ut dictum eſt, nulla eſt ratio, ut paritas extendi poſſit de caſu ad caſum.

Ad III. dicitur, quod exempla, quæ adducuntur a Scoto ſuperius citato, nullam relinquunt dubietatem de validitate Sacramenti Pænitentiæ; deſumuntur enim illa, ut adhibita a Viris doctis, & ſanctis, & referuntur a Scriptoribus omni fide dignis. Unde non eſt, ut majorem deſideremus certitudinem valoris Sacramenti Pænitentiæ, quum de illo nullum relinquant dubitandi locum exemplorum illorum Authores, & factorum illorum Relatores.

Ad IV. Non licet quidem immutare ſenſum verborum illorum, quæ ad præſens adhibentur in forma Pænitentiæ Sacramenti, quia illa in eſſe poſuit Eccleſia a Chriſto Domino edocta; at convenientius quoque diximus eadem illa adhibenda eſſe, quæ Eccleſia induxit, & uſus tot ſeculorum confirmavit; at non ideo ſit, ut ſi verbum aliquod immutetur, & verborum illorum ſenſus integer perſeveret, Sacramentum dicatur invalidum & nullum. Cæterum verba illa, de eſſentialibus loquimur, duo non excedunt, quæ vix poſſunt mutationi eſſe ſubjecta cum periculo nullitatis Sacramenti, ut mox dicemus.

Ad V. negatur minor; conceſſo enim, quod verba, de quibus loquimur, debeant eſſe judicialia, non deprecatoria, non oratoria, non declaratoria, non inde tamen ſit, quod hæc numero verba adhiberi debeant, & non alia, quando hæc pariter ſunt judicialia. Quod autem ſint judicialia, & non alio modo, reſpicit ſenſum verborum illorum, non vero qualitatem ipſorum. De ſenſu jam diximus, quod integer perſeverare debet, & permanere, & nullo modo poſſit immutari; verba vero non ſic, dummodo ſenſus non mutetur.

Ad VI. conceditur major, & negatur minor; & ratio eſt, quia verba illa, quæ eſſentialia ſunt, & mutari non poſſunt, reſpiciunt ſenſum, qui eſt immutabilis, non vero qualitatem verborum. At de hoc in hac altera Diſſertationis parte, quam modo ſubjungimus, fuſior & clarior ſermo habendus eſt. Igitur Theologorum opiniones aſſerimus primo circa ſenſum verborum illorum, & poſtmodum ſententiam noſtram aperiemus, eamque probantes, & ab objectionibus, quæ contra ipſam fiunt, pro viribus quoque vindicantes.

Primo, igitur Abulenſis parte 1. ſui Defenſorii cap. 5. & 6. aſſerit, quod improprie ſuppletur verbum abſolvo, quia

quia „ proprie loquendo, nec Sacer-
„ dos, imo nec Deus, abſolvit a culpa„
„ vel a pæna peccati, tum quia Scriptura
„ nuſquam dicit, quod peccata ſolvan-
„ tur, ſed quod dimittantur, deleantur
„ &c.; tum quia peccata non ſunt pro-
„ prie vincula, nec conſequenter homo
„ eis ligatur, aut ab eis ſolvitur; tum
„ quia homo non poteſt abſolvi a culpa,
„ quæ jam præceſſit, nec a pæna, quæ
„ nondum advenit, ſed duntaxat a rea-
„ tu pænæ, ad quam ſubeundam homo
„ propter peccatum obligatur „. Verum hæc Abulenſis ſententia a Theologis non admittitur, immo cõmuniſſime rejicitur, & quia Scriptura peccatorum remiſſionem per verbum *ſolutionis* vel *abſolutionis* exprimit; unde dicitur Iſaiæ 50. *Diſſolve obligationes impietatis*: & Matth. 16. *Quodcunque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cælis*: & quia eadem ſententia videtur ſupponere, quod poſt peccatum remaneat tantum reatus pænæ, non vero reatus culpæ, quod eſt falſum.

Secundo Nominales, & ipſorum omnium nomine Gabriel, aſſerunt, verbũ *abſolvo te* importare, *eximo te ab obligatione ſubjiciendi peccata tua clavibus Eccleſiæ*. At hæc explicatio reicitur pariter a Fraſſen, qui ſcribit: „ remittere enim
„ peccatum non eſt duntaxat relaxare
„ obligationem confitendi peccata. Ad-
„ de, quod illa abſolutio foret nulla,
„ quando quis ſolum confitetur peccata
„ venialia, vel alia jam confeſſa, & re-
„ miſſa; ſiquidem etiam ante abſolu-
„ tionem pænitens erat liber ab obliga-
„ tione alia peccata confitendi „.

Tertio, Hugo a S. Victore dicit, verba hęc *abſolvo te* idem ſignificare, ac *remitto tibi pænam æternam pro culpa debitam*. At citatus Fraſſen ſubdit huic explicationi, quod per illam abſolutionis verba detorqueantur in ſenſum improprium, quod ſic probat: „ Etenim pæ-
„ na non eſt peccatum, licet ex peccato
„ oriatur; unde remittere peccatum,
„ non eſt duntaxat relaxare pænam pec-
„ catis debitam; nec etiam hæc verba
„ *abſolvo te* ſignificant ſolutionem a pæ-
„ na temporali debita peccatis, ut vo-
„ lunt Alenſis, & Sanctus Bonaventura;
„ tum quia, ut mox dictum eſt, remitte-
„ re proprie peccatum, non eſt tantum
„ relaxare pænam ipſi debitam; tum
„ quia fieri poteſt, ut quis cum tanta
„ contritione accedat ad Sacramentum
„ Pænitentiæ, ut virtute illius contri-
„ tionis relaxetur tota pæna tempora-
„ lis. „.

Quarto, alii Theologi docent, verborum illorum: *ego te abſolvo*: hunc eſſe ſenſum: *ego Sacramentum abſolutionis tibi impendo*. At hæc explicatio nec pariter admittitur, quia ſicut non verificatur in formis aliorum Sacramentorum, ſcilicet Baptiſmi, ubi ſenſus verborum illorum: *ego te baptizo*: non eſt: *ego tibi baptiſmum confero*: ita nec pariter hic idem debet eſſe ſenſus formæ in Sacramento Pænitentiæ. Et hoc, vel ex eo maxime; quia hoc ſenſu admiſſo, omnis Sacramentorum forma nugatoria redderetur, quia idem per idem ſignificaret.

Quinto, alii Theologi communius docent, quod verborum illorum ſenſus ſit, remittere peccata, adeoque verba illa *abſolvo te* non alium ſenſum habere, quam *remitto tibi peccata a te commiſſa*. Et cum his

Dicimus II. Verborum illorum ſenſum eſſe, quod per Pænitentiæ Sacramenti Miniſtrum Pænitenti remittantur peccata, quæ commiſit.

I. probatur ex Scripturis. Quod Chriſtus dixit Matth. 18., *quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta, & in cælo*, pariter dixit Ioannis 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*: ergo peccatorum ſolutionem, quam Chriſtus in uno loco poſuit, in altero loco per peccatorum remiſſionem explicavit. Inſuper idem Chriſtus Paralyticum ſanans Marci 12., Matth. 9. Lucæ 5., pænitentiæ Sacramenti exercitium oſtendit: Paralytico enim dixit: *Fili remittuntur tibi peccata tua*. Et poſt hæc verba S. Lucas narrat: *& cæperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi, dicentes, quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Ut cognovit autem Ieſus cogitationes eorum reſpondens dixit ad illos; quid cogitatis in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere; dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge, & ambula? Ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico: tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum ſuum, in quo jacebat, & abiit in domum ſuam, magnificans Deum; & ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant*

Digitized by Google

bant Deum, & repleti ſunt timore dicentes : quia vidimus mirabilia hodie. In quibus verbis adnotandum eſt, quod Chriſtus Dominus Phariſæorum, & Scribarum, cogitatiores non redarguit, immo potius confirmat ipſius Paralytici ſanatione; unde plane probat, quod Paralytici ſanatione peccata dimittebat; quæ pariter Sacerdotes, pænitentiæ Sacramentum adminiſtrantes, remittunt, hac tamen differentia, quod quæ Chriſtus faciebat principaliter, & anthoritative, Sacerdotes efficiunt miniſterialiter, & inſtrumentaliter.

II. Probatur. Verba, quæ adhibentur in formis Sacramentorum, illum habere debent ſenſum, quem habent in communi hominum loquendi ſocietate; ſed in communi hominum loquendi ſocietate verbum *abſolvo* non alium ſenſum habet, quam *remitto*: ergo hunc quoque habere ſenſum debet, quando in Sacramenti Pænitentiæ forma adhibetur. De majori propoſitione nullum poteſt eſſe dubium, quando quidem, Chriſtus Dominus non intendit inducere in Sacramentorum formis nova verba, vel novam verborum intelligentiam; ſed voluit ſe communi hominum loquendi modo adaptare. Minor etiam eſt manifeſta, quia idem apud homines importat ſolvere aliquem a peccato, ac ei peccatum remittere. Conſequentia denique legitime infertur.

III. Probatur, quia rejectis aliis explicandi modis, circa Sacramenti pænitentiæ formam, hic ſolus remanet integer, & qui ab omnibus Theologis communi calculo accipitur, intelligitur, ac ſervatur: ergo hic ſolus eſt verborum illorum legitimus ac proprius ſenſus, qui ab omnibus admitti debet, atque defendi.

Dicimus III. Verba eſſentialia in forma Sacramenti Pænitentiæ ſunt tantum hæc duo; *abſolvo te*: cætera vero non eſſe de eſſentia, ſed de ſola integritate, adeoque omitti poſſe, abſque invalıditate Sacramenti.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum in Decreto unionis. *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: abſolvo te*. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. *Docet Sancta Synodus Sacramenti Pænitentiæ formam ..... in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe : ego te abſolvo, quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*.

II. Probatur ex Catechiſmo Romano, qui editus eſt juſſu Pii V., & Concilii Tridentini decreto, & qui num. 19. hæc habet. *Eſt autem forma, ego te abſolvo, quam non ſolum ex illis verbis licet colligere : quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælis, ſed ex eadem Chriſti Domini doctrina, quam ab Apoſtolis traditam accepimus*.

III. Probatur. Sacramentum Pænitentiæ adminiſtratur per modum judicii : ergo verba illa in ejus adminiſtratione ſunt eſſentialia, quæ in humanis judiciis adminiſtrandis neceſſaria dicuntur: atqui in humano judicio non eſt neceſſarium, quod exprimatur ſpecifice, vel numerice delictum, a quo Reus abſolvitur, vel ob quod condemnatur; nec eſt neceſſarium, quod exprimatur, qua auctoritate Judex illud faciat, delegata ſcillcet, an ordinaria, principali, an miniſteriali, ſed tantum ſufficit, quod exprimatur actus ſententiæ abſolventis : ergo pariter in Judicio Sacramentali tantum ſufficit, quod exprimatur ſententia abſolventis, abſque eo quod manifeſtentur delicta, a quibus fit abſolutio, vel auctoritas, qua fit; ſed ſententia abſolvens comprehenditur in ſolis verbis illis *abſolvo te*: ergo illa ſola ſunt eſſentialia.

IV. Probatur. Verba illa ſufficiunt in forma Sacramenti Pænitentiæ, quæ ſufficiunt ad exprimendum principalem effectum ejuſdem Sacramenti; atqui principalis effectus Sacramenti Pænitentiæ eſt remiſſio peccatorum, & hoc ſufficienter comprehenditur in in verbis illis *abſolvo te*: ergo verba illa ſunt ſufficientia, & alia non ſunt neceſſaria. De maiori propoſitione non eſt dubium, quia Sacramenta novæ legis debent cauſſare illud, quod ſignificant; atqui ſignificant remiſſionem peccatorum : ergo hanc cauſſant. Minor etiam eſt certa, quia verba illa *abſolvo te*, etſi primo aſpectu videantur indeterminata, determinantur tamen a materia ſubjecta, & a circumſtantiis adjunctis, ad ſignificandum peccatorum remiſſionem.

V. Probatur. Si in forma Sacramenti Pæ-

Pænitentiæ eſſent neceſſaria, & eſſentialia alia verba præter dicta, hæc eſſent; vel verbum *ego*, vel verba *a peccatis tuis*, vel verba *in nomine Patris, & Filii &c.*; atqui hæc non ſunt neceſſaria, nec eſſentialia: ergo &c. Probatur minor; quia verbum *ego* intelligitur, & includitur in verbo *abſolvo*; quum enim verbum *abſolvo* ſit primæ perſonæ, ſubintelligitur *ego*: verba *a peccatis* tuis intelliguntur ex circumſtantiis, quia quum præſupponantur peccata, quæ pænitens aperit Confeſſario, ſuper hæc cadit neceſſario abſolutio, unde ex ſenſu Eccleſiæ determinantur. Proinde Rituale Cameracenſe editum anno 1622. dicit expreſſe, verba *a peccatis tuis*, non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ut teſtatur Hennus tract. de Pæniten. diſp. 2. quæſt. 6. Denique invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis neque dici debet eſſentialis ex effectu Sacramenti, neque ex verbis Chriſti, neque ex ſenſu Eccleſiæ, ut patet.

Objiciunt I. Concilia a nobis adducta, & pariter Catechiſmus Romanus, ponunt verbum *ego*: ergo pariter hoc verbum eſt neceſſarium, & eſſentiale ad pænitentiæ Sacramenti formam. II. Concilium Florentinum exprimens formam hujus Sacramenti addit pariter *a peccatis tuis*: ergo ſignum eſt, quod hæc quoque verba ſunt eſſentialia, & neceſſaria ad Sacramenti valorem. III. In Judiciis humanis exprimitur crimen, a quo quis a Iudice abſolvitur, vel ob quod ab eodem damnatur: ergo pariter in judicio ſacramentali neceſſe eſt ut exprimantur peccata, ſaltem in confuſo, a quibus Pænitens abſolvitur: ergo verba illa *a peccatis tuis* ſunt neceſſaria, & de eſſentia Sacramenti. IV. Chriſtus Dominus in Inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ, non dixit tantum, *quorum remiſeritis*, *ſed quorum remiſeritis peccata*: ergo neceſſario debent exprimi peccata in ſacramentali abſolutione. V. ſupponamus, quod Sacerdos proferat ſupra Pænitentem, qui jam confeſſus fuerit peccata ſua, verba illa *abſolvo te*; & deinde ſubjungat ſtatim *a peccatis non tuis, ſed fratris tui, matris tuæ, uxoris tuæ &c.*; in hujuſmodi caſu, vel eſſet Pænitens abſolutus, vel non? Eſſet abſolutus, quia jam ſupponimus, Sacerdotem protuliſſe ſupra illum verba: *abſolvo te*, quæ ſufficiunt ad Sacramenti valorem; non eſſet abſolutus; quia non poteſt quis abſolvi a peccatis, non ſuis, ſed alienis: ergo, ut vere, quis dicatur abſolutus a peccatis ſuis, neceſſario ſunt ſubjicienda illa verba *abſolvo te a peccatis tuis*. VI. Chriſtus dominus in inſtitutione Sacramenti pænitentiæ meminit peccatorum: ergo in ejuſdem adminiſtratione neceſſario facienda eſt peccatorum commemoratio: ergo non ſufficit, ut Confeſſarius pænitenti dicat: *abſolvo te*; ſed inſuper debet addere *a peccatis tuis*. VII. Aliæ ſunt Theologorum de Schola ſententiæ circa verba, quæ eſſentialia, & neceſſaria ſunt in forma Pænitentiæ ad Sacramenti valorem: ergo non eſt reſtringenda Sacramenti validitas ad ſola verba: *abſolvo te*: ut diximus nos. Probatur antecedens. Et quidem Durandus in 3. diſtin. 22. quæſt. 2., Gerſon Alphabeto 33., Concilium Colonienſe in Enchiridio tit. de Pænitent. docent. „ . „ Omnia hæc verba *abſolvo te a peccatis* „ *tuis in nomine Patris &c.*, eſſe de eſ- „ ſentia formæ abſolutionis. „ . Gabriel diſt. 24. quæſt. 2. aſſerit, ad formam abſolutionis neceſſaria eſſe illa verba. Inſuper Petrus Soto lect. 4. de Confeſſione vult, ſaltem illa verba *abſolvo te a peccatis tuis* eſſe de eſſentia. Denique idem Soto in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. defendit, quod in caſu neceſſitatis ſufficit proferre ſolum verbum *abſolvo*. VIII. Si quis diceret miniſtrando Sacramentum Pænitentiæ: *remitto tibi peccata tua*: vel; *libero te a peccatis tuis*: vel; *ſolvo te a peccatis tuis*: vel; *dimitto tibi peccata tua*; in talibus caſibus vel pænitens eſſet valide abſolutus, vel non: ſi eſſet valide abſolutus: ergo non ſunt neceſſaria verba illa, quum per alia poſſit ſuppleri abſolutio, & Sacramēti validitas: ſi non eſſet valide abſolutus: ergo verba illa *abſolvo te* non important peccatorum remiſſionem, ut in ſecunda Concluſione nos diximus.

Reſpondemus ad I. Communem Doctorum ſententiam eſſe, particulam *ego* non pertinere ad eſſentiam formæ, quia per ejus omiſſionem ſenſus a Chriſto, & ab Eccleſia intentus, ſufficienter intelligitur per verbum *abſolvo*, quod idem eſt ac *ego abſolvo*. Ad ſummum autem Conciliorum Floren-

rentini, & Tridentini expreſſio faceret, quod verbum *ego* adhibendam ſit ex Eccleſiæ præſcripto, adeoque ſi omittatur, peccetur quidem graviter; at nulla in Sacramento irritatio inducatur.

Ad II. dicitur, quod Concilium prædictum etiam refert verba illa, *in nomine Patris &c.*, nihilominus nemo dixit, quod hæc eadem verba ſint eſſentialia in abſolutionis forma. Unde dicendum reſtat, quod dictum eſt ad primam objectionem: ſcilicet, quod hæc pariter verba ſint ex Eccleſiæ præſcripto, unde ipſorum omiſſio peccatum quidem inducant in Miniſtro omittente, ſed non invaliditatem in Sacramento adminiſtrato.

Ad III. Si paritas curreret a judiciis humanis ad judicium ſacramentale Confeſſionis, non ſolum deberent poni in forma verba illa, a peccatis tuis, ſed etiam deberent exprimi peccata in particulari, quemadmodum fit in judiciis humanis, quod nemo dixit. Attamen in judiciis humanis, ſi delicta omitterentur in abſolutione, vel condemnatione, ſemper valida eſſent judicia, & Reus valide, vel abſolveretur, vel condemnaretur.

Ad IV. diſparitas eſt, quod quando fuit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ debuerunt exprimi peccata, quia propter peccata fiebat illius inſtitutio; verum quando idem Sacramentum adminiſtratur, jam habemus determinationem verbi *abſolvo*, per peccata confeſſa; adeoque non eſt eſſentiale formæ ſacramentali, ut peccata exprimantur, quia jam per verbum *abſolvo*, & per peccata Confeſſario dicta, illius ſenſus ſufficientiſſime habetur.

Ad V. Reſpōdet Hennus, „quod, etſi poſt „ verbum *abſolvo* habeatur Sacramentū, „ quando non proferuntur alia verba, „ non tamen quando proferuntur: unde „ dicens *abſovo te a peccatis*, cenſetur ſumere *abſolvo* in generali ſignificatione, „ determinanda per ly *a peccatis tuis*; ſi „ autem loco ly *a peccatis tuis* dicat *a* „ *peccatis uxoris*, determinatur *abſolvo* „ ad falſam ſignificationem, adeoque „ falſa eſt forma. Fatendum tamen, ſi „ Sacerdos proferat *abſolvo te*, cum ſeria „ intentione remittendi per hoc peccata, ac prolatis verbis illis, mutando intentionem, addat *a peccatis alienis*, validam eſſe formam, ſicut valida eſt hæc cum debita intentione „ prolata: *hic eſt ſanguis meus*: licet „ mutando poſtea intentionem ſuperaddat *phantaſticus*, quia cum ante „ additionem ſit completum Sacramentum, non cenſetur additio formam, „ ut Sacramentalem, ad alium ſenſum „ detorquere. Inſuperaddit; omittere „ particulam *ego* aut invocationem „ SS. Trinitatis, ſecluſo contemptu, & „ ſcandalo, tantum eſſe veniale: omittere tamen *a peccatis*, eſſe mortale; „ quia licet ſit probabile, non eſt tamen „ certum, quod illa verba non ſint eſſentialia: unde abſolutio data ſine „ illis verbis repetenda eſſet ſub conditione, ſaltem ſi abſolutionis neceſſitas urgeret, nec poſſet alia materia „ ſubminiſtrari. „.

Ad VI. Reſpondetur prout dictum eſt ad Quartum. Cæterum ſubdit Fraſſen quod „ nec omnia verba, quæ Chriſtus Dominus protulit inſtituendo Sacramenta, ſunt de eſſentia illorum „ formæ, alioqui, dum Sacerdos pœnitentem abſolvit, proferre deberet „ præfata verba: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; nec uſurpare „ deberet verbum *abſolvo*, ſed proferre: „ *remitto tibi peccata*; quippe Chriſtus „ Dominus non meminit verbi *abſolvo*, „ ſed duntaxat *remitto*. „.

Ad VII. etſi variæ ſint aliorum Theologorum opiniones circa verba, quæ ad validitatem formæ Sacramenti Pœnitentiæ ſufficiunt, nos tamen ex iis elegimus unam, quæ inter Theologos eſt communior, & ex cujus probationibus, quas nos nuper adduximus, cæteræ aliæ remanent ſufficienter confutatæ. Unde non eſt, ut de illis amplius curemus, illarum in particulari impugnationes addentes, quæ ex dictis poſſunt abſque verbis ulterioribus colligi.

Ad VIII. dicitur, quod mutatio inter verbum *abſolvo*, & verbum *remitto*, eſt pure materialis, & ſenſum formæ præfatæ minime variat. Et quia nos in prima Concluſione diximus, in hac forma non eſſe verba determinata, parum refert, ut in illa ponatur verbum *abſolvo*, vel verbum *remitto*, quando idem eſt ſenſus, idem eſt ſignificatum, quanvis materialis vox ſit alia. Verum a ſenſu Eccleſiæ recedere nemo debet.

DISSERTATIO CCCLXIV.

De Abſolutione Sacramentali. An debeat eſſe vocalis? An poſſit ſcripto, & non voce, exprimi?

PRæmittere hic opus eſt, aliqua inveniri in vetuſtis Scriptorum monumentis ſacramentalis abſolutionis per ſcriptum, vel per epiſtolam datæ, veſtigia, quæ referuntur a P.Boucat Diſſert.4. de Pœnit.Sacram. §.5., ubi hæc ſcribit: „ Aliquod abſolutionis inter abſentes veſtigium affulget in epiſt. 2. ad Corinth. cap.2., ubi Apoſtolus ſcribit, in gratiam Corinthii inceſtuoſi ſe illi condonare, ſi vel ipſi Corinthii eidem gratiam conceſſerint. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego*. Serapion abſolutus eſt per Presbyterum abſentem, qui ægrotum convenire non poterat. Euſebius l: 6. hiſt. cap.36. S.Athanaſius in vita S. Antonii de Monachis ſcribit - *Ad cavenda peccata hoc cuſtodiatur; unuſquiſque actiones ſuas, & animi affectiones, tanquam aliis renuntiaturus notet, conſcribatque.* Anno 620. S. Joannes Eleemoſynarius, Alexandriæ Patriarcha, permiſit mulieri in charta confiteri, quippeque viva voce erubeſceret ſuum prodere peccatum. *Mulier quædam peccamen graviſſimum in ſe recognoſcens, quod nec auditum hominum poſſe intrare æſtimabat, ad Sanctum curſu pervenit, & pedes ejus comprehendens, cum lacrymis clamat, & dicit ſecreto Sancto: o ter Beate! habeo, miſera, quod ad aures hominum venire non poteſt, & ſcio quod ſi vis, potes mihi indulgere... Qui dixit, confitere mihi hoc; quæ dixit, non poſſum Domine hoc peccatum dicere: dicit ad eam Sanctus; & ſi erubeſcis, vade ſcribe illud, & affer ad me.* Anno 871. Robertus, Cænomanenſis Epiſcopus, ſcripſit ad Epiſcopos prope Andegavum congregatos, ut eum a peccatis in ſua epiſtola recenſitis abſolvere dignarentur; cui ſic reſponderunt: *Quapropter, Frater, & Conſacerdos noſter, tibi peccata tua confitenti per eccleſiaſticam apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Deus noſter Jeſus Chriſtus tradidit diſcipulis, dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & per eoſdem Apoſtolos ipſorum Succeſſoribus, quorum vices, licet indigni, tenemus, etſi non merito, tamen nomine, & officii ſuſceptione eandem poteſtatem donavit, & in ſe fideliter credenti dixit: fiat tibi ſecundum fidem tuam, & gratia, & potentia ſua, virtute Spiritus Sancti, qui eſt remiſſio peccatorum omnium, dimittat tibi omnia peccata*. Quid memorem Gregorium VII., qui ad Epiſcopum Lincolniæ in Anglia ita ſcribit. *Abſolutionem peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vices, quanvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus.* L.1. hanc eandem gratiam conceſſit Epiſcopo Leodii: l.1. epiſt. 61. idem conceſſit beneficium Adrianus VII. Alcuino, qui epiſt.63. eam expoſtulaverat gratiam. His tamen non obſtantibus

Dicimus I. Abſolutionem ſacramentalem neceſſario debere eſſe vocalem, ſeu voce exprimi debere.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum in decreto unionis agens de Sacramento Pœnitentiæ aſſerit, atque definit. *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Abſolutionis, quæ Sacerdos profert*. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap.6. decernit. *Quanvis autem abſolutio ſacerdotalis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a Judice, ſententia pronuntiatur.*

Quibus verbis clare exprimitur, quod forma Sacramenti Pænitentiæ, quæ eſt abſolutio ſacramentalis, debeat eſſe vocalis, ſeu verbalis.

II. probatur. Quanvis Chriſtus non expreſſerit, aliorum Sacramentorum formas debere eſſe verbales, ſatis tamen ex ipſius inſtitutione eruitur, illas pronuntiandas eſſe voce, & non adhibendas, aut nutibus, aut ſcripto. Dicit enim de baptiſmo: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.* Et in Euchariſtia: *hoc eſt corpus &c. Hic eſt ſanguis &c.: hoc facite in meam commemorationem.* Sic pariter de Sacramento Pænitentiæ dicendum eſt, ubi, licet Chriſtus non expreſſerit voces, per quas exprimendum eſt, ſatis tamen conſtat ex poteſtate Miniſtris tributa, quod verba debeant in ipſius forma intervenire. Et hoc vel eo magis, quia Sacramentum Pænitentiæ eſt per modum judicii, cujuſmodi non ſunt alia Sacramenta; quod importat, effectum ipſius debere a Sacerdote fieri, ſeu Miniſtrum ipſius Sacramenti per illa verba operari remiſſionem peccatorum, ex vi poteſtatis, quam ipſi Chriſtus Dominus tradidit.

III. Probatur ex antiqua, conſtanti, & perpetua Eccleſiæ traditione, cujus ineluctabile ſignum eſt praxis totius Eccleſiæ ab Apoſtolorum temporibus, uſque ad præſentem diem, qua docemur, quod ſicut alia Sacramenta, ita Sacramentum Pænitentiæ ſemper per verba adminiſtratum fuit. Quod ſatis eſt, ut cognoſcamus, quod quanvis Chriſtus non dixerit explicite, pronuntiandas eſſe voces aliquas, quando abſolvuntur Pænitentes a peccatis ſuis, ex actu tamen remiſſionis, vel abſolutionis, quem Sacerdotes exercent in adminiſtratione hujus Sacramenti, Eccleſia deduxit, quod idem actus ſit per verba exercendus.

Dicimus II. invalidam eſſe abſolutionem literis ſcriptam, & ad abſentem directam.

I. probatur. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *Nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tanquam reos ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum Pænitentes confugerint, poſſent liberari*, Quæ quidem verba, quatenus important confugere ad Tribunal, ante Tribunal ſiſti, & a Sacerdotibus ſententiam audire, vel accipere, neceſſario important Sacerdotis præſentiam, adeoque præcipitur, ut Confeſſio Sacerdoti præſenti fiat, & ab eodem abſolutio reo præſenti concedatur.

II. probatur ex Auctore libri de vera & falſa Pænitentia, qui Auguſtino tribuitur, ſed ex Bellarmino Auguſtini non eſt. Hic igitur Auctor cap. 10. probat exemplo Leproſorum, qui Lucæ 17. a Chriſto mundati, ab eodem miſſi ſunt ad Sacerdotem, quod Pænitentes coram Confeſſario Sacerdote ſiſtere ſe debeant, ac in ejus præſentia peccata deponere, ut abſolutionem recipiant; & hæc ſunt ejus verba. *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per ſcriptum manifeſtanda; dixit enim: ora monſtrate, & omnes, non unus, pro omnibus, non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum; ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis, erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis; in hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis &c.*

III. probatur. Tribunal Sacramenti Pænitentiæ eſt tribunal ſecretum: ergo ſententia hujuſmodi tribunalis debet pariter eſſe ſecreta; atqui omnis ſcriptura ex natura ſua eſt publica: ergo abſolutio data ſcripto, vel per epiſtolam, eſt publica: ergo non eſt ſecreta; adeoque eſt contra inſtitutionem Pænitentiæ Tribunalis. Rationem hanc ſic illuſtrat Scotus in 4. diſt. 17. „.
„ Omnis ſcriptura ex ſui natura nata eſt
„ eſſe publica; quantocunque enim ali-
„ quis conſervet ſecrete apud ſe ſcri-
„ ptum, tamen ex quo mittit illud, vel
„ propter nuntium, vel propter illum,
„ ad quem mittitur, poteſt publicari,
„ & ſemper ex ſua natura eſt patulum
„ cuicunque legenti, loquens quod ibi
„ continetur. Quilibet ergo ſcribens
„ aliquid facit in hoc, quod eſt contra
„ naturam ſigni idonei in confeſſione,
„ & hoc niſi confitens ſit præſens, quan-
„ do per ſcriptum confitetur; & ideo
„ quod dicitur 30. *quæſt. 5. qualis debeat*,

quod

„ quod quis poteſt confiteri per ſcriptu-
„ ram, Joannes exponit, quando confi-
„ tens eſt præſens, quia abſens non
„ poteſt licite: igitur abſens expectet
„ præſentiam, cum propoſito confiten-
„ di ea habita. „. His verbis hæc ſub-
„ dit Fraſſen. „. Quibus verbis aperte
„ ſignificat, nullam eſſe confeſſionem in
„ ſcriptis factam, ac ſubinde nullam
„ abſolutionem datam abſenti. Quod
„ probat tum ex natura confeſſionis,
„ quæ non debet vergere in perniciem
„ confitentis, & quæ annexam habere
„ debet verecundiam. Idque confirmat
„ ex gloſſa Joannis Andreæ ſuper 4.
„ quæſt.5.cap.4, in fine, qui negat, con-
„ fiteri poſſe aliquem, aut abſolvi a
„ peccatis in abſentia. Nec obſtat, quod
„ in eodem capitulo non agatur de Pæ-
„ nitentia, aut confeſſione Sacramen-
„ tali. Doctor enim ſuum intentum col-
„ ligit, non ex verbis Capituli, ſed ex
„ expoſitione ipſius Joannis Andreæ „.

IV. Probatur. Clemens Octavus Romanus Pontifex hoc edidit decretum circa controverſiam, quam tractamus. *Die 20 Menſis Junii anno a nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1602. *in generali Congregatione S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis, habita in Palatio Apoſtolico in monte Quirinali, coram Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente divina Providentia Papa octavo, propoſita quæſtione, utrum liceat per literas, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſenti Abſolutionem obtinere? Sanctiſſimus Dominus noſter, auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus, mature ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam, condemnavit, ac prohibuit, præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio, publicis, privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam, tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea diſputative tractaverit, niſi forſam impugnando, vel ad praxim, ſeu directe, vel indirecte traduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & a qua non poſſit, præter quam in articulo mortis, ab alio, quacunque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanæ Eccleſiæ majori Pænitentiaria, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi; aliis etiam pænis arbitrio infligendis ſubjaceat.*

V, Probatur a P.Boucat ex Conciliis, ex Romanis Pontificibus, & ex cõmuniori Theologorum doctrina his verbis:
„ Primo quidem in Cõcilio Nemauſenſi
„ an.1284.his verbis:non debet confiteri
„ per Nuntium, vel per ſcripturam, ſed
„ viva voce, ore proprio, & preſentia-
„ liter, ut qui per ſe peccavit, per ſe
„ ipſum confiteatur, & erubeſcat.
„ Deinde in congregatione de auxiliis,
„ anno 1592:, cui prohibitioni ſuum ad-
„ didit calculum Clemens VIII. ſpeciali
„ Bulla ad hunc effectum 27. Iulii ejuſ-
„ dem anni data; hanc propoſitionem,
„ ſcilicet, *licere per literas, ſeu inter-*
„ *nuntium confeſſario abſenti peccata ſa-*
„ *cramentaliter confiteri, & ab eodem ab-*
„ *ſente abſolutionem obtinere*, ad minus
„ ut falſam, temerariam, & ſcandolo-
„ ſam damnavit Tom. 3. Bullarii pag.
„ 132. Eandem doctrinam uno veluti
„ calamo docent Theologi. Gratianus
„ diſt.1. *de Pænit.*, Can. *quem pæniter*,
„ loquens de leproſo mundato, quem
„ tamen Chriſtus ipſe remiſit ad Sacer-
„ dotes, ſic habet. *Sed qui per vos pecca-*
„ *ſtis, per vos erubeſcatis; erubeſcentia*
„ *enim ipſa partem habet remiſſionis. In*
„ *hoc enim quod per ſe ipſum dicit Sacer-*
„ *doti, & erubeſcentia vincit timorem*
„ *offenſi, ſit venia criminis.* S. Thomas
„ ſuffragatur quolib.7. q.6. art.1. *Ex in-*
„ *ſtitutione Eccleſiæ*, inquit, *tenetur ho-*
„ *mo, qui poteſt, ut verbo confiteatur, ut*
„ *ore confitens magis erubeſcat.* Demum
„ ita ſtatuit Sacra Synodus Tridentina
„ ſeſſ. 14. cap.2. his verbis. *Hos qui ſe*
„ *poſtea crimine aliquo contaminaverint,*
„ *ante hoc tribunal, tanquam reos ſiſti*
„ *voluit (Chriſtus), ut per Sacerdotum*
„ *ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab*
„ *admiſſis peccatis ad ipſum Pænitentes*
„ *confugerint, poſſent liberari.*

Opponunt I. proponendo hiſtorias illas, quas in propoſitionis initio ex P. Boucat attulimus, quibus probatur, aliquando licitas fuiſſe & validas confeſſiones abſentibus factas, & abſolutio-

nes ſcripto datas. II. aſſerendo, quod Clemens VIII. non declaravit, illam abſolutionem eſſe invalidam, ſed tantum illicitam, & hoc probant, quia Pontifex damnavit propoſitionem illam, qua dicebatur: *licere per literas abſenti confiteri*. III. diceodo, quod idem Pontifex non damoavit utranque partem dictæ propoſitionis diviſim, ſed tantum conjuoctim, & collective; nempe quod non liceat abſolutionem dare abſenti; confeſſionem vero interdum abſenti fieri per literas, non ſit vetitum. IV. Cyprianus lib. 3. epiſt. 17. aſſerit, quod lapſi, per epiſtolam abſolutionem petentes, eam obtinere poterant. V. S. Thomas Cantuarienſis abſens abſolutionem petiit à Sede Apoſtolica. VI. In judicio forenſi Judex poteſt abſolvere abſentem: ergo pariter in Tribunali Pænitentiæ poteſt Sacerdos abſolvere pænitentem abſentem.

Reſpondemus ad I. quod abſolutio, quam Apoſtolus conceſſit Corinthio inceſtuoſo, non fuit vere abſolutio in foro iuterno pænitentiæ, ſed potius io foro externo, quia Corinthium inceſtuoſum excommuoicaverat, & deinde illum abſolvit, ac unitati fidelium reſtituit. Vel ſi volunt, quod fuerit etiam loquutus de abſolutione ſacramentali, dicitur, quod non fuit proprie abſolutio in Sacramento data, ſed promiſſio abſolutionis dandæ tempore, quo Corinthius peccatum ſuum in Sacramento confiteretur, & quidem præſenti Confeſſario, cui Apoſtolus intendebat poteſtatem illam concedere, non vero abſenti, cui Apoſtolus dare non intendebat. Serapionis factum, quod memorat Dionyſius Alexandrinus in epiſt. ad Fabianum, his verbis refert Euſebius lib. 6. hiſt. cap. 36. *Serapion, vir annoſæ virtutis, tempore perſecutionis, præ imbecillitate ſacrificat Idolis, poſtea ſæpe numero in Eccleſiam recipi ſupplex poſtulat; ſed quia Idolis ſacrificaſſet, ejus poſtulationem nemo auſcultabat; in gravem morbum delabitur, triduo deinceps mutus, & abſque ſenſu vivit; quarto die paululum relevatus jubet per Nepotem ſuum advocari Sacerdotem, qui forte morbo vexatus, cum ad eum accedere non poſſet, dat particulam Eucharistiæ puero, quem miſerat ægrotus, præcepitque ei, ut madeſactum in os Senis infunderet: infundit, illico Serapion extremum ſpiritum dedit.* Deinde de eodem Serapione ſubdit Dionyſius prædictus. *Nunc igitur ſatis conſtat, eum fuiſſe reſervatum, & eo uſque in vita manſiſſe, quoad uſque penitus eſſet culpæ vinculis ſolutus, & ipſa labe, qua erat Idolis immolando aſperſus, omnino deleta, poſſet pro multis bonis, quæ geſſiſſet in vita, in numero Confeſſorum referri.* Quibus omnibus præmiſſis, Fraſſen ſic argumentatur „ Ex iis ſic argumentari
„ licet. Ille Senex, antequam in morbum
„ incidiſſet, abſolutionem ſacramen-
„ talem ab idololatria non fuerat con-
„ ſecutus: ut enim habet Dionyſius, illi
„ non fuerat ſupplicatio conceſſa, qua in
„ Pænitentium numerum recipi poſtu-
„ labat; nec potuit illi concedi Eucha-
„ riſtiæ participatio, niſi poſt acceptam
„ abſolutionem, ne indigno coocede-
„ retur. Deinde dicitur: ad hoc tem-
„ pus reſervatus, ut penitus eſſet culpæ
„ vinculis ſolutus; hic autem effectus
„ non eſt Euchariſtiæ, ſed abſolutionis
„ proprius; igitur per Sacerdotem fuit
„ abſolutus, antequam Euchariſtiæ par-
„ ticipatio concederetur, non per Sa-
„ cerdotem præſentem; morbo enim
„ detinebatur in lecto; ergo per inter-
„ nuntium „. S. Athanaſii verba ſunt de remediis ad præcavenda peccata, noo vero de peccatis ipſis; & ſi ſunt de peccatis ipſis, nec ſonant, ut ea Confeſſioni ſubiiciantur; ſed ut communicentur ſpirituali viro, ad hoc ut remedia præſtet, ne iterum eadem committantur. Mulier, de qua S. Joannes Eleemoſynarius, non erat ab illo abſens, ſed præſens, & peccata ſua illi præſenti aperiebat, licet non lingua, ſed charta; quæ quidem variatio materialis eſt, quum in ea ſervetur formalitas præſentiæ, quæ requiritur. Ad factum Roberti, Cænomaneoſis Epiſcopi, hæc reponit laudatus Fraſſen, quemadmodum ad alia facta, quæ ſubnectuntur. „ Conſtat ſecundo ex
„ hiſtoria Roberti, Cænomanenſium
„ Epiſcopi, qui tempore Joannis VIII.
„ anno 872. in ægritudine poſitus ſcribit
„ ad Epiſcopos circa Muros Andega-
„ venſes reſidentes: ſua illis peccata
„ per epiſtolam confitetur; per illos pe-
„ tit abſolvi: annuentes Epiſcopi illi
„ reſcribunt. Extat Roberti epiſtola
„ tomo 3. Conciliorum Galliæ, cujus
„ hæc ſunt verba. *Pietatis veſtræ miſericor-*

ricordiam, *ſingultu interpoſito, implorare non ceſſo. quatenus poteſtate vobis cælitus collata, vincula meorum peccatorum enodetis, & precum veſtrarum ſtudiis commiſſa mea expietis, ut cum reprobis non ducar ad tartara; quin potius veſtro interventu cæleſti merear ſublimari ad gaudia*. Reſpondent in hunc modum Epiſcopi in ſua epiſtola, cui titulus eſt. *Epiſtola abſolutionis, quam ei remiſerunt iidem venerabiles Conſacerdotes de loco obſidionis*. In qua quidem epiſtola inter cætera, hæc habentur. *Tibi peccata tua confitenti per eccleſiaſticam Apoſtolicæ* Auctoritatis *poteſtatem, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus tradidit Diſcipulis, & Apoſtolis dicens: accipite Spiritum Sanctum &c. & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licet indigni tenemus*. Et infra. *Gratia, & potentia ſua, virtute Spiritus Sancti, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſervet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad St. Sacerdotum conſortium. Amen*. Conſtat tertio ex Confeſſione Hildeboldi, Sueſſionenſis Epiſcopi, facta Hincmaro Rhemenſi, cujus meminit Sirmundus in notis ad præcedentem epiſtolam, ubi aſſerit, illius abſolutionis hunc in vetuſto codice legi titulum. *Exhortatoria Hincmari Metropolitani, ad Hildeboldum Epiſcopum corporis infirmitate detentum, in qua juxta petitionem literarum Confeſſionis illius, ſua Authoritate eum per abſentiam corporalem reconciliando, abſolvit*. Conſtat quarto ex Reſcripto Gregorii VII. ad Epiſcopum Lincolnienſem, quod extat lib. 1. epiſt. 34. his verbis. *Abſolutionem peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, authoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vices, quamvis indigni, fungimur, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo, quantum valueris*. Conſtat quinto ex altero ejuſdem Reſcripto ad Epiſcopum Leodienſem, cujus hæc ſunt poſtrema verba. *Quia in extremo videris poſitus, fraterna compaſſione ducti, authoritate Beati Petri, Apoſtolorum Principis, abſolvimus te a peccatis &c.* extat lib. 2. epiſt. 6. Reſpondeo his, & ſimilibus authoritatibus, & teſtimoniis, non ſignificari Sacramentalem abſolutionem peccatorum abſentibus fuiſſe legitime datam; ſed, vel ſolum pænitentialium canonicarum remiſſionem, vel conceſſionem indulgentiarum, vel denique ſpiritualem quandam benedictionem per modum precum, & orationum, quibus Præſules abſolventes optabant, & Deum precabantur, ut, vel gratiam Pænitentiæ concederet eis, quo videbantur abſolvere, vel iis pænam peccatis debitam ex miſericordia relaxaret. Cujus utique reſponſionis ratio eſt aperta, quippe cum ejuſmodi abſolutiones non præcedant diſtinctæ accuſationes peccatorum, ſed duntaxat generales, & indiſtinctæ: porro Confeſſio peccatorum generalis, & indiſtincta extra caſum neceſſitatis, non ſufficit ad obtinendam ſacramentalem abſolutionem. Confirmatur hæc reſponſio ex eo, quod ſimilis abſolutio conceſſa fuerit iis, qui nullam peccatorum accuſationem, etiam generalem, & diſtinctam videntur præmiſiſſe. Nam Gregorius VII. lib. 8. epiſtolar. ſcribens epiſt. 2. ad Alphonſum, Hiſpaniæ Regem, poſt quam ipſum variis laudibus extulit, illum, illiuſque Proceres, a peccatis abſolvit in hæc verba. *Omnipotens Deus, omnium rerum Creator, & Rector, omnium dignitatum ineffabilis diſpoſitor; qui dat ſalutem Regibus, meritis Altiſſimæ Dominæ Genitricis Dei Mariæ, omniumque Sanctorum, authoritate beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, nobis, licet indignis, per eos qualecunque commiſſa, te, tuoſque Fideles in Chriſto, ab omnibus peccatis tuis abſolvat, detque tibi victoriam de inimicis tuis &c.* „.

Ad II. Ex verbis Summi Pontificis apparet, non ſolum abſolutionem illam eſſe illicitam, ſed etiam invalidam; tum quia prohibetur, ne in praxim deducatur opinio illa, quæ damnatur. Si ergo abſolutio per epiſtolam in praxim deduci non poteſt, ſignum eſt, quod oon ſolum eſt illicita, verum etiam invalida. Pontifex autem ſub excommunicationis pæna prohibet aſſerere, quod liceat *per literas, ſeu internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſolutionem obtinere*, unde apparet, quod verbum *licere*, vel *non licere* appellat eſſertionem illius pro-

poſitionis, non vero uſum, vel praxim ejuſdem. Quod ſi non licet illam aſſerere, ſignum eſt, quod illius uſus, vel praxis, non ſolum reddit illicitam abſolutionem, ſed pariter quoque invalidam.

Ad III. Idem Fraſſen reſpondet, quod ſi hoc etiam eſſet, ſemper propoſitum intentum haberemus. Verum ſubdit quoque „. At interpretatio illa
„ Suarez omnino repudiata fuit autho-
„ ritate Pauli V., Summi Pontificis, ut
„ patet ex decreto facto in generali In-
„ quiſitione his verbis expreſſo. *Die* 14.
„ *Iulii Anno* 1705.*propoſita cauſa P.Fran-*
„ *ciſci Suarez Jeſuitæ, & conſideratis*
„ *bis, quæ ſcripſit tomo* 4. *in* 3. *parte*
„ *S. Thomæ ſect.* 4. *diſput.* 21. *interpre-*
„ *tando decretum felicis recordationis Cle-*
„ *mentis Papæ octavi diè* 10. *Iunij, anno*
„ 1602.,*quo damnavit hanc propoſitionem,*
„ *videlicet*, licere per literas, ſeu inter-
„ nuntium Confeſſario abſenti peccata
„ ſacramentaliter confiteri, & ab eo-
„ dem abſolutionem obtinere; *ac etiam*
„ *mature diſcuſſis his, quæ idem P. Sua-*
„ *rez adduxit in defenſionem ſuæ interpre-*
„ *tationis, auditis votis Illuſtriſſimorum*
„ *Dominorum Cardinalium, Sanctiſſimus*
„ *decrevit, dictam interpretationem non*
„ *ſubſiſtere, & ideo amovendam eſſe ab*
„ *ejus libris,juxta decreta alias facta a fe-*
„ *licis recordationis Clemente Papa VIII.*
„ *de quibus in actis S. Officii*. Præterea
„ eodem anno die 20 Julii,eadem Con-
„ gregatio decrevit: *ex libris P. Fran-*
„ *ciſci Suarez Ieſuitæ diſput.* 23. *ſect.* 1.
„ *num.* 12, *amoveantur infraſcripta verba,*
„ *videlicet*: atque ex hac reſolutione:
„ uſque ibi: in abſentia Confeſſoris.
„ *Idem P. Suarez corrigat ſuum librum,*
„ *& antequam evulget, oſtendat huic Sa-*
„ *cræ Congregationi*. Et rurſus die 18.
„ Auguſti,hoc emanatum eſt decretum.
„ *Sanctiſſimus decrevit ex tom.* 4. *P. Sua-*
„ *rez Ieſuitæ in* 3. *parte S. Thomæ diſput.*
„ 21. *de Confeſſ. ſect.* 4. *cui titulus eſt*:
„ Utrum de neceſſitate Confeſſionis ſit,
„ ut pænitens Sacerdoti præſenti imme-
„ diate, & per ſe ipſum revelet peccata
„ ſua,*totam eſſe amovendam, nec aliam ejus*
„ *loco ſubrogandam*. „

Ad IV. Ex Cypriani verbis potius eruitur ſententia noſtra, quam Adverſariorum opinio. Et hæc ſunt ejus verba. *Si qui infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præſentiam noſtram, quia apud Presbyterum quemcunque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cæperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſit, ut manu eis in pænitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace*. Quibus verbis primo Cyprianus requirit Sacerdotis præſentiam; ſecundo non loquitur de abſolutione ſacramentali, ſed de canonica tantum; & hoc ex eo patet, quia dicit, quod in abſentia Sacerdotis poſſit abſolutio impendi a Diacono; Diaconus autem nullam habet poteſtatem abſolvendi ſacramentaliter.

Ad V. Hæc reponit citatus Fraſſen. „.
„ Et ad factum S. Thomæ, quod refert
„ Baronius tomo 12. ad annum 1664.
„ n.6. reſpondeo, quod abſolutionem
„ ſacramentalem a Sede Apoſtolica
„ non poſtulavit, nec eam ipſi dederit
„ Alexander III.,Summus Pontifex, ſed
„ tantum canonicam; propterea quod
„ fateretur, ſe non omni, qua debebat,
„ conſtantia contra Regem Angliæ, &
„ ejus Proceres, Eccleſiæ jura propu-
„ gnaſſet; unde ſe Sacerdotio indignum
„ judicabat, ut colligitur ex ſcripto
„ ſummi Pontificis, in quo ſic habet.
„ *Si te recolis aliquid commiſiſſe, de quo*
„ *propria te debeat conſcientia remordere,*
„ *quidquid ſit, Sacerdoti, qui diſcretus,*
„ *& providus habeatur, tibi conſulimus*
„ *per Pænitentiam confiteri. Quo facto mi-*
„ *ſericors Dominus, qui multo amplius ad*
„ *corda reſpicit,quam ad actus, tibi conſuetæ*
„ *pietatis ſuæ miſeratione dimittet, & nos*
„ *de Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolo-*
„ *rum ejus, meritis confidentes, te ab eo,*
„ *quod eſt commiſſum, abſolvimus, & id-*
„ *ipſum fraternitati tuæ authoritate apo-*
„ *ſtolica relaxamus*. Quibus apparet non,
„ ſacramentalem, ſed tantum canoni-
„ cam abſolutionem ei tribuiſſe; quippe
„ quum ipſum moneat,ut conveniat Sa-
„ cerdotem diſcretum, cui confiteatur,
„ ut ab eo ſacramentalem abſolutio-
„ nem recipiat. „.

Ad VI. dicitur, quod quanvis in aliquibus conveniat Tribunal internum pænitentiæ cum tribunali externo laico, in multis autem differt; quia in tribunali interno idem eſt accuſator, teſtis, & reus, non vero in tribunali externo; ſecundo, quia in tribunali interno ſtandum eſt ipſius Rei atteſtationi, abſque eo quod aliquis alius teſtificationem depromat, non ſic vero

ro

ro in tribunali exteroo ; tertio , quia in tribunali interno debet cognoſcere judex ſtatum ipſius Rei , actus audire , & cognoſceie , diſpoſitionem experiri &c.;uon ſic vero in tribunali exteroo . Et hinc eſt , quod paritas non currit ab uno ad aliud circa judicis præſentiam in proferendo ſententiam .

DISSERTATIO CCCLXV.

De abſolutione ſacramentali . Quibus verbis exprimi debeat , auctoritativis ſcilicet , indicativis , vel deprecativis ? An declaret tantum peccata eſſe remiſſa , an vero re ipſa dimittat ? An contineat remiſſionem etiam pœnæ peccato debitæ ?

PRimo dicitur, quod Græci verbis deprecativis abſolutionis formam exprimant, dicendo nimirum , *abſolvat te*, vel *abſolvit te Chriſtus, indulgeat tibi Dominus &c.* Verum plures hoc negant, aſſerentes nimirum, quod Græca Eccleſia hac forma deprecativa uſa oou fuerit ; & hoc probant ex ipſo Græcorum Euchologio , in quo præmittuntur hæc verba precatoria . *Dominus noſter Jeſus Chriſtus & Deus , qui mandatum ligandi, & ſolvendi peccata diſcipulis tradidit , prætereat omnia peccata tua*: & deinde ſequuntur hæc alia : *ego vero indignus ejus ſervus abſolvo te a peccatis tuis* : Item : *Dominus juſtus , qui propter nos carnem aſſumpſit , & univerſi orbis peccatum tollit , delicta tua deleat : ego vero condono tibi omnia peccata tua* . Teſtem hujus aſſertionis proferunt Arcudium , de quo hæc ſcribit Fraſſen *de Pœnit.* tract.1. diſp.2. art.2. quæſt.4. oum.10. „ . Et Arcudius ipſe rituum
„ Eccleſiæ grecæ peritiſſimus , ut pote
„ natione Græcus , & eruditione ſingu-
„ lari rerum eccleſiaſticarum inſtru-
„ ctiſſimus , agens lib.14. de forma Pæ-
„ nitentiæ, diſſerte oſtendit , quod, & ſi
„ imperitiores Græci interdum utantur
„ forma deprecatoria , tamen peritio-
„ res non niſi imperative , vel indicati-
„ ve abſolvunt ; nam inter varias abſo-
„ lutionis formulas , quas ibi refert, nul-
„ la eſt , quæ præter preces adiunctas ,
„ noo præſeferat auctoritatem ſententiæ
„ judicialis ; ſolent eoim Sacerdotes di-
„ cere pænitenti : *habeo te venia dona-*
„ *tum* : aut : *habeo te abſolutum* : vel quid
„ ſimile , quod utique , inquit , phraſi
„ græca æquivalet : *veniam do , ignoſco ,*
„ *condono , indulgeo* , ſeu *remitto tibi pec-*
„ *cata tua* : Præſules autem honoris , di-
„ gnitatis , aut humilitatis gratia di-
„ cunt : *Mea mediocritas* , ſeu , *mea humi-*
„ *litas te habet abſolutum* . Id ut oſten-
„ dat Arcudius , refert diploma Paco-
„ mii , Patriarchæ Conſtaotinopolitaoi,
„ latum adverſus Arſeoium quemdam,
„ virum catholicum , & Latinis co-
„ njunctum , in quo continetur excom-
„ municatio Arſenii his verbis : *noſtra*
„ *mediocritas habet te excommunicatum ,*
„ *ſeu ſeparatum ab individua Trinitate ,*
„ *in hoc & futuro ſeculo*; tum etiam ejuſ-
„ dem Arſenii , Monembaſiæ Epiſcopi,
„ diſpoſitio , his verbis : *Te habeo depo-*
„ *ſitum , ſeu , mea mediocritas habet te*
„ *depoſitum , & exutum omni Sacerdotio* ,

idest

„ ideſt, *deponit*, *&* *exuit*. Quia vero quoſdam Catholicis Latinis adverſantes excommunicaverat Arſenius, eos abſolvens ab excommunicatione Pacomius; *cunctos vere Orthodoxos habemus abſolutos & benedictos*, ideſt, *abſolvimus*, *&* *benedicimus*: idem etiam latine dicitur alicui ſeipſum excuſanti *habeo te excuſatum* ideſt, *te excuſo*. Refertur etiam ab Arcudio quædam Abſolutio Michaelis, Antiocheni Patriarchæ, ſuper confitentem ita concepta: *gratia*, *dono*, *poteſtate S. Spiritus*, *quæ a Chriſto data Apoſtolis ligandi & ſolvendi peccata hominum*, *cum ait*, *accipite &c.*, *quæcunque alligaveritis &c.*, *&* *ad nos continua ſucceſſione tranſiit*, *mediocritas noſtra habet venia donatum ſpiritualem filium ſuum Theodoſium*, *in quibuſcunque ipſe*, *ut homo*, *deliquit*, *&* *in Deum verbo*, *opere*, *cogitatione*, *omnibuſque ſuis ſenſibus peccavit*, *& ſi excommunicatione*, *vel imprecatione Pontificis*, *ſeu Sacerdotis*, *aut Patris*, *aut Matris ſuæ*, *obnoxius fuit*, *vel ſibi ipſi malum imprecatus*, *ſeu jusjurandum violavit*; *vel etiam aliis quibuſdam erratis confixus eſt*; *& hæc quidem ſpiritualibus Patribus confeſſus eſt*, *ab eiſque impoſitam ſibi pænitentiam diligenter perfecit*, *a reatu*, *nexu*, *&* *ligamine horum omnium omnipotenti poteſtate*, *gratiaque Sancti*, *&* *adorandi Spiritus*, *eum ſolvimus*, *& habemus liberum*, *& venia donatum*. Hanc abſolvendi formam Leopoli, quæ Ruſſiæ Metropolis eſt, Petro cuidam Archidiacono conceſſam a Joachimo, Patriarcha Antiocheno, qui regiones illas peragraverat, ſe vidiſſe teſtatur Archudius; unde colligitur, ab Antiochenis Antiſtibus uſurpatam antea fuiſſe formam abſolutionis indicativam, & abſolutam, qua dicitur *ſolvimus &c.* Idem ait ab Hypatio, Metropolita Chiovienſi, librum oſtenſum fuiſſe ſibi Ruſſorum idiomate manuſcriptum, in quo ad calcem abſolutoriæ deprecationis hæc habetur forma: *ego Pater tuus Spiritualis*, *poteſtate mihi a Deo*, *& a Superioribus meis conceſſa*, *abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Gabriellis Philadelphenſis in libello *de Sacramentis* hanc refert Pænitentiæ formam: *gratia Sanctiſſimi Spiritus*, *per meam humilitatem*, *habet te venia donatum*, *&* *abſolutum*. Igitur Græci ab Eccleſiæ latinæ praxi in hujus Sacramenti forma ſecundum formam indicativam non diſſentiunt. „.

Secundo fuerunt aliqui antiqui Theologi, qui putarunt, abſolutionis formam debere eſſe omnino deprecativā; adeo ut ſi proferreretur verbis indicativis, eſſet prorſus invalida. Hanc opinionem impugnat egregie S. Thomas Opuſculo 22.

Tertio Alexander de Ales par. 4. quæſt. 21. mem. 1. aſſeruit, formam abſolutionis partim eſſe indicativam, partim vero deprecativam. Huic ſententeutiæ videtur adhærere S. Bonaventura in 4. diſt. 18. par. 1. art. 2. quæſt. 11, & hæc ſunt ejus verba. *Nam Sacerdos ſe habet ut Dei mediatorem ad hominem*, *& hominis ad Deum*, *unde per ipſum peccator aſcendit ad Deum*; *& ſic Sacerdos eſt os peccatoris*, *ſive loquens pro peccatore*, *& per ipſum deſcendit Deus ad hominem*, *& ſic Sacerdos eſt Angelus Dei*; *imo os*, *eo quod ipſe ſeparat pretioſum a vili*. *Secundum quod aſcendit*, *habet ſe per modum inferioris*, *& ſupplicantis*; *ſecundum quod deſcendit per modum ſuperioris*, *& judicantis*. *Secundum primum modum poteſt gratiam impetrare*, *& ad hoc eſt idoneus*; *juxta vero ſecundum modum poteſt Eccleſiæ reconciliare*, *& ideo in hujus ſignificationem in forma abſolutionis præmittitur deprecatio per modum deprecativum*; *& ſubjungitur abſolutio per modum indicativum*; *& deprecatio gratiam impetrat*, *ſed abſolutio præſupponit tantum*; *nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam*, *de quo non præſumeret*, *quod eſſet abſolutus a Deo*: *ſi ergo quæratur*, *utrum poteſtas clavium ſe extendat ad delendam culpam*, *dicendum eſt*, *quod bene poteſt ſe extendere per modum deprecantis*, *& impetrantis abſolutionem*, *ſed per modum impertientis nequaquam*.

Quarto Maironius in 4. diſt. 14. quæſt. 1., & Aureolus diſt. 23. defendunt, formas Sacramentorum poſſe eſſe deprecativas, vel indicativas, pro diverſa Eccleſiarum conſuetudine. His accedit Dominicus Soto in 4. diſt. 3. quæſt. unica, docens, abſolutionem verbis deprecativis prolatam eſſe validam, ſed non licitam, adeoque valere hanc formam. *abſolvit te*, vel *abſolvit te Chriſtus*; & ratio ipſius eſt, quia etiam forma extremę unctionis

eſt

Digitized by Google

eſt deprecativa, quatenus his verbis coocipitur: *indulgeat tibi Dominus &c.* Accedit etiam huic eidem opinioni Gamachæus cap.5. *de Confirmatione*, ubi docet, quod ſubſtantia formæ Confirmationis non mutatur per has formulas: *ego conſigno te: ego confirmo te*: vel: *ſignat te Deus: confirma eum Domine*. Sexto, Joannes Launoy, & Joannes Morinus, ſententiam de abſolutione modo deprecativo dandam, jam fere extinctam, denuo in medium attulerunt, eamque probationibus aliquot Legentibus perſuadere conati ſunt, ita ut non defuerint pauci quidam, qui illam amplexarentur.

Dicimus I. Sacramentalem abſolutionem expreſſam deprecativis verbis non eſſe validam.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 20. nón dixit Chriſtus: *quorum oraveritis remitti peccata*, ſed *quorum remiſeritis*. Ex quibus verbis aperte deducit S. Thomas opuſc. 11. cap. 1., quod abſolutio ſacramentalis eſſe non debeat deprecativa, & hæc ſunt ejus verba. *Miror, qua temeritate aliquis aſſerat, eſſe ſolutum, quem habens claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolum rogat eſſe ſolvendum*. Proinde idem S. Doctor oppoſitam ſententiam vocat, *temerariam, & profuntuoſam*.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Florentinum aſſerens, abſolutionem ſacramentalem fieri per hæc verba: *ego te abſolvo*: aperte excludit formam deprecativam. Concilium pariter Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. aſſerit, *quibus, quanvis de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiungantur, ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Ex quibus verbis patet, quod ſi preces illæ, quæ ad abſolutionis formã præmittuntur, non ſunt neceſſariæ ad illius valorem, nec etiam abſolutionis ſacramentalis formam conſtituunt, quæ proinde oon eſt dicenda deprecatoria.

III. probatur. Judex, quando ſententiam pronunciat, non loquitur deprecando, ſed indicando, afferendo, vel imperando: at Confeſſarius, qui eſt miniſter, & judex io Sacramento Pænitentiæ, quando abſolvit, judicialem ſententiam profert: ergo non debet loqui deprecando, ſed, vel iudicando, vel aſſerendo, vel imperando. Minor propoſitio, in qua poteſt eſſe difficultas, expreſſe conſtat ex Tridentino ſeſſ. 14. Can. 9. ubi hæc leguntur. *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata Confitenti, modo tantum credat, ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat; aut dixerit, non requiri Confeſſionem Pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit, anathema ſit*. Et in eadem ſeſſ. cap. 6. hæc habeotur. *Quanvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a judice, ſententia pronunciatur*.

IV. Probatur. Poſtquam Confeſſarius profert verba illa: *Miſereatur tui Omnipotens Deus &c. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem &c*: vel Pænitens eſt bene abſolutus, vel non? Si eſt bene abſolutus: ergo verba illa, quæ ſubſequuntur, nimirum: *ego te abſolvo*; nihil operantur, adeoque poſſunt licite omitti, jam enim Sacramentum eſt per actum; ſi vero eſt male abſolutus: ergo verba deprecatoria, qualia ſunt illa, non conſtituunt abſolutionis ſacramentalis formam: ergo requiruntur alia verba, in quibus proprie ſacramentalis abſolutio conſiſtat, quæ ſunt nimirum, *abſolvo te &c*.

V. probatur. Ille modus in abſolutione ſacramentali eſt retinendus atque admittendus, qui magis congruit Sacramenti Pænitentiæ promiſſioni, ac inſtitutioni; ſed magis congruit modus indicativus, quam deprecativus: ergo admittendus eſt modus indicativus, non vero deprecativus. Minor probatur. Chriſtus non dixit, quod *peccata remittentur eis, pro quorum dimiſſione, vos orabitis*; neque dixit, quod *vos ſolvetis, quæcunque petieritis ſolvenda*; ſed dixit, *quorum remiſeritis peccata, remittentur eis*, & *quæcunque ſolveritis, ſoluta erunt*: ergo ſignum eſt, quod ex promiſſione, & inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ, ejusdem Miniſtri non debent orare, ſed dimittere, ſed ſolvere, ut Sacramentum ipſum perficiant.

Arguunt I. Sacerdotes hebraicæ Legis

per modum deprecativum reconciliabant Deo Judæos, qui Deo infenſi per peccatum reddebantur; ergo pariter Chriſtiani peccatores per modum deprecativum reconciliari debent Deo per Sacramenti pænitentiæ Miniſtros. Antecedens patet ex Scriptura, ſcilicet Numeror. 6., ubi Deus Moyſi præcipiebat. *Loquere Aaron, & filiis ejus: ſic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis: benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui; convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem; invocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis*, II. Eadem eſt poteſtas, quam Chriſtus Dominus tribuit Apoſtolis remittendi peccata peccatoribus, ac illa, quam tribuit ſanandi infirmos, eiiciendi Dæmones &c.; ſed poteſtas data ſanandi infirmos, & Dæmones ejiciendi, eſt concepta verbis deprecatoriis, non indicativis, & imperativis: ergo pariter ſic debet eſſe poteſtas tradita abſolvendi peccata. Antecedens patet, quia S. Petrus dixit Paralytico: *ſanet te Dominus Jeſus Chriſtus*. III. Non pauci Patres abſolutionem ſacramentalem deprecatoriis verbis expreſſerunt; ergo antiquitus ſic erat exprimenda; ergo ſic pariter modo exprimenda eſt. Probatur antecedens. Dionyſius Areopagita lib. *de Eccleſiaſt. Hierarchia* cap. 7. vocat deprecationem Sacerdotis *abſolutionem*. Et cap. 6. dicit de Epiſcopi Ordinatione; *Sanctiſſimis invocationibus, ſeu precationibus, perficitur*. Ambroſius lib. 5. *de Spiritu Sancto* cap. 19. *Videamus, utrum peccata donet Spiritus Sanctus; ſed hic dubitari non poteſt, cum ipſe Dominus dixerit; accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt. Ecce quia per Spiritum Sanctum peccata donantur, homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent, neque enim in ſuo, ſed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt. Iſti rogant, Divinitas donat; humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis*. Pacianus *in Parenæſi ad Pænitentiam* preces Eccleſiæ vocat preces Chriſti. *Qui fratribus ſuis peccata non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur*. Auguſtinus lib. 3. *de Bapt.* cap. 16. *Quid eſt impoſitio manuum, niſi oratio ſuper hominem?* Et lib. 50. homiliarum, homil. 49. *Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, ut pro vobis Eccleſia oret, agite pænitentiam; nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago: ergo ſine cauſa dictum eſt: quæ ſolveritis in terra &c.* Hieronymus ad illud Pſal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam*, ait. *Quotidie in unoquoque noſtrum flamma libidinis, per confeſſionem, & gratiam Spiritus Sancti intercidit; idest per orationem Sacerdotum facit ceſſare*. Sanctus Chryſoſtomus lib. *de Sacerdotio*, dicens, Sacerdotes conferre ad animarum ſalutem, ſubdit. *Nec vero hoc docendo, aut monendo faciunt, ſed etiam orationibus adjuvando; nec ſolum quando nos regenerant, ſed etiam deinceps poteſtatem habent indulgendi peccata*. S. Leo epiſt. 91. *Ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri .... ſi quis eorum, pro quibus Domino ſupplicavimus, a munere indulgentiæ præſentis occiderit ...., neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur*. Quæ quidem verba orandi, rogandi, ſupplicandi, ſatis innuunt, Sacramenti Pænitentiæ formam eſſe deprecativam. IV. Auguſtinus reprehendebat in Sacerdotibus verba, per quæ Pænitentes abſolvebant, dicendo: *remitto tibi peccata*; ſed hic modus eſt indicativus: ergo Auguſtinus reprehendebat formā abſolvendi indicativam. Et quidem lib. 50. homiliarum homil. 25. cap. 8, ad verba illa: *quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit*, dixit, Chriſtum peccata dimittere, non ut homo eſt, ſed ut Deus eſt; unde arguit eos, qui dicebant: *dimitto tibi peccata*, ſubdens. *Medicus bonus ægrotos non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat; futuri enim erant homines, qui dicerent: ego peccata dimitto: ego juſtifico: ego ſanctifico: ego ſano quemcunque baptizo. Et circa finem ſtudet ſibi hoc homo uſurpare? Quid contra hæreticus? Ego dimitto: ego mundo, ego ſanctifico*. Hæc autem verba non dixiſſet Auguſtinus, ſi tunc temporis fuiſſet uſitata in Eccleſia forma indicativa: *ego te abſolvo*: quod idem eſt dicere: *ego tibi peccata dimitto*. V. S. Cyprianus lib. *de Lapſis* hæc docet. *Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat: ſolus*

Domi-

Dominus miſereri poteſt : veniam peccatis , quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri , qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris: homo Deo eſſe non poteſt major , nec remittere,aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt , quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt. Ex quibus verbis patet , quod ſolus Deus actu juridico poteſt abſolvere a peccatis , non ſolus homo . VI. In antiquioribus Pænitentialibus , Sacramentariis , & Ritualibus Eccleſiæ latinæ , uſque ad annum 1200. , legitur abſolutio deprecativa , non indicativa; & quidem probatur ex Ordine Romano , in quo hæc legitur abſolutio , ſcilicet , præmittebat Archidiaconus hanc allocutionem ad Pontificem : *redintegra in eo, Apoſtolice Pontifex , quidquid Diabolo ſuadente corruptum eſt , & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ Reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo* . Si igitur Archidiaconus formam deprecativam , non iodicativam a Pontifice expoſcebat , Pontifex primam , non alteram adhibebat . Eadem forma legitur in libro Sacramentorum S. Gregorii : in Alcuino lib. *de divinis officiis* cap. de *Cœna Domini*; in Burcardo lib. 19. *Decretorum.* VII. Anonymus Auctor,impugnatus a S. Thoma citato opuſculo 22. docebat , quod forma indicativa inceperat a triginta annis , et Sanctus Thomas hoc non negavit : ergo antiquior eſt forma deprecativa. VIII. Magiſter Sententiarum nullam facit memoriam abſolutionis indicativæ, & Guillelmus Pariſienſis ſcribit : *Confeſſarius non dicit more Judicum Forenſium ; abſolvimus te , ſed magis orationem facit ſuper eum , ut Deus abſolutionem, remiſſionem, & gratiam ſanctificationis tribuat* . IX. Ex teſtimonio Franciſci Mayronis in 4. diſt. 14. quæſt. 1. habemus, quod ſuo tempore adhibebatur hæc forma : *abſolvat te Deus Pater, Deus Filius , Deus Spiritus Sanctus* ; & in reſpoonſione ad tertium , ſubdit; *ſic fiebat in Provincia Provinciæ*; ſed improbata non fuit iſta forma . X. Non eſt credendum , quod nuſquam fuerit apud Græcos , immo quod nec modo ſit, vera & legitima abſolutionis forma ; ſed Græci ſemper uſi fuerunt , & modo utuntur forma deprecativa : ergo forma deprecativa non eſt improbanda.

Reſpondemus ad I. , quod Sacerdotibus hebraicæ Legis nuſquam fuit data poteſtas abſolvendi a peccatis , quia iiſdem nuſquam fuit dictum : *quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis : & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo* . Illa autem , quæ adducitur in objectione, non eſt abſolutio , ſed benedictio , qua Sacerdotes Levitici Iſraelitas benedicebant ; & ſimilis eſt illi beoedictioni , quam adhibent Pontifices, vel Sacerdotes Eccleſiæ evangelicæ , quando dicunt: *Benedicat vos omnipotens Deus &c*; quæ quidem, quanvis ſit benedictio , non eſt tamen ſacramentalis , quemadmodum nec ſacramentalis erat illa Hebræorum .

Ad II. dicitur primo , quod falſum eſſe, quod Apoſtoli noo ſanaverint infirmos , & non reſuſcitaverint mortuos, niſi per deprecationem ; quum conſtet , quod uſi fuerint vocibus , & indicativis , & imperativis . Et quidem Petrus dixit Paralytico : non *ſanet*, ſed *ſanat te Chriſtus*: & deinde ſubdit; *ſurge, & ſterne tibi*; Quando Tabitham ſuſcitavit Actor. 3. dixit : *Tabitha ſurge* : & quando Claudum ſanavit dixit: *quod habeo, hoc tibi do , in nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula* . Secundo dicitur , quod in Apoſtolis poteſtas ſanandi, & reſuſcitandi, non dependebat a caractere illis impreſſo, ſicut dependebat poteſtas abſolvendi a peccatis ; & ideo , quando hac utebantur , vocem imperativam , vel indicativam adhibebant ; quando vero illa, quaſcunque voces , quas mallebant, uſurpabant .

Ad III. Tres reſponſiones abbibet Natalis Alexander in Theologia dogmatica morali lib. 2. *de Sacram. Pænitentiæ* cap. 7. propoſit. 2., quæ continentur his verbis . „ . Reſpondetur
„ primo , Patres laudatos , intelligi de
„ oratione , quæ præmittitur abſolutio-
„ ni , non vero , quod abſolutionis for-
„ mula ſit ſimplex oratio. Ita reſpondet
„ S. Thomas 3. par. quæſt. 84. art. 1. ad
„ ſecundum . Reſpondetur ſecundo, ſo-
„ lemne eſſe Patribus , ut orationis no-
„ men formis Sacramentorum tribuant,
„ quod preces in Sacramentorum con-
„ fectione adhiberi ſoleant , quibus
„ verba ipſa inſeruntur , ut iis veluti
„ gradibus ad Sacramenta perficienda ,
„ vel ſuſcipienda , aoimus præparetur .

" Siç forma Conſecrationis Euchari-
" ſtiæ, Canoni Miſſæ inſerta, interdum
" præcatio, & oratio dicitur a Patribus
" Græcis, & Latinis. S. Baſilio lib. *de*
" *Spiritu Sancto* cap. 37. S. Auguſtino
" epiſt. 149. alias 59. ad Paulinum, S.
" Gregorio Magno lib. 7. epiſt. 63. Reſ-
" pondetur tertio, Patres exponi poſſe
" de oratione ſuper publiços Pænitentes
" tes fundi ſolita, de qua Tertullia-
" nus: *tenere præterea pauperum manus,*
" *Viduas obſecrare, Presbyteris adſolvi,*
" *orationes Eccleſiæ deprecari, omnia*
" *prius tentare, ne pereas*, ",

Ad IV. reſpondet Fraſſen per hæc ver-
ba: " Sanctum Auguſtinum non ar-
" guere eos, qui nomine, & authori-
" tate Chriſti, tanquam eius Vicarii
" dicunt: *ego peccata dimitto*; nam ca-
" pite ſequenti fatetur, Apoſtolos a
" Chriſto accepiſſe poteſtatem remit-
" tendi peccata, ſed quod eam ſancti-
" ficandi vim, ac peccata dimittendi,
" ſuæ propriæ ſanctitati, ſuiſque meritis
" adſcriberent, arbitrati ſe ſanctiſſi-
" mos eſſe, quod improborum conſor-
" tio non inficerentur, & alios ex ſua
" ſocietate juſtificare poſſent, unde eis
" attribuit illud Iſajæ: *recede a me, quo-*
" *niam mundus ſum*. Hinc, ut ſubdit
" S. Auguſtinus, *in collatione noſtra cum*
" *eis a Cognitore conſeſſus eſſet oblatus,*
" *ut ſederent nobiſcum, reſpondebant,*
" *ſcriptum eſt, nobis cum talibus non ſe-*
" *dere*. Pſal. 25. *Non ſedi cum concilio*
" *vanitatis: ne ſcilicet per contactum*
" *ſubſellium, ad illos veluti noſtra contagio*
" *perveniret*. Unde ſic eos urget S. Au-
" guſtinus, *Quare nobiſcum ingreſſi eſtis*
" *in Eccleſiam, cum ſcriptum ſit conſe-*
" *quenter: & cum iniqua gerentibus non*
" *introibo.... Ideo melior Judæis, quam*
" *hæreticis, apparuit intellectus. Judæi*
" *quippe dixerunt: quis eſt hic, qui pec-*
" *cata dimittit? audet ſibi homo hoc uſur-*
" *pare: quid contra hæreticus? Ego di-*
" *mitto, ego mundo, ego ſanctifico &c.*
" Cum igitur illi hæretici, videlicet
" Montaniſtæ, & ex eis originem du-
" centes Donatiſtæ, qui ſe *Catharos*,
" hoc eſt, *mundos*, alios vero immun-
" dos exiſtimabant, & idcirco ſibi ar-
" rogabant facultatem alios ſanctifican-
" di ex ſua ſocietate, & propriis meritis,
" in fundamentum ſui erroris profer-
" rent illud Matthæi 18. *quæcunque ſol-*
" *veritis &c.*, non negat S. Auguſtinus,
" Chriſtum dediſſe hanc poteſtatem
" Apoſtolis, ſed ait, Deum eſſe prin-
" cipem cauſam, homines vero tantum
" miniſtros: *neſcitis*, inquit cap. 9. *qua-*
" *re hoc dictum ſit, quomodo dictum ſit?*
" *Daturus erat Dominus hominibus Spi-*
" *ritum Sanctum, & ab ipſo Spiritu San-*
" *cto Fidelibus ſuis dimitti peccata, non*
" *meritis hominum volebat intelligi di-*
" *mitti peccata, Nam quid eſt homo, niſi*
" *æger ſanandus? Vis mihi eſſe medicus?*
" *Mecum quære medicum; nam ut hoc*
" *evidenter oſtenderet Dominus, a Spi-*
" *ritu Sancto, quem donavit Fidelibus*
" *ſuis, dimitti peccata, non meritis ho-*
" *minum, quodam loco ſic ait reſurgens a*
" *mortuis: accipite Spiritum Sanctum;*
" *& continuo ſubjecit: ſi cui dimiſeri-*
" *tis peccata, dimittuntur ei: hoc eſt Spi-*
" *ritus Domini dimittit, non vos, Deus*
" *ergo dimittit, non vos, Sed audi Spiri-*
" *tum: quid eſtis vos, neſcitis, quia tem-*
" *plum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat*
" *in vobis, Unde concludit, Deus ergo ha-*
" *bitat in templo ſuo, hoc eſt in Sanctis*
" *ſuis fidelibus; in Eccleſia ſua per eos di-*
" *mittit peccata, quia viva templa ſunt,*
" *ſed qui dimittit per hominem poteſt di-*
" *mittere & præter hominem: neque enim*
" *minus eſt idoneus per ſe dare, qui po-*
" *teſt per alium dare*. Non igitur negat
" S. Auguſtinus, verba formæ abſolu-
" tionis, ſed ſuperbiam eorum, qui ſuis
" meritis remiſſionem peccatorum tri-
" buebant, improbat ".

Ad V. S. Cyprianus citatis verbis arguit
Miniſtros illos Sacramenti Pænitentiæ,
qui impendebant beneficium ab-
ſolutionis Lapſis a Fide, & qui non-
dum erant bene diſpoſiti ad recipien-
dam abſolutionem ipſam per debi-
tam ſatisfactionem, & ſalutarem pæ-
nitentiam, Obſerventur ejus verba,
quæ ſcribit ante prædicta, & quæ
ſcribit poſt illa. Ante ſcribit, *Oportet*
Dei Sacerdotem, non obſequiis decipien-
tibus fallere, ſed remediis ſalutaribus
providere. Imperitus eſt medicus, qui
tumentes vulnerum ſinus, manu parcen-
te contrectat, & in altis receſſibus viſce-
rum virus incluſum, dum ſervat, exag-
gerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſe-
candum, & putaminibus amputatis
medela fortiore curandum. Vociferetur,
& clamet licet, & conqueratur æger
impatiens per dolorem, gratias aget po-
ſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Et
deinde ſubdit. *Emerſit enim (Fratres*
dilectiſſimi) novum genus cladis, & qua-

ſi pa-

Digitized by Google

ſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum, ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem, temeritate quorundam laxatur incautis communicatio irrita, falsa pax, periculoſa dantibus, & *nihil accipientibus profutura. Non quærunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam: pænitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera; & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato dolore contegitur, a diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt, mortiferos Idolorum cibos adhuc pene ructantes, exalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus Domini corpus invadunt.* Et quod S. Cyprianus non loqueretur de abſolutione a peccatis ſed ab excommunicatione, qua innodabantur in Idololatriam lapſi, ſit clarum ex his aliis ipſius verbis. *Ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum, nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta Pænitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? . . . Non concedit pacem facilitas illa, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem.*

Ad VI. In Ordine Romano hæ ſunt abſolutionis formæ. Prima quidem pro plurimis abſolvendis. *Nos etiam, ſecundum authoritatem nobis indignis a Deo conceſſam, abſolvimus vos ab omni vinculo delictorum veſtrorum, ut mereamini habere vitam æternam per eum, qui vivit &c.* Singularis autem abſolutionis formula hæc eſt. *Frater N. Dominus Ieſus, qui dixit Apoſtolis: quæcunque ligaveritis &c.; ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione, & operatione negligenter egiſti.* Quibus addit Fraſſen.; „ Porro „ his verbis Sacerdos idem ſignificat ac „ ſi diceret; *abſolvo te ut Miniſter Chriſti* „ *&c.* Ad librũ Sacramentorũ S. Gregorij, & ad alia Ritualia dicitur, quod in eiſdem præſcribuntur preces, quæ dicendæ erant ante abſolutionem, non vero abſolutio ipſa, quæ ſatis conſtabat qualibus verbis exprimenda eſſet.

Ad VII. Ponimus verba S. Thomæ in citato opuſculo 22, quæ ſunt. *Patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves abſolvit. Præſumptuoſum ergo eſt, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non poſſit: ego abſolvo te, quem Dominus abſolvere confitetur. Ad hoc etiam eſt communis conſuetudo tali forma utentium, cui aliquem contrariari, non parvæ præſumptionis eſt . . . . . . Non eſt etiam parva auctoritas ejus; quod in Eccleſia cantatur. Iam bone Paſtor Petre clemens accipe vota precantium, & peccati vincula reſolve tibi poteſtate tradita. Poteſtas autem tradita Petro, eſt poteſtas Clavium. Poteſt ergo habens claves dicere: ego te abſolvo. Nec hoc ſolum convenienter dicere poteſt, ſed & neceſſarium eſſe videtur, quia Sacramenta novæ legis efficiunt id, quod figurant. In Sacramento autem Pænitentiæ verba Scripturæ, quæ maxime ſectanda ſunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione; ſed magis ipſa verbo indicativo utitur. Non enim dicit: quæcunque petieritis eſſe ſolvenda, erunt ſoluta, ſed quæcunque ſolveritis. Si ergo illa tantum dicuntur eſſe ſolvenda, quæ habens claves ſolverit, qui autem petit aliquid eſſe ſolvendum, non ſolvit; miror qua temeritate aliquis aſſerat eſſe ſolutum, quem habens claves non ſignificat ſe ſolvere, ſed ſolum rogat eſſe ſolvendum. Sicut autem temerarius eſt in ſolvendo, ſic vaniloquus in probando, dum frivola quædam pro ratione inducit, putaiqaandam Poſtillam ſuper Summam Raymundi, qui in abſolutione nullam verborum formam præſcriptam eſſe dicit, ſicut eſt in baptiſmo, & in Eucbariſtia, ubi deriſiorum in tanta re Poſtillam ſummæ pro auctoritate adducere. Sed ne Poſtillatori fiat injuria, dicamus, quod alia ratio eſt de abſolutione ab excommunicatione, quæ non eſt ſacramentalis, ſed magis judiciaria, juriſdictionem conſequens, & aliud de abſolutione a peccatis in Sacramento Pænitentiæ, quæ conſequitur poteſtatem Clavium, & eſt ſacramentalis; in illa enim verba eſfica-*

ficaciam habent ex inſtitutiene divina; ūnde tenenda ſunt verba determinata conſonantia divinæ inſtitutioni. Inſtitutioni autem dicentis: quodcunque ſolveritis &c., hæc verba conveniunt: ego abſolvo te: ac propterea tenenda ſunt. Additur autem ex eodem Angelico reſponſio ad Magiſtrum Sententiarum, & ad Guillelmum Pariſienſem, quam mox ſubjungimus.

Ad VIII. Sanctus Thomas citato opuſculo cap. 2. dicit, quod Magiſter Sententiarum, dato, quod tacuerit de forma indicativa, non aliam tamen expreſſit, nec formam indicativam expreſſe negavit. De aliis vero Scholaſticis ſubdit, quod vel non conſtat, quod formam indicativam expreſſe negaverint; vel ſi negaverint, non ſunt præferendi aliis Doctoribus, qui eodem tempore in Accademia Pariſienſi florebant, & formam indicativam admittebant; & denique quod quicunque Doctores ſunt poſtponendi verbis Chriſti, qui expreſſe dixit: quæcunque ſolveritis &c.. Hanc reponſionem verbis hiſce illuſtrat Fraſſen loco a nobis citato: Et ait meri"to non conſtare, quod ita ſenſerint: Guillelmus enim Pariſienſis vult tantum, Sacerdotem non abſolvere propria virtute, ſed divina; nam ibi quærit, quando certis in caſibus Pænitens uni tantum Sacerdoti non poteſt confiteri, cogiturque Confeſſionem apud duos Sacerdotes edere, ſeu partiri, quis ex illis gratiam ſanctificationis infundat; & ait, utrunque concurrere ad gratiam illam infundendam, quia Confeſſarius non abſolvit more forinſecorum Judicum, ſed magis orationem facit ſuper Pænitentem, ut Deus abſolutionem, & gratiam ſanctificationis tribuat, ac ſi diceret, eam gratiam a Deo produci, quem ideo ſua Sacerdos oratione rogat. Attamen officium ſanctificationis per abſolutionem, & benedictionem Sacerdoti tribuit; quo quidem officio vincula peccatorum diſrumpuntur, in cordibus Pænitentium maculæ aſperguntur, gratiæ infundūtur, ſed per divini nominis invocationem, ut ait cap. 21. Quod autem non negaverit, Sacerdotes habere facultatem remittendi peccata, ex delegata ſibi judiciaria authoritate, ipſemet docet capite 4. ubi ait. *Idcirco datas eſſe Sacerdotibus claves Eccleſiæ, ut eſſent, inquit, qui aperirent pulſantibus, & introducerent intrare volentes, & tanquam Officiales miſericordiæ ipſius, fugientes ad ipſam tota gratulatione, & applauſu reciperent reos, abſolverent peccata, remitterēt omnibus bonis gratiæ, & gloriæ, ſpoliatos a latronibus infernalibus reſtituerent, vulneratis ſpiritualiter & morbidos cæleſti medicina, ac virtute divina Sacramentorum medicamentis ſanarent*: Natalis Alexander de Guillelmo Pariſienſi hæc reſpondet: ſenſum Guillelmi Pariſienſis eſſe, quod non authoritate ſuprema, & abſoluta, ſed precaria, peccatorem abſolvant Sacerdotes; proindeque actui judiciali ſupplicationem præmittant. Secundo, diſcrimen intercedere inter forenſes Judices, & Confeſſarium, quod illi non abſolvant præſumptum reum, niſi ab hoc, aut illo crimine, de quo is ipſi intentata fuit; iſte vero Pænitentes ab omnibus peccatis abſolvant. Unde poſt verba in objectione laudata ſubdit. *Et nemo dubitat, quin poſſit, & debeat Confeſſor orare Patrem miſericordiarum, ut etiam remittat peccata, quæ nec ipſe Pænitens in ſe cognoſcit, & eidem Confeſſori recognoſcit. Unde in abſolutione confitentium non conſueverunt dicere Sacerdotes: dimittat tibi Deus peccata, quæ confeſſus es mihi, ſed potius omnia.* Certe Alexander Alenſis coævus aut ſupra Guillelmo Pariſienſi, meminit abſolutionis indicativæ, tanquam uſu Eccleſiæ perpetuo conſecratæ IV. P. Summæ queſtione XX. M. 1. *Sacerdos*, inquit, *per poteſtatem clavis mediator eſt Dei ad hominem, & hominis ad Deum: Unde per ipſum peccator aſcendit ad Deum; & ſic eſt Sacerdos os peccatoris, ſive loquens de peccatore, & per ipſum deſcendit Deus ad hominem, & ſic eſt Sacerdos os Dei, eo quod ſeparat pretioſum a vili. Secundum quod aſcendit, habet ſe per modum inferioris, & ſupplicantis; ſecundum quod deſcendit; per modum ſuperioris, & judicantis. Secundum primum modum poteſt gratiam impetrare, & ad hoc eſt idoneus: ſecundum alterum modum, poteſt Eccleſiæ reconciliari, & ideo ſignum ejus præmittitur in forma abſolutionis oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per modum indicativum.*"

Ad IX.

Ad IX. Dicitur, verum eſſe, quod quidam Provinciæ Franciæ Sacerdotes, & Confeſſarii, abſolutionis ſacramentalis formam immutabant; at nihilominus errabant; & inde fuit, quod ab Epiſcopis, & Doctoribus communiter fuit reprobata forma deprecatoria, quam illi uſurpabant; Epiſcopi autem, & Doctores non improbaſſent ſane formā deprecatoriam, ſi illa fuiſſet adhibita uſque ad ſeculum duodecimum, ut Adverſarius ſupponit. Nec exemplum paucorum facit, ut mutatio fuerit legitime inducta; quia potius denotat, paucorum illorum uſum fuiſſe abuſum potius, novitatem, ac corruptelam.

Ad X. Negatur, quod Græci ſemper uſi fuerint forma deprecativa, ut patet ex his, quæ in Diſſertationis initio præmiſimus. Ad præſens autem his formulis utuntur; *habeo te venia donatum: habeo te abſolutum*; vel aliud ſimile; quæ quidem omnia in græca phraſi æquivalent his: *veniam do, ignoſco, condono, indulgeo, remitto tibi peccata*. Et Arcudius ſubdit, quod Præſules aliquando, vel honoris, vel humilitatis gratia dicunt: mea mediocritas, mea humilitas, te abſolutum habet. Et hujus abſolutionis originem refert Arcudius ad Pacomium, Patriarcham Coſtantinopolitanum, ut narrat etiam Præſten, his verbis: *Noſtra mediocri-*
„ *tas habet te excommunicatum, ſeu ſepa-*
„ *ratum ab individua Trinitate in hoc, &*
„ *futuro ſeculo*; tum etiam ejuſdem
„ Arſenii, Monembaſiæ Epiſcopi, depo-
„ ſitio his verbis: *Te habeo depoſitum,*
„ *ſeu mea mediocritas habet te depoſitum,*
„ *& exutum omni Sacerdotio*; quod eſt,
„ deponit, & exuit. Quia vero quoſdam
„ Catholicis Latinis adverſantes ex-
„ communicaverat Arſenius, eos ab-
„ ſolvens ab excommunicatione Paco-
„ mius; *cunctos vero Horthodoxos, habe-*
„ *mus abſolutos, & benedictos*, id eſt ab-
„ ſolvimus, & benedicimus. Idem etiam
„ latine dicitur alicui ſeipſum excuſanti,
„ *Habeo te excuſatum*, id eſt, te excuſo.
„ Refertur etiam ab Arcudio quædam
„ abſolutio Michaelis. Antiocheni Pa-
„ triarchæ, ſuper confitentem ita con-
„ cepta; *Gratia, dono, poteſtate Sancti*
„ *Spiritus, quæ a Criſto data Apoſtolis li-*
„ *gandi, & ſolvendi peccata hominum,*
„ *cum ait, accipite &c., quæcunque alli-*
„ *gaveritis &c., & ad nos continua ſuceſ-*
„ *ſione tranſiit, mediocritas noſtra habet*
„ *venia donatum, ſpiritualem filium ſuum*
„ *Theodoſium, in quibuſcunque ipſe ut*
„ *homo deliquit, & in Deum verbo, ope-*
„ *re, cogitatione, omnibuſque ſuis ſenſi-*
„ *bus peccavit, & ſi excommunicatione,*
„ *vel imprecatione Pontificis, ſeu Sacer-*
„ *dotis, aut Patris, aut Matris ſuæ, ob-*
„ *noxius fuit, vel ſibi ipſi malum impreca-*
„ *tus, ſeu juſjurandum violavit, vel etiam*
„ *aliis quibuſdam erratis confixus eſt: &*
„ *hæc quidem ſpiritualibus Patribus con-*
„ *feſſus eſt, ab eiſque impoſitam ſibi Pæni-*
„ *tentiam diligenter perfecit, a reatu, ne-*
„ *xu, ligamine horum omnium omnipoten-*
„ *ti poteſtate, gratiaque Sancti & ado-*
„ *randi Spiritus, eum ſolvimus, & habe-*
„ *mus liberum, & venia donatum*.
„ Hanc abſolvendi formam Leopoli,
„ quæ Ruſſiæ Metropolis eſt, Petro, cui-
„ dam Archidiacono, conceſſam a Joa-
„ chimo, Patriarcha Antiocheno, qui
„ regiones illas peragraverat, ſe vidiſſe
„ teſtatur Arcudius; unde colligitur, ab
„ Antiochenis Antiſtitibus uſurpatam
„ antea fuiſſe formam abſolutionis in-
„ dicativam, & abſolutam, qua dicitur,
„ ſolvimus &c. Idem ait ab Hypario,
„ Metropolita Chioviensi, librum oſten-
„ ſum ſibi fuiſse Ruſsorum idiomate ma-
„ nuſcriptum, in quo ad calcem abſolu-
„ toriæ deprecationis hæc habetur for-
„ ma: *Ego Pater tuus ſpiritualis poteſtate*
„ *mihi a Deo, & a Superioribus meis con-*
„ *ceſſa, abſolvo te ab omnibus peccatis tuis.*
„ Gabrielis Philadelphenſis in libello de
„ Sacramentis hanc refert Pænitentiæ
„ formam: *Gratia Sanctiſſimi Spiritus per*
„ *meam humilitatem habet te venia dona-*
„ *tum, & abſolutum*. Igitur Græci
„ ab Eccleſiæ Latinæ praxi in hujus
„ Sacramenti forma, ſecundum for-
„ mam indicativam, non diſſentiunt.
„ Denique ad hanc eandem objectio-
„ nem, quam ſuſcitavit Morinus, ſic re-
„ ſpondet Hennus citatus. „ Mirum eſſe
„ uni Morino tantam fidem adhiberi,
„ cum Arcudius, natione græcus, ac in
„ hujuſmodi peritiſſimus referens li-
„ bro 4. *De Sacramementis capit.* 3.
„ varias Græcorum formas, ne unam
„ habeat, quæ non importet auctorita-
„ tem Sacerdotis judicialem, per hæc,
„ aut ſimilia verba: *Habeo te venia dona-*
„ *tum, habeo te abſolutum*; quæ idem ſo-
„ nant, teſte eodem Arcudio, ac *Ab-*
„ *ſolvo te*, eo quod voces, *donatum, abſo-*
„ *lutum &c.*, non importent tempus præ

teri-

" teritum, ſed præſens: ſicut *habeo te excuſatum*, ſignificat *excuſo te*. Imo refert, ſe vidiſse librum, Ruſsorum idiomate manuſcriptum, ubi hanc formam illi oſtendit Hyparius, Metropolita Chiovienſis, *Ego Pater tuus ſpiritualis ...... abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Fatetur quidem, in Euchologio Græcorum haberi formam in objectione allatam, ſed ea, ut ait, non utuntur peritiores Græci, ſed alia a Leone Allario, inter recentiores Græcos eruditiſſimo ſubminiſtrata, nempe: *Humilitas mea condonatum habet filium ſuum in omnibus &c.* Vide Fraſsen. tomo 4. parte 274. Jacobus autem Goar, teſte Gonet tom. 5., formis deprecatoriis ſubnectit has indicativas: *Ego vero indignus ejus ſervus abſolvo te a peccatis tuis*. Item: *Ego vero condono tibi omnia peccata tua*. Reſpondit ſecundo, quod in forma allata *abſolvo hunc* ſubintelligitur *pro me*, vel *per miniſterium meum* quaſi diceret: *abſolve Domine principaliter, quem poteſtate a te mihi conceſſa abſolvo miniſterialiter*; & hoc ſenſu venit intelligenda forma Ligarini a Morino citata; nempe, *remitte, dimitte, condona &c.*, cum *mera deprecatio*, ut ingenue fatetur Vanroy, *non ſit actus judicialis, neque ſententia efficax*, & ideo non eſt audiendus Juenius dicens hic §. 2.; *valet apud Græcos actus judicialis abſolutioni Sacramentali eſſentialis, licet verbis tantum deprecantibus exprimatur*, cum ſupponat falſum, niſi certe loquatur de verbis, quæ apparenter ſunt tantum deprecatoria, licet in re, & attentis circumſtantiis Tribunalis, & perſonæ, a qua, & in qua proferuntur, plus importent, quam deprecationem ".

Scimus, Jueninum in ſuo Commentario diſſert. 6. *de Pœnitent.* quæſt. 7. cap. 2. has poſuiſſe Concluſiones; nimirum primam, Græcos abſolutionem ſacramentalem, in qua quovis ſeculo agnoverunt actum judicialem, expreſſiſſe olim, & nunc etiam exprimere, verbis deprecantibus: Secundam, valere apud Græcos actum judicialem abſolutioni ſacramentali eſſentialem, licet verbis tantum deprecantibus exprimatur: Tertiam, omnes Eccleſias latinas non videri per modum indicativum quondam expreſſiſſe actum judicialem, qui includitur in abſolutione ſacramentali: quartam, actum judicialem, qui abſolutioni ſacramentali eſſentialis eſt in omnibus Latinorum Eccleſiis, deſinente ſeculo XIII., per ſolum modum indicativum, ſeu enunciativum, & quidem in prima perſona, expreſſum fuiſſe: quintam, multis ab hinc ſeculis non valere in Eccleſia latina abſolutionem verbis deprecantibus prolatam. At hæ omnes concluſiones a noſtra non recedunt, ſi debito modo explicentur, & advertatur, quod ſi quæ eſt diverſitas, in verbis tantum conſiſtit, non in rebus, quæ bene poſſunt componi cum Concluſione a nobis firmata. Quod clare patet ex iis etiam, quæ Clemens VIII. ſtatuit, & nobis Adverſarii opponunt, & nos mox explicabimus. Scilicet Clemens VIII. in inſtructione ſuper ritibus Græcorum, poſtquam dedit facultatem Græco abſolvendi Latinum in neceſſitate, ſed cum formula noſtra, ſubdit: *& poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt*; ex quibus inferunt Adverſarii: ergo Pontifex ſupponit, Græcos in forma tantum deprecatoria ſolitos eſſe abſolvere; quod tamen non reprehendit. At reſpondet Hennus citatus " implicite illam reprehendere, aut ad " minimum de illa dubitare, cum in- " jungit Græco, ut abſolvat cum forma " Latinorum. Præterea ſi velis, Pontifi- " cem illam habuiſſe ut validam, dice- " mus illam vocaſſe deprecatoriam, non " quia ſit mera deprecatio (alias non " eſſet actus judicialis), ſed quia vide- " tur ſonare meram deprecationem ".

Pro tertia, & quarta Diſſertationis parte, quæ inter ſe aliquem videntur ordinem continere, hæc præmittimus, primo ſcilicet, diverſas fuiſſe opiniones Theologorum de Schola, præcipue antiquiorum, circa abſolutionis virtutem, quas omnes his verbis recenſet Fraſsen citato loco quæſt. 5. " Notandum ſecundo, varia fuiſse, maxime " apud veteres Theologos, circa virtu- " tem abſolutionis placita. Primo nan- " que aliqui cum Hugone Victorino lib. " 1. *de Sacram.* part. 14. cap. 8., & Ri- " chardo item Victorino 1. part. libri " *de poteſtate ligandi, atque ſolvendi* cap. " 12. docuerunt, Sacerdotem abſolve- " re a pœna æterna debita peccato, poſt- " quam Deus ſolus ante Sacerdotis abſolu-

„ ſolutionem reatum culpæ remiſerat. „ Secundo, nonnulli cum Joanne Me- „ dina tract. 2. *de Pænitentia* quæſt. 38. „ dixerunt, per contritionem abſolvi „ homines a culpa, & a pæna æterna; „ non tamen ab exilio Patriæ cæleſtis, „ quam utique patriam, quia Sacerdos „ abſolvendo aperit, ideo dicitur habe- „ re claves Regni Cælorum. Tertio, do- „ cuerunt aliqui, maxime Nominales „ cum Ochamo, relato a Gabriele diſt. „ 18. quæſt. 1., homines abſolvi a culpa, „ & a pæna per abſolutionem Sacerdo- „ tis, non re ipſa ſuſceptam, ſed in vo- „ to; unde quando poſtmodum conce- „ ditur abſolutio, homo ſolvitur ab „ obligatione confitendi, ac ſubjiciendi „ peccata dimiſsa clavibus Eccleſiæ. „ Quarto, Alexander Alenſis, & Sera- „ phicus Doctor, docere videntur, po- „ teſtatem Sacerdotis non valere circa „ remiſſionem culpæ, aut pænæ æter- „ næ, ſed duntaxat circa remiſſionem „ pænæ temporalis, quæ aliquando di- „ citur abſolutio a peccato, juxta illud „ 2. Machab. cap. 12. *Sancta ergo & ſa- „ lubris eſt cogitatio pro Defunctis exora- „ re, ut a peccatis ſolvantur*: hoc eſt a „ pæna peccatis debita. Quinto, denique „ nonnulli docuerunt cum Magiſtro „ Sententiarum in 4. diſt. 18. Sacerdo- „ tem, quum profert illa verba: *ego te „ abſolvo*: ſolum ſignificare, quod de- „ claret, hominem abſolutum a pecca- „ tis per præviam contritionem. Con- „ tra quas omnes ſententias militan- „ dum erit in Concluſione prima. „.

Præmittimus ſecundo, etiã fuiſſe opinionem quorundam veterum Scholaſticorum, & eſſe pariter errorem Hæreticorum ultimorũ temporum, quod ſacramentalis abſolutio vere & proprie coram Deo peccata non dimittat, ſed declaret tantummodo ea tantum eſſe dimiſſa. At, ut videatur quo ſenſu veteres illi Theologi loquuti fuerint, & qua intentione Novatores loquebantur, congruum eſt, ut eorum dicta conferamus, & diſcrimen, ſi quod eſt, inter eorundem ſententias, manifeſtemus. Quod quidem non verbis noſtris, ſed moderni Auctoris, ſcilicet Tournely *de Sacramento Pænitentiæ*. quæſt. 2. art. 2., rectiori modo præſtare intendimus. Hæc igitur ſunt ejus verba.,,.

" Præcedenti affinis eſt iſta quæſtio, de " qua continuo ſpiritu hic agendum eſſe " duximus. Quippe ſi Eccleſia poteſta- " tem habeat dimittendi peccata per " verum & proprie dictum Pænitentiæ " Sacramentum, conſequens illud eſſe " videtur, ut decretorie peccata illa " dimittat, non vero declaret tantum " eſſe a Deo dimiſſa. Inde eſt quod No- " vatores Lutherani, & Calviniſtæ, prin- " cipium, ſeu fundamentum ipſum ne- " gantes, hoc eſt, Eccleſiam dimittere " peccata per verum Pænitentiæ Sacra- " mentum, conſequenter affirmant, Ec- " cleſiam hanc habere duntaxat facul- " tatem, ut declaret dimiſſa eſſe a Deo " peccata, non ut ea vere ac juridice " dimittat. Multi Scholæ Theologi, " ipſo præeunte Scholaſticorum Princi- " pe Magiſtro ſententiarum L. 4. diſt. " 18., docuere, ſacerdotalem abſolutio- " nem declarativam duntaxat eſſe pec- " cati a Deo jam dimiſſi. *Sacerdotibus*, " inquit Magiſter citato loco littera E, " *poteſtatem conceſſit Chriſtus ſolvendi, & " ligandi; id eſt, oſtendendi homines liga- " tos, vel ſolutos*. Et poſtea. *Hi ergo pec- " cata dimittunt, vel retinent, dum dimiſ- " ſa a Deo, vel retenta judicant & oſten- " dunt*. Magiſtrum ſequuti ſunt S. Bo- " naventura, Gabriel, Major, Alenſis, & " alii non pauci. Immerito tamen No- " vatores hac Scholaſticorum opinione, „ quaſi errori ſuo conſona foret, glo- " riantur, a quo multum ſane diſcrepat. " Novatores quippe idcirco docent, ab- " ſolutionem nudum eſſe miniſterium " declarandi, peccata eſſe dimiſſa, quia " illis, nec Pænitentia verum eſt Sacra- " mentum, nec confeſſio peccatorum " neceſſaria, nec abſolutio actus judicii, " qui coram Deo animam a peccatis " mundet, ſed ad unum pænitentis ſo- " latium, & cæterorum exemplum " duntaxat inſervit: ipſa denique ſol- " vendi, & ligandi poteſtas a Chriſto Ec- " cleſiæ conceſſa in ſententia Novato- " rum, poſita eſt ſolummodo vel in præ- " dicationeEvangelii, vel in imponendis, " aut relaxandis pænis exterioribus. " At ab his erroribus longe abſunt Scho- " læ Doctores, qui omnes votis conſpi- " rantibus docent, Pænitentiam verum " eſſe & proprie dictum Sacramentum; " Confeſſionem ſacramentalem plane " neceſſariam eſſe; abſolutionem Sacer- " dotis eſſe actum judicii; poteſtatem " denique ſolvendi, & ligandi non exte- " rius tantum, ſed intus operari. Longe " itaque diſpari ac diverſa ratione ad " hanc opinionem ducti ſunt Scholaſti-

ci, & Novatores: iſti ex erroneo principio, illi ex certa quadam Scholæ opinione. Scilicet in ea verſabantur illi opinione, contritionem ex charitate perfecta neceſſario prærequiri in Pœnitente, ut a Sacerdote valide poſſit abſolvi; ex quo ſequitur, Pænitentem jam juſtificatum eſse per contritionem perfectam, quũ ad Sacerdotem abſolvendus accedit, adeoque non alias Sacerdotis eſse partes, quam ut juridice declaret, peccata eſse a Deo dimiſsa. *Nema quippe vere compungitur de peccato*, ait Magiſter ibidem littera D, *habens cor contritum & humiliatum, niſi in charitate: qui autem charitatem habet, dignus eſt vita æterna*: Cum vero ea Scholæ opinin, quæ charitatem perfectam prærequirit ad abſolutionem, damnata non fuerit a Concilio Tridentino, nec conſequenter damnata cenſeri debet altera, quæ ex iſta naſcitur, abſolutionem ſcilicet declarativam eſse remiſſionis peccatorum jam a Deo conceſſæ in ſenſu expoſito. Ita de ſententia Magiſtri, & aliorum Scholaſticorum ſenſit Andreas Vega, qui Concilin Tridentino interfuit Libro 13. in decreto hujus Concilii de juſtificatione cap.33. *Exiſtimandum non eſt*, inquit, *eos cum illis* (Novatoribus) *ſenſiſſe, qui abſolutionem Sacerdotum inanem credunt. Nam & ad augumentum gratiæ, & ad remiſſionem pænæ debitæ pro peccatis omnibus, rite ſua peccata confeſſis utilem eam eſſe tradiderunt; & hac ratione tueri eos poſſumus, ne videantur adverſari definitionibus Eccleſiæ*. Inde eſt quod & Dominicus Soto in 4. diſt. 20. quæſt.2. & Salmeron tom.11. tractatu 18., qui eidem Concilio adfuere, eam opinionem refellunt quidem, verum a Concilio damnatam nuſquam affirmant; & Pallavicinus L.12. Hiſt.Conc. Trid.c.12. ait, *Concilium eorum tantum errorem damnaviſſe, qui dicebant, abſolutionem eſſe nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata*. Aliunde vero ſæpius inculcat idem Hiſtoricus, ſolemne fuiſse Patribus Tridentinis, opiniones Scholæ utrimque diſputatas, illæſas relinquere. Adde quod multi graveſque Theologi, quos appellat Launojus *diſſertat. de mente Concilii Tridentini circa contritionem & attritionem*, parte 2. cap.2., & 3., Magiſtri ſententiam, circa neceſſitatem charitatis perfectæ præviç ad abſolutionem ſacramentalem, propugnaverint etiam poſt Concilium Tridentinum; quam haud dubie non propugnaſsent, ſi vel damnata illa fuiſſet, vel ſi ex ea ſequeretur nexu neceſſario, & abſolutionem mere declaratoriam eſse peccati jam condonati, adeoque otioſam & inanem: quas conſecutiones nunquam admiſere, imo expreſse rejecerunt, qui Magiſtri ſententiam amplexi ſunt; neque æquitas patitur, ut conſecutiones illæ, quas rejiciunt, ipſis imputentur, quam qui ex eorum ſententia directe fluere nobis videantur. Non itaque vinlatæ fidei, ſed ratiocinii non ſatis directi & accurati argui illi poſsunt. Opinionem Magiſtri, & aliorum nonnullorum Theologorum, multi benigne Interpretantur, & excuſant. Sunt tamen non pauci, qui quanquam fateantur, opinionem hanc differre ab errore Wicleſi, & aliorum Novatorum, eam tamen erroneam appellare non dubitant, & a Concilio Tridentino proſcriptam, qua parte ſcilicet affirmat, abſolutionem Sacerdotis non remittere culpam, ſed declarare a Deo remiſſam. Ita Vaſquez quæſt. 84. de Pænitentia dubio 2., Suares in 3. part. diſputatione 19. ſeſſione 2., Eſtius in 4. diſt.18. paragraph. 3. & alii pene multi recentiores, quibus ſuffragari videtur ſacra Facultas Pariſienſis in Cenſura, qua anno 1638. die 1. Julii notavit doctrinam Libri de Virginitate, Auctore Patre Seguennrio, Oratoriano Presbytero. Cenſuræ verba paulo poſt referemus. His de ſententia Magiſtri hiſtorice præmiſſis, comunis Theologorum doctrina probanda, & confirmanda nobis ſupereſt.

Præmittimus tertio, Michaelem Bayũ has propoſitiones docuiſse inter ſeptuaginta, quas ſcripſit, & publicavit; nimirum: in peccato duo ſunt, actus, & reatus, tranſeunte autem actu, nihil remanet, niſi reatus, ſeu obligatio ad pænam; & hæc eſt quinquageſima ſexta. Inſuper addebat; unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, propria reatus peccati duntaxat obligatio tollitur; & hæc eſt propoſitio quinquageſima ſeptima, cui concordat propoſitio 58. Igitur Bayus aſſerebat, poſt actum

pec-

peccati tantum remanere obligatio-
nem ad pænam ; & per conſequens
docebat quoque , per abſolutionem
ſolam pænam remitti , non vero cul-
pam .

Dicimus III. Abſolutionem Sacramen-
talem vere & proprie dimittere pec-
cata coram Deo ; non vero declarare
tantum eſſe dimiſſa : Inſuper remitte-
re culpam , ſeu reatum culpæ , non
vero tantum pænam peccatis debitam,
ſive æternam,ſive temporalem ,

Prima Concluſionis pars primo proba-
tur ex Scripturis . Matthei 16. *Et tibi
dabo claves Regni cælorum . Et quod-
cumque ligaveris ſuper terram , erit li-
gatum & in Cœlis ; & quodcunque
ſolveris ſuper terram , erit ſolutum & in
Cælis* . Claves autem non inſerviunt ,
ut oſtendatur oſtium eſſe apertum , ſed
ut reipſa oſtium aperiatur . Inſuper
Matthæi 18. *Amen dico vobis , quæcun-
que alligaveritis ſuper terram , erunt li-
gata & in Cælo : & quæcunque ſol-
veritis ſuper terram erunt ſoluta & in
Cælo* . Quibus verbis ſicut ligare non
eſt declarare, aliquem eſſe ligatum ,
ſed reipſa ligare ; ita pariter ſolvere
non eſt declarare, aliquem eſſe ſolu-
tum , ſed reipſa ſolvere . Unde Eſtius
„ in 4. diſtinctione 18. §.3. hæc habet .
„ In verbis Domini apud Matth. ligare
„ non eſt idem quod annunciare , vel
„ oſtendere ligatum , ſed plus aliquid
„ ſignificat : ergo ſolvere ſimiliter .
„ Conſequentia patet a pari . Probatur
„ autem antecedens ex ipſo loco Matth.
„ 18. Nam qui juxta præceptum Domi-
„ ni monet , & corripit fratrem ſuper
„ aliquo delicto , declarat quidem ei ,
„ quod ſit vinculo peccati obſtrictus ;
„ itque eo magis , ſi & ſecundam , &
„ tertiam adhibeat correptionem , qui
„ tamen nudum eum ligare cenſetur ;
„ ſed tum demum ille ligatur , quando
„ Eccleſia per ſententiam pronunciat,
„ eum habendum tanquam Ethnicum
„ & publicanum . Unde mox ſubjungi-
„ tur : *Amen dico vobis; quæcunque alliga-
„ veritis &c.* Igitur ligare longe aliud
„ eſt , quam ligatum oſtendere . Deni-
que Joannis 20. *Accipite Spiritum
Sanctum , quorum remiſeritis peccata ,
remiſſa ſunt ; & quorum retinueritis, re-
tenta ſunt* . Non dixit Chriſtus , quo-
rum declaraveritis remiſſa peccata ,
vel retenta , erunt remiſſa , vel reten-
ta ; ſed quorum remiſeritis , vel reti-
nueritis ; quæ ſane verba indicant ve-
ram , & juridicam poteſtatem . Unde
ex eodem Eſtio citatus Tournely hæc
deducit . Sic eſſe verba Chriſti ſenſu
„ proprio & naturali intelligenda , ſua-
„ dent invictè hæc momenta . I. Quia
„ teſtatur Chriſtus , ſe eam Apoſtolis
„ conferre auctoritatem , quam ipſe a
„ Patre acceperat : *Sicut miſit me Pater,
„ & ego mitto vos* , inquit . At Chriſtus
„ vere & proprie peccata remittebat ,
„ non declarabat duntaxat eſſe remiſſa.
„ II. Ipſi Phariſæi cum audirent Chriſtum
„ dicentem Paralytico : *Remittuntur ti-
„ bi peccata tua* : ſtatim ex verbi hujus
„ *remittuntur* , ſignificatione obvia &
„ naturali , intellexerunt Chriſtum ſibi
„ arrogare auctoritatẽ vere dimittendi
„ peccata ; atque inde eorum querimo-
„ nia & expoſtulario apud S. Lucam ca-
„ pite 5. v.21. *Quis eſt hic* (dicebant) *qui
„ loquitur blaſphemias ? Quis poteſt dimit-
„ tere peccatar , niſi ſolus Deus ?* De ſola
„ declaratione remiſſi peccati a Chriſto
„ facta conqueri illi, & obmurmurare
„ non potuiſſent , quum olim a Propheta
„ Nathan talem Davidi declarationem
„ factam fuiſſe non ignorarent ; eorum
„ igitur ſcandalum & obmurmuratio lo-
„ cum , & occaſionem habuit ex nativa
„ & omnibus cognita verbi hujus , *re-
„ mittere* , ſignificatione ; quæ, quum de
„ peccatis agitur , indicat veram pro-
„ priam & declaratoriam peccatorum
„ remittendorum auctoritatem ; quam
„ ſignificationem tantum abeſt,ut cor-
„ rexerit Chriſtus , quinimo potius con-
„ firmavit , reſtituta per miraculum Pa-
„ ralytico ſanitate . *Quid eſt facilius* , in-
„ quit , v. 23. *dicere dimittuntur peccata
„ tua , an dicere ; Surge , & ambula ?*
„ III. Si liceat Lutheranis , & Calvi-
„ niſtis , verba hæc , *remittere peccata* ,
„ ſic interpretari , *declarare eſſe dimiſſa* ;
„ quidni pariter licitum erit Socinianis ,
„ (quos tamen illi refellere omni ſtu-
„ dio nituntur , ſed quibus ſua licentia
„ vel inviti arma ſubminiſtrabunt) Lu-
„ theranis , & Calviniſtis Chriſti divini-
„ tatem probantibus ex eo , quod pec-
„ cata remittat , reſpondere verbum, *re-
„ mittere*, ſimplicem in Chriſto deſigna-
„ re poteſtatem declarandi peccata eſ-
„ ſe a Deo remiſſa ; quemadmodum ipſi
„ Lutherani , & Calviniſtæ Catholicis
„ hoc ipſum verbum in præſenti argu-
„ mento urgentibus , reſpondent ? Vi-
„ detur ex utraque parte par licentia ,

,, aut potius par impietas & temeritas.
,, IV. Quia teſtatur Chriſtus, eo ipſomo-
,, do dimittenda peccata eſſe in Cælis,
,, quo remittuntur in terris: at in Cælis
,, non tantum declarantur eſſe remiſſa,
,, ſed vere & proprie remiſſa haben-
,, tur.,,.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus in Sermone de Transfiguratione Domini: *Nec in ligandis, aut ſolvendis quorumcunque cauſis aliud ratum eſſet in Cælo, quam quod Petri ſediſſet arbitrio*. Et Epiſt. 82. *Huic operi inceſſabiliter ipſe Salvator intervenit, nec unquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit*. S. Pius V., Gregorius XIII., & Urbanus VIII. damnarunt hanc Baji propoſitionem. *Peccator pænitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed a ſolo Deo, qui Pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus ſolvitur.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Coſtantienſe damnavit inter alias Hæreſes Joannis Wiclefi, & Joannis Hus, hanc quoque; *quod Sacerdos non poſſit peccatorem confeſſum, & contritum abſolvere. Quod malus Sacerdos vere non abſolvat, nec conferat alia Sacramenta*. Proinde Martinus V. præcepit in ſua Bulla, ut qui de prædictorum Hæreticorum erroribus ſuſpecti eſſent, interrogarentur, an credant, *quod Sacerdos poſſit peccaterem confeſſum, & contritum abſolvere*. Et denuo: *utrum credant, quod malus Sacerdos vere abſolvat, & vere conferat alia Sacramenta*. Concilium Florentinum definivit: quod ſicut per baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur, ita per pænitentiæ Sacramentum ſpiritualiter ſanamur: atque *hujus Sacramenti effectum*, ait eſſe *abſolutionem a peccatis*. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus, fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit; & Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam hæreticos, exploſit, atque condemnavit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Evangelium annunciandi, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem, falſo detorquent*. Et cap. 6. *Quamvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo, velut a judice, ſententia pronunciatur. Atque ideo non debet Pænitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut, etiam ſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdotis animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit, putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, vere & coram Deo eſſe abſolutum. Nec enim fides ſine pænitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret; nec is eſset, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium, ſerio agentem ſedulo requireret* Et Can. 9. *Si quis dixerit, Abſolutionem ſacramentalem non eſse actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſsa eſse peccata Confitenti, modo tantum credat ſe eſse abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolvat, aut dixerit, non requiri Confeſſionem Pænitentis, ut Sacerdos eum abſolvere poſſit: anathema ſit*. Ad quæ addit citatus Tournely ,,. Capite vero quarto
" videtur, Concilium omnino evertere
" fundamentum opinionis Magiſtri, &
" aliorũ nonnullorum Scholaſticorum:
" ait quippe; *contigere aliquando contri-*
" *tionem eſse charitate perfectam, eamque*
" *Deo hominem reconciliare, prius quam*
" *Sacramentum pænitentiæ actu percipiat*:
" quæ particula *aliquando* aperte inſi-
" nuat, contritionem perfectam non
" eſſe ordinariam diſpoſitionem neceſſa-
" rio requiſitam ad Sacramentum Pæni-
" tentiæ, ut oportet, percipiendum,
" adeoque neceſſe non eſſe, hominem
" prius juſtum eſſe, ac Deo per charita-
" tem perfectam reconciliatum, quam
" ſe clavibus Eccleſiæ ſubjiciat; ex quo
" directe ſequitur adverſus Magiſtrum,

ejuſ-

Digitized by Google

" ejuſque ſequaces, abſolutionem non
" declarare peccata jam dimiſſa, ſed re
" ipſa ea dimittere. His accedit ſacra
" Facultas Pariſienſis, quæ die 1. Julii
" anno 1738. cenſura ſua confixit librum
" Patris Seguenotii, Præſbyteri Orato-
" riani, *de Virginitate*, in quo contritionis
" ex charitate perfecta tantam eſſe ne-
" ceſſitatem in Sacramento Pænitentiæ
" ille contendebat, ut abſolutio Sacra-
" mentalis nihil aliud eſſet, quam juri-
" dica peccati jam condonati declara-
" tio: *quæ tradit auctor*, ait Cenſura,
" *de attritionis inſufficientia, & contri-*
" *tionis ex perfecta charitate abſoluta ne-*
" *ceſſitate ad recipiendum ſacramentum*
" *Pænitentiæ, et quæ addit & approbat*
" *de abſolutione, quod nihil aliud ſit, quam*
" *declaratio juridica peccati jam remiſſi;*
" *damnavit quoque Facultas, & cenſuit*
" *has propoſitiones eſſe quietis animarum*
" *perturbativas, communi & omnino tu-*
" *tæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ*
" *Sacramenti Pænitentiæ imminutivas, &*
" *inſuper temerarias & erroneas*.".

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Chryſoſtomus homil. 5. *in verba Iſaiæ*, & lib. 3. *de Sacerdotio* cap. 4. *Noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ nævos, non dico purgatos probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt*. Athanaſius explicans illud Evangelii: *profecti in Pagum, invenietis pullum alligatum*; addit: *Si nondum ſoluta ſunt vincula tua, trade te ipſum Diſcipulis Jeſu. Adſunt enim qui nos ſolvant, accepta ea a Salvatore poteſtate, quodcunque ligaveritis ſuper terram &c.* Eadem habent Origenes homil. 1. & 2. in Pſal. 37. & homil 2. in Leviticum; Nazianzenus orat. ad Imperatorem & Principes ejus; Cyrillus lib. 12. in Joannem cap. 56. Theophylactus in Joannem 20. & & in epiſt. ad Hebræos cap. 10. Cæterum de ſolo Chryſoſtomo hæc obſervat & exponit Eſtius citato loco. ".
" Probant id præter loca Patrum ſupe-
" rioribus argumentis citata, primum
" Chryſoſtomi libri tres de Sacerdotio,
" ubi ſubinde inculcat, Sacerdotes pec-
" cata remittere. Quod quam proprie
" dictum velit intelligi, patet ex cap. 5.
" lib. 3. ubi quum dixiſſet, hanc poteſta-
" tem neque Angelis, neque Archan-
" gelis datam, tantam eſſe, ut quæcun-
" que inferne Sacerdotes confecerint,
" illa eadem Deus ſuperne rata ha-
" beat, ac ſervorum ſententiam Domi-
" nus confirmet, mox citatis Domini
" verbis Joannis 20. ita ſubjungit. *Quæ-*
" *nam, obſecro, poteſtas hac una major*
" *eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſta-*
" *tem dedit, cæterum video, ipſam eam-*
" *dem omnifariam poteſtatem a filio illis*
" *traditam*. Et paulo poſt. *Corporis le-*
" *pram purgare, ſeu, ut verius dicam,*
" *haud purgare quidem, ſed purgatos pro-*
" *bare, Judæorum Sacerdotibus ſolis liceat.*
" *At vero noſtris Sacerdotibus non corpo-*
" *ris lepram, verum animæ ſordes, non dico*
" *purgatas probare, ſed purgare prorſus*
" *conceſſum eſt*. Alius eſt apud eum lo-
" cus in epiſt. ad Hebr. 50.. ".

V. Probatur ex Patribus Latinis. Ambroſius lib. 1. *de Pænitentia* cap. 2. exponens hæc verba: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*, ait: *Jus hoc permiſſum ſolis Sacerdotibus eſt; recte igitur hoc Eccleſia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet; hæreſis vindicare non poteſt, quæ veros Sacerdotes non habet*. Et lib. 2. cap. 2. *Impoſſibile videbatur per pænitentiam peccata dimitti, conceſſit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotum officia tranſmiſſum eſt; factum eſt igitur poſſibile, quod impoſſibile videbatur*. Hilarius in caput 16. Matth. *O beatus Cæli Ianitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cælo, ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cælo*. Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. *Nec enim juſſerat Eccleſiam pulſantibus claudi, quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, & in Cælis ligata eſſent; ſolvi autem poſſint illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur*. Pacianus epiſt. 1. ad Sympronianum. *Quod per Sacerdotes ſuos facit Chriſtus, ſua poteſtas eſt*: Et epiſt. 3. *Quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini: Dei enim adjutores ſumus*. S. Eligius hom. 4. *Quos Chriſtus inviſibiliter abſolvendo dignos ſua reconciliatione judicat, nos viſibiliter reconciliando per officium noſtri miniſterii abſolvimus*. Bernardus ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli; *ſententia Petri præcedit ſententiam Cæli*.

VI. Probatur ex antiquioribus & celebrioribus Scholaſticis. Hugo Victorinus lib. 2. *de Sacram.* parte 14. cap. 8. ex profeſſo rejicit eum ſenſum, quem tradit Magiſter, nempe, quod ſolvere

non

non ſit aliud, quam ſolutum oſtendere; teſtatur Eſtius citato loco. S. Thomas eandem aſſerit atque defendit doctrinam, ut non ſemel diximus. Scotus in 4. diſt. 19. „. Si Sacramentum Pænitentiæ revera non remitteret culpam, aperte ſequeretur, quod non eſſet Sacramentum novæ legis, neque aliqua cauſalitas, vel diſpoſitio cauſalis ad primam gratiam, quia nunquam digne ſuſciperetur, niſi ab habente jam primam gratiam, nullus enim attenditur digne ſolutus a Deo, niſi prius ſit ſolutus . . . . Suſceptio iſtius Sacramenti eſt inſtrumentum ad gratiam, hoc eſt diſpoſitio efficax neceſſaria ex ſtatuto divino ad gratiæ ſuſceptionem; inſtrumentum autem, vel diſpoſitio prævia, non eſt ſignum rememorativum, ſive oſtenſivum alicujus, ut jam præteriti, ſed futuri: ergo collatio Sacramenti Pænitentiæ ad hoc, ut fiat digne, non oportet, ut ſit ſignum abſolutionis divinæ præcedentis. „. Suarez diſp. 18. ſect. 2. membro 3. contrarias ſententias vocat erroneas, quia doctrinæ Concilii Tridentini ſunt oppoſitæ.

VII. Probatur Rationibus I. Si quis miniſtrando pænitentiæ Sacramentum diceret pro forma: *ego te abſolutum declaro*: & non diceret: *ego te abſolvo*: Sacramentum nullum eſſet: ergo apertiſſimum eſt ſignum, quod ſenſus verborum formæ Sacramenti pænitentiæ non eſt declarare, pænitentem eſſe abſolutum, ſed eſt ipſum revera *abſolvere*. II. Effectus Sacramenti Pænitentiæ ſecundum Concilium Florentinum eſt abſolvere a peccatis, & ſecundum Concilium Tridentinum eſt reconciliare peccatorem cum Deo: ergo non eſt declarare, vel pænitentem eſſe abſolutum, vel eſſe cum Deo reconciliatum. III. Abſolutio ſacramentalis debet præcedere in terris abſolutionem, quæ fit in Cælis; ſed ſi Confeſſarius declararet, præcederet illa, quæ fit in Cælis; ergo &c. Major conſtat ex verbis Chriſti: non enim Chriſtus dixit: *quæ ſoluta ſunt in Cælis, ſolvetis ſuper terram*, ſed *quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo*. IV. Sacerdos per abſolutionem aperit peccatori pænitenti Cælum; ſed ſi declararet, non aperiret, at tantum apertum oſtenderet: ergo &c. V. Apoſtoli revera ſolverunt Lazarum ligatum, non vero ſolutum oſtenderunt; ſed nomine Lazari ligati intelliguntur peccatores pænitentes, quos Sacerdotes in Sacramento Pænitentiæ ſolvunt: ergo &c. Et quidem argumentum fundatur in pluribus locis Auguſtini: nimirum Tract. 2. & 49. in Joannem, ſerm. 8. 44. 52. de verbis Domini, homil. 27. inter quinquaginta, & in Pſal. 101. Concione 2. & apud eundẽ in Auctore libri *de vera & falſa Pænitentia*, qui ſub ipſius nomine ſe occultat cap. 10.

Objiciunt I. Ille ſolus peccatorum vincula ſolvit, qui animam interius per ſe vivificat; atqui hic eſt ſolus Deus, & non Pænitentiæ miniſter: ergo ſolus Deus præmiſſa peccatoris contritione ſolvit. II. Iſaiæ 43. dicit Deus: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas*: Item Lucæ 20. *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus*? III. Solus Deus habet poteſtatem ut animam attingat: ergo ſolus Deus habet poteſtatem, ut animam ſolvat. IV. Verbum *remittere* aliquando in Scripturis ſignificat meram declarationem peccati dimiſſi: Chriſtus enim Lucæ 7. v. 48. dixit Magdalenæ: *remittuntur tibi peccata tua*; & antecedenter dixerat v. 47. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. V. Leproſus prius fuit a Chriſto mundatus, & deinde miſſus ad Sacerdotem, ut eum mundatum declararet. VI. Lazarus prius fuit a Chriſto ſuſcitatus, & deinde traditus Apoſtolis, ut eum ſolverent: unde Auguſtinus ſerm. 67. de verbis Evangelii: *quis eum ſuſcitavit, niſi qui remoto lapide clamavit, dicens: Lazare prodi foras? Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat foras prodere? Qui confitetur, foras prodit, foras prodere non poſſet, niſi viveret, vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet*. Gregorius Magnus hom. 26. In Evang. *Tunc vera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit dicens: Lazare veni foras, & poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat a Diſcipulis eſt ſolutus . . . . . Ecce illum Diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum*. VII. Quando Sacerdos retinet peccata, ſolummodo declarat peccata eſſe retenta: er-

ta: ergo pariter quando remittit. VIII. Patres ad verba illa Matth. 9. *quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Contrariam ſententiam aperte docent: ſcilicet Auguſtinus hom. 23. ex 50. *Nemo tollit peccatum, niſi ſolus Deus, qui eſt Agnus tollens peccata mundi; tollit autem, & dimittendo quæ facta ſunt, & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non poſſunt* Cyprianus Tract. de Lapſis. *Solus Dominus miſereri poteſt; veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri*. Hieronymus Comment. in cap. 16. S. Matth. ad illa verba: *tibi dabo claves regni Cælorum*, ſic loquitur: *Locum iſtum Epiſcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cum apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leproſis, ubi jubentur, ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant; non quod Sacerdotes leproſos faciant, & immundos, ſed quod habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere, qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit, ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audiverit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus*. Ambroſius lib. *de Spiritu Sancto* cap. 18. *Per Spiritum Sanctum peccata donantur; homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent*. Chryſoſtomus hom. 15. in cap. 5. Matth. *Liberore a putredine peccatorum, Chriſti profecto virtutis eſt; ut autem non ad illa iterum revertantur, Apoſtolorum curæ eſt, ac laboris*. Auguſtinus ſerm. 99. ex hom. 50. reprehendens eos, qui arroganter dicunt: *ego dimitto, ego mundo, ego ſantifico*. Reſpondet ad illa: *non ego, ſed Chriſtus*. IX. Pænitens aliquando recipit abſolutionem a Miniſtro, at a peccatis non ſolvitur; ſed hoc non evenit, quia miniſter poteſtatem non habet: ergo evenit, quia pænitens non habet contritionem: ergo contritio Pænitentis eſt, quæ illum a peccatis ſolvit, non vero miniſtri abſolutio. X. Pænitens, vel habet veram contritionem, vel non habet? Si non habet: ergo neque per abſolutionem ſacerdotalem a peccatis liberatur: ſi habet; ergo per hanc ſolam liberatur, abſque ſacerdotalis abſolutionis neceſſitate.

Reſpondemus ad I. quod vivificatio animæ duplex eſt, alia per converſionem ad Deum, quæ præcedit, & alia per peccati remiſſionem, quæ ſubſequitur. Primam ſolus Deus operatur, gratiæ ſuæ efficacis impulſu, abſque Sacramentis; alteram vero operatur Deus per miniſterium hominis, qui Sacramenta miniſtrat.

Ad II. dicitur, quod ſolus Deus poteſt condonare, & delere peccata, ſcilicet poteſtate propria, & primaria; Miniſtri vero ipſius peccata condonant, & delent, poteſtate miniſteriali, ut dictum eſt ſæpius a nobis.

Ad III. Quanvis ſolus Deus actione ſua immediata & directa, & quæ nullis ſenſibilibus ſignis alligatur, animam attingat; attamen hoc non inducit, quod attingat cum excluſione actionis, & Sacramenti, & Miniſtri Sacramentum conferentis. Eadem enim eſt actio, qua Sacramentum producit gratiam, ut inſtrumentum a Chriſto inſtitutum, & qua Miniſter pariter producit, ut cauſſa conficiens, & conferens Sacramentum.

Ad IV. In utroque verſu verbum *remittere* habet veram & propriam peccatorum remiſſionem, quia utrobique in vera, propria, & nativa ſignificatione uſurpatur. Et quanvis concedatur, quod aliquando verbum remittere importet peccati dimiſſi declarationem; attamen in locis citatis non eſt ita, quia in utroque importat peccati remiſſionem, & Magdalenæ dictam, & Simoni enunciatam. Cæterum in Scripturis plura ſunt exempla, quibus idem verbum aliquando in uno ſenſu accipitur, proprio ſcilicet, nativo, & vero, aliquando vero ſumitur in ſenſu improprio, & translato.

Ad V. Non fuit miſſus Leproſus ad Sacerdotem, ut mundatus declararetur, ſed ut mundatus illi oſtenderetur, quia jam ſcilicet fuerat a Chriſto mundatus; & ideo non oportebat, ut eum denuo Sacerdos mundaret. At nulli pænitenti Chriſtus dicit, ut Leproſo dixit: *volo; mundare*; ac proinde, quum Pænitens a Chriſto non abſol-

abſolvatur, opus eſt, ut eum Sacerdos abſolvat.

Ad VI. Ex ipſo Auguſtino objectioni reſpondemus. Ipſe enim, quum prius dixiſſet, *Quid prodeſt Eccleſia, ſi jam Confeſſor voce dominica reſuſcitatus prodit?* Reſpōdit: *Quid prodeſt Eccleſia Confitenti, cui Dominus ait, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo? Ipſum Lazarum attende; cum vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus; quid ergo facit Eccleſia, cui dictum eſt: quæ ſolveritis &c., niſi quod ait Dominus continuo ad Diſcipulos, ſolvite illum, & ſinite abire.* Et Concione 2. *in Pſal.* 101. *Remiſſio peccatorum ſolutio eſt; Quid prodeſſet Lazaro, quia receſſit a monumento, niſi diceretur, ſolvite illum, & ſinite abire? Ipſe quidem voce de ſepulcro ſuſcitavit, ipſe clamando animam reddidit, ipſe terrenam molem ſepulcro impoſitam vicit, & proceſſit ille vinctus: non ergo pedibus propriis, ſed virtute producentis. Fit hoc in corde pænitentis; cum audis hominem pænitere peccatorum ſuorum, jam revixit; cum audis, hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulcro eductus eſt, ſed nondum ſolutus. Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis in terra, inquit, erunt ſoluta & in Cælo; merito per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, ſuſcitari autem mortuus, nonniſi intus clamante Domino poteſt; hæc enim Dominus interius agit.* Pariter Gregorius Magnus ſic ſe explicat. *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pænitentia ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat.*

Ad VII. Negatur major, & ratio eſt, quia poteſtas ligandi dupliciter exercetur, & quatenus Sacerdos negat abſolutionem, & ſic retinet peccata; & quatenus Sacerdos obligat ad ſatisfactionem, & ſic ligat pænitentem. In utroque modo Sacerdos non declarat, hominem eſſe ligatum, ſed vere ligat; quatenus ſcilicet vel illum obligat ad habendas meliores diſpoſitiones, ut ſacramentalem abſolutionem recipiat, vel ad adimplendas ſatisfactiones præſcriptas, ut Sacramenti fructum percipere valeat.

Ad VIII. dicitur, quod Patres intelligendi ſunt, quod Deus ſolus dimittere poteſt peccata auctoritate propria & principali; Sacerdotes dimittunt auctoritate delegata & miniſteriali. Eodem pacto Pſal. 71. dicitur *Deus facit mirabilia magna ſolus*, & Eccleſiaſt. 31. de homine probo dicitur, *qui fecit mirabilia in vita ſua*; unde dicit Scotus num. 24. *Facit, ſed non facit niſi instrumentaliter, non quidem attingendo cum effectu, nec virtute propria, nec alterius, ſed attingendo aliquid prius, quod eſt diſpoſitio neceſſitans ad illum effectum; neceſſitans, inquam, ex divina pactione; & tale agens cauſans diſpoſitionem neceſſariam ad terminum dicitur agens instrumentale, ut eſt de alterante, & generante. Proprium autem eſt Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum etiam attingendi illum effectum (phyſice); horum autem neutrum convenit Sacerdoti.* Cæterum Auguſtinus verbis illis reprehendit Donatiſtarum temeritatem, qui putabant, Sacramentorum efficaciam pendere a Miniſtri fide, & probitate. Hieronymus intelligitur de Sacerdotum arrogantia, qui ligandi & ſolvendi poteſtate abutebantur, illam præbentes ad arbitrium, & nullam facientes conſiderationem vel meriti, vel demeriti Pænitentium, vel præviarum diſpoſitionum eorundem. Ambroſius docet, quod ſolus Spiritus Sanctus, tanquam prima cauſa & independens, peccata dimittat; ac proinde concludit, ob hoc ipſum Spiritum Sanctum eſſe Deum, quod a ſe erat probandum. Chryſoſtomus denique non loquitur de poteſtate, quam habebant Apoſtoli in Sacramento Pænitentiæ, ſed de illa, quam exercebant extra Sacramentum, per prædicationem ſcilicet, per vitæ exemplaritatem, per miracula &c., non autem per ſacramentalem abſolutionem.

Ad IX. Illud, quod in objectione dicitur, evenit aliquando per accidens, & ex parte ſubjecti, non autem ex ſe, & defectu virtutis in Sacramento. Et hoc patet, tum in Pænitentia, tum in Baptiſmo, quia forma Pænitentiæ, & forma Baptiſmi non exprimunt neceſſario effectum, quaſi actu poſitum, ſed ſolum important virtutem, & efficaciam ad illum ponendum, ſi in recipiente Sacramentum diſpoſitiones idoneæ inveniantur.

Ad X. Primo dicitur, quod abſolutio ſacra-

ſacramentalis etiam dimittit peccata illius; qui imperfectam habet contritionem, ex amore Dei ſaltem inchoato, & initiali, & ſic ad Pœnitentiæ tribunal accedit. Secundo ſubjungitur, quod non eſt abſolutio mere declaratoria, etiam quando peccata prius remiſſa ſupponuntur per contritionem perfectam, antequã actu Sacramentum percipiatur; & ratio eſt, quia in illa contritione includitur votum Sacramenti, cum obligatione ſubjiciendi peccata Eccleſiæ clavibus. Unde docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. *Etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare; prius quam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſa nihilominus reconciliatio ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſt aſcribenda.*

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet abſolutio ſacramentalis remittat culpam, ex uſque modo dictis patet; quod vero dimittat partem aliquam pœnæ temporalis, eamque majorem, vel minorem, ſecundum Pœnitentis diſpoſitionem.

Primo probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ.6. cap.14. ubi loquitur de ſatisfactione præcipienda Pœnitentibus, & ab iiſdem facienda per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia exercitia; & deinde hæc addit. *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramenti vcto una cum culpa remittitur., ſed pro pœna temporali, quæ ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei ingrati Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti.* Si igitur Concilium dicit, quod per abſolutionem ſacramentalem non tota ſemper dimittatur pœna temporalis, aperte dicere intendit, quod ſaltem aliqua pars dimittitur, vel major, vel minor, ſecundum recipientium diſpoſitiones.

II. probatur a S. Bonaventura in 4. diſt. 18. parte 1. art.2. quæſt.2. num. 24. & ejus rationem his verbis exponit Fraſſen citato loco Concluſ. 2. „: inquirens, utrum Sacerdos remittat aliquam partem pœnæ peccatis debitæ? Triplicem hac de re ſententiam ac reſponſionem ſubjicit; primam quidem, quod Sacerdos abſolvat non a pœna peccatis debita, ſed a vinculo confeſſionis, obligando Pœnitentem ad pœnam ſatisfactionis; quæ utique opinio videtur elici ex Hugone Victorino in lib. *de poteſtate ligandi*, ubi diſtinguuntur ſeptem vincula, ſcilicet *obdurationis, ſervitutis, captivitatis, æternæ damnationis, ſive punitionis, perpetuæ deteſtationis, Confeſſionis, & pœnalis expiationis*: a tribus primis abſolvit Deus per gratiam præparantem, quæ emollit cor ad pœnitentiam, & eſt gratia gratis data; a vinculo ſervitutis per gratiam prævenientem, quæ eſt gratum faciens, & liberat a ſervitute peccati, a vinculo captivitatis per gratiam cooperantem, quæ expedit hominem, & ſolvit, ſeu excitat ad bona opera; a vinculo æternæ damnationis ſolvit ligando ad quintum, ſcilicet ad vinculum perpetuæ deteſtationis; a ſexto vero ſolvit per Miniſtrum, ligando ad ſeptimum: Sacerdos enim ſolvit confitentem peccatorem, ut non teneatur confiteri; ſed ligat ad vinculum ſatisfactionis. Verum, inquit Seraphicus Doctor, iſte dicendi modus eſt improbandus; Sacerdos enim abſolvendo non dicit: *abſolvo te a confeſſione, ſed a peccatis*. Unde ſubjicit ſecundam ſententiam, nempe quod Sacerdos abſolvat, non tantum a vinculo culpæ, ſed etiam a pœna purgatorii, obligando ad pœnam ſatisfactoriam; ac ſubinde non ſolvit aliquam partem pœnæ relaxando, ſed ſolum commutando, hocque ſub conditione, ſi videlicet expleat ſatisfactionem injunctam. Unde ſi illa ſatisfactio ſit condigna, Sacerdos dicitur abſolvere a tota; ſi non ſit condigna, abſolvit dumtaxat a tanta: unde ſi peccator moriatur ante condignam ſatisfactionem, punietur in purgatorio. Verum, ait Seraphicus Doctor, hic dicendi modus etiam improbatur; ſi enim Sacerdos dumtaxat commutat pœnas, fruſtra dicit Pœnitenti, *abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*; quippe quum nullum emolumentum, ſaltem quantum ad relaxationem pœnæ, ex hujuſmodi abſolutinne reportet Pœnitens. Adde quod peccator accedens ad tribunal pœnitentiæ, tantam habere poterit contritionem, quod Deus omnem illi culpam, & pœnam remittat, ac ſubinde non opus erit illam pœnam commutare in aliam pœnam. Hinc tertiam ſententiam ſubjicit Seraphicus Doctor, quam

„ quam approbat, & declarat his verbis: *& ideo eſt tertius modus dicendi magis conſtans rationi, fidei, & pietati, quod Sacerdos aliquã partem pœnæ abſolvendo dimittit ex vi clavium, & hoc poſſumus intelligere ſic; quod univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, ideo in juſtificatione, quæ eſt opus miſericordiæ, miſericordia ſic remittit culpam, ut juſtitiæ regulam non prætereat. Propterea adhuc detinet obligatum ad pœnam: illa autem pœna ob rigorem divinæ juſtitiæ eſt viribus noſtris improportionabilis, & noſtræ cogitationi ignota, & pro illa oportet, quod ſatisfaciat Deo. Providit ergo adhuc nobis viam miſericordia divina, & conſtituit arbitrum Sacerdotem, & illi dedit poteſtatem arbitrandi & laxandi pœnam, & manifeſtandi nobis, & partem pœnæ remittendi ex virtute Paſſionis Chriſti, ut divina juſtitia pro illa parte ſolutionem ab iſto exigat, ſed ex Paſſionis Chriſti pœna ſit contenta. Quanta ſit illa pars, noſtrum non eſt determinare, ſed Dei; & tunc Sacramentum Pœnitentiæ non tantum erit oneroſum, ſed etiam fructuoſum. Hanc ergo opinionem ſuſtinendo, concedendum eſt, quod Sacerdos remittit aliquam partem pœnæ, ſicut oſtendunt rationes, non æternæ, ſicut oſtendunt aliæ, non purgatoriæ, ſed communiter illius pœnæ, qua Deus obligat peccatorem poſt abſolutionem a culpa, & pro illa nunquam punitur in purgatorio, nec alibi, ſed pro illa parte, a qua non abſolvitur, vel punietur hic ſufficienter, vel Dominus exiget in Purgatorio.* Quod repetit in reſponſione ad 2. 3. 4. objectionem. *Ab æterna pœna*, inquit, *nullo modo ſolvit* Sacerdos, *a purgatorio abſolvit, non per ſe, ſed per accidens, quia cum in pœnitente virtute clavium minuitur debitum pœnæ temporalis, non ita acriter punitur in purgatorio, ſicut ſi non eſſet abſolutus.* Dum ergo in corpore quæſtionis dicit, Sacerdotem non remittere aliquam partem pœnæ purgatoriæ, intelligendus eſt de remiſſione per ſe, Si autem objicias, quod hæc remiſſio præjudicat divinæ juſtitiæ: reſpnndet, *Sicut in baptiſmo per Paſſionis Chriſti meritum, & ſolutionem ſolvitur peccator a tota pœna, ita in Pœnitentia per ejuſdem Paſſionis Chriſti virtutem ſolvitur a parte pœnæ, ita quod in nullo præjudicatur Juſtitiæ, imo verificatur illud Pſalmiſtæ:* Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: *Miſericordia autem ſuperogando pretium juſtitiæ ſatisfacit.*

DISSERTATIO CCCLXVI.

De abſolutione ſacramentali. An poſſit ſub conditione dari: An ſenſus illius ſit: remitto tibi pœnam peccatis debitam? An ſit: remitto tibi peccata tua? An ſit: confero tibi gratiam remiſſivam peccati poſt baptiſmum commiſſi?

TRiplex diſtinguitur conditio; ſcilicet de præterito, ut ſi quis abſolvendo dixerit; abſolvo te a peccatis confeſſis, ſi revera ea commiſiſti; de præſenti; ut ſi quis diceret; abſolvo te a peccatis, ſi verum habes dolorem, & propoſitum non peccandi de cætero: & de futuro; ut ſi quis diceret; abſolvo te a peccatis, ſi iterum non peccabis. Conditiones de præterito, & de præſenti non poſſunt remanere ſuſpenſæ, quia vel jam ſunt verificatæ, vel non verificabuntur unquam, quia tempus jam eſt elapſum, Tota ergo difficultas eſt de conditione de futuro, quæ quum non ſit adhuc verificata, veram nequit

red-

reddere abſolutionem, & per conſequens effectus ipſius, nec poteſt produci, nec poteſt eſſe ſuſpenſus.

Dicimus I. Abſolutionem ſub conditione de præterito, & de præſenti poſſe eſſe validam; ſub conditione vero de futuro eſſe ſemper invalidam.

Prima Cõcluſionis pars I. probatur. Valet Baptiſmus ſi ejus forma proferatur ſub conditione de præterito, vel de præſenti; puta ſi dicatur: Baptizo te, ſi non es baptizatus: ergo pariter valet forma Sacramenti pænitentiæ data ſub conditione de præterito, vel de præſenti; nempe abſolvo te, ſi non es abſolutus: abſolvo te, ſi es capax abſolutionis.

II. Probatur. Si effectus formæ Sacramenti non remanet ſuſpenſus, forma ipſa ſemper eſt valida; ſed ſub conditione de præterito, & de præſenti, effectus formæ non remanet ſuſpenſus: ergo in his caſibus forma eſt valida. Major eſt certa, quia ipſa ſuſpenſio reddit formam dubiam, adeoque facit invalidam; igitur ubi non eſt hujuſmodi ſuſpenſio, ibi nec eſſe poteſt invaliditas formæ.

Secunda Concluſionis pars I. probatur; ſub cõditione de futuro invenitur ſuſpenſio effectus formæ: ergo inducitur invaliditas formæ. Antecedens eſt certum, quia, uſque dum verificetur conditio de futuro, ſenſus formæ non poteſt dici verus, nec falſus; ergo remanet ſuſpenſus. Conſequentia ſequitur; quia ubi eſt ſuſpenſio, non eſt determinatio, & ubi non eſt determinatio, neque poteſt eſſe veritas, neque falſitas.

II. Probatur Chriſtus Dominus determinando materiam, & formã Sacramentorum, voluit eorundem adminiſtrationem eſſe certam; ſed nequit eſſe certa, ſi verborum formæ ſenſus ſit ſuſpenſus; ergo noluit Chriſtus Dominus verborum formæ ſenſum eſſe ſuſpenſum; atqui ſemper eſſet ſuſpenſus, ſi forma daretur ſub conditione de futuro: ergo noluit Chriſtus Dominus formam Sacramenti Pænitentiæ dandam ſub conditione de futuro.

III. Probatur. Abſolutio ſacramentalis eſt ad modum Judicii; ſed nullus Judex judicat ſub conditione de futuro: ergo abſolutio ſacramentalis nequit dari ſub conditione de futuro. Major eſt certa ex iis, quæ pluries diximus; & de Minori nequit eſſe dubium, quia quilibet judex, vel condemnat, vel abſolvit de eo, quod factum eſt, non de eo quod fiet; ergo nullus Judex judicat ſub conditione de futuro.

Arguunt I. Abſolutio ſacramentalis in nullo caſu debet eſſe dubia; ſed redderetur dubia, ſi daretur ſub conditione de præterito, vel de præſenti: ergo abſolutio data ſub conditione de præterito, vel de præſenti, non eſt valida. Probatur minor. Si quis abſolvendo diceret: ego te abſolvo, ſi es diſpoſitus; hæc conditio eſſet de præſenti, & nihilominus redderet abſolutionem dubiam. II. Sacramentum Matrimonii celebratum ſub conditione de futuro eſt validum; ergo pariter eſt valida abſolutio ſacramentalis data ſub conditione de futuro. Probatur antecedens. Si aliquis ex Conjugibus ſuas committit vices Procuratori, ut ejus nomine matrimonio conſenſum præbeat; tunc delegantis conſenſus continet conditionem, ſi procurator delegatus conſentiat; atqui hæc conditio eſſet de futuro; ergo &c. III. Leges Civiles admittunt ſententiam publicam conditionatam, aut ſuſpenſivam doloris; & admittunt etiam particulares remiſſiones conditionales debitorum; atqui hæ ſunt conditiones de futuro: ergo conditiones de futuro non deſtruunt rationem, & formalitatem judicii. IV. Leges Canonicæ admittunt etiam abſolutionem a Cenſuris ſub conditionibus de futuro: ergo pariter admitti debent abſolutiones a peccatis ſub conditionibus de futuro. V. Confeſſarius in abſolutione intendit, quod Pænitens debeat adimplere ſatisfactionem, quam ipſe imponit; ſed hæc ſatisfactio eſt de futuro: ergo abſolutio ſacramentalis continet etiam abſolutionem de futuro.

Reſpondemus ad primum, quod revera abſolutio ſacramantalis debet eſſe certa, & in caſu propoſito etiã eſt certa, quia vel ille eſt vere diſpoſitus, & abſolutio certe eſt valida, vel ille non eſt vere diſpoſitus, & abſolutio certe eſt invalida; attamen invaliditas non oritur ex ratione conditionis appoſitæ, ſed ex defectu diſpoſitionis in pænitente, quæ non eſt talis, ut reddat validam abſolutionem ipſam. Cæterum in praxi conſulendum eſt, quod conditiones hujuſmodi nunquam ſint apponendæ ratione incertitudinis, quam

quam facillime ingerere poſſunt Pœnitentibus, an fuerint vere abſoluti, necne; unde ſcrupulis potiſſimum torqueantur, & conſcientiæ anxietatibus. Confeſſarii tamen, ut proprium munus exacte impleant, inquirere debent diligenter in Pœnitentibus, an neceſſarias habeant diſpoſitiones; quas ſi habere compererint, beneficium abſolutionis illis impendant; ſin vero, conſtanter denegent.

Ad II. dicitur, quod hæc eſt differentia inter Sacramentum matrimonii, & alia Sacramenta, quia Chriſtus matrimonii contractum ad eſſe Sacramenti ſublevavit, & contractus naturam non immutavit; unde quum poſſint fieri contractus ſub conditionibus de futuro, nil mirum, quod etiam matrimonium ſic perfici valide videatur. Quod tamen in aliis Sacramentis locum non habet, quia contractus rationem non continent.

Ad III. Nulla eſt paritas inter judicia civilia, & judicium pœnitentiale, quia in hoc eſt ſpecialis ratio, per quam Chriſtus voluit, pœnitentiæ Sacramentum ſubſiſtere, ac fieri per verba, quæ ſignificent actualem peccatorum remiſſionem, quod in civilibus Judiciis non exigitur. Non enim per omnia judicium ſacramentale aliis judiciis æquiparandum eſt, quanvis in aliquibus aſſimiletur, ut dictum eſt.

Ad IV. Abſolutio a cenſuris datur in foro externo, in quo poſſunt habere locum conditiones de futuro, ſicuti habent in aliis judiciis externis civilibus, & canonicis; at non per hoc ſequitur, quod etiam debeat habere locum in foro interno ſacramentali, propter peculiarem rationē, quā Chriſtus Dominus inſpexit in Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, ut dictum eſt.

Ad V. dicitur, quod in Sacramento Pœnitentiæ habetur primarius effectus, qui eſt remiſſio culpæ, & ſecundarius effectus, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis, vel in parte, vel in totum; prior effectus ſuſpendi non poteſt, quin irritum reddatur Sacramentum; ſecundus vero ſuſpendi poteſt, donec ſatisfactio impleatur.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, Michael Bajus aſſeruit, poſt actum peccati remanere tantum obligationem ad pœnam, ut alias diximus, & proinde damnata fuit propoſitio LVI. inter ſeptuaginta, quæ a Romanis Pontificibus proſcriptæ fuerunt; & hæc eſt. *In peccato duo ſunt, actus, & reatus; tranſeunte autem actu, nihil remanet niſi reatus, ſeu obligatio ad pœnam*: & ex hac deducebat aliam propoſitionem, quæ eſt LVII., & quæ pariter fuit proſcripta: *unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur*. Idem continere videtur ejusdem Baii propoſitio LVIII.

Dicimus II. Senſum abſolutionis ſacramentalis non eſſe hunc: *remitto tibi pœnam peccatis debitam*, ſive agatur de æterna, ſive de temporali.

I. Probatur ex Tridentino ſeſſ.6. cap.14. *Unde dicendum eſt, chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum multo aliam eſſe a baptismali; eaque contineri non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verum etiam eorundem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam; & ſacerdotalem abſolutionem; itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ, ut ſacræ literæ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt: memor eſto, unde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac: & iterum: quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: & rurſus: pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ*. Igitur, ſi ex Concilio Tridentino pœna æterna remittitur una cum culpa, ſi Sacerdos non remittit culpam, ut dicebat Bajus, neque remittit pœnam æternam.

II. Probatur. Idem Concilium aſſerit, Sacramentum pœnitentiæ eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium; atqui hoc non eſſet verum, ſi Baji error locum haberet; ergo locum habere omnino non debet. Probatur minor. Tunc locum non haberet, quando nunquam a peccati naufragio pœnitentem liberaret; ſed ſi non remitteret culpam, pœnitentem a naufragio non libe-

liberaret: ergo verba illa Concilii, quæ pariter ſunt Sanctorum Patrum, & præcipue Hieronymi, locum non haberent, ſi Baii error haberet,

III. Probatur. Idem Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. docet, Sacerdotes habere poteſtatem ad reconciliandos Fideles poſt baptiſmum lapſos: legitur enim ibi; *Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus, inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis Succeſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*. Ex quibus verbis deducitur, quod reconciliatio, de qua loquitur Concilium, non ſit ablatio ſolius pænæ, ſed etiam culpæ.

IV. Probatur. Eſt communis doctrina Theologorum, quod ſacramenta id efficiunt, quod ſignificant; ſed abſolutio ſacramentalis ſignificat non ſolum abſolutionem a pæna, ſed etiam a culpa: ergo abſolutio ſacramentalis non ſolum efficit, & operatur in Pænitente abſolutionem a pæna, ſed etiam a culpa.

Dicimus III. Senſum abſolutionis ſacramentalis eſſe hunc: *confero tibi gratiam remiſſivam peccati poſt baptiſmum commiſſi*, quanvis ſuſtineri poſſit hic ſenſus: *remitto tibi peccata tua*.

Prima Concluſionis pars probatur. Finis & effectus Sacramenti Pænitentiæ eſt reconciliare peccatorem cum Deo; ſed hic finis & effectus verificari non poteſt, niſi importet gratiam, & peccati remiſſionem, per quam fit reconciliatio: ergo &c. Et quidem pro hac prima Concluſionis parte dicit Hennus, quod hic eſt vere ſenſus ſacramentalis verborum abſolutionis, quanvis ſenſus in ſecunda Concluſionis parte contentus ſit naturalis ſenſus ipſius. Proinde ait. „. Unde ſenſus quidem Concluſionis præcedentis videtur magis „ genuinus, ſi attendatur verborum ſignificatio mere naturalis, ideſt, quam „ habent ex hominum inſtitutione; non „ tamen ſi attendatur ſignificatio ſacramentalis, ſeu quam habent ex inſtitutione Chriſti, a quo habent omnia, „ Sacramenta eſſe collativa gratiæ, „ adeoque eſſe ſignificativa eiuſdem, „ quum, ut pote ſigna practica, ſignificent, quod efficiunt. „

Objiciunt I. Lazarus ſignificabat peccatorem, qui eſt mortuus in gratia; ſed Chriſtus ſuſcitavit illum a mortuis, & mors eſt pæna temporalis peccati: ergo peccator per abſolutionem ſolvitur tantum a pæna, & non a culpa. II. Auguſtinus in Pſal. 87. hæc habet, *Quantumlibet per fidele miniſterium opitulentur ſaluti, viventes curare poſſunt, non mortuos excitare*. Et in cap. 16. Matth. *Chriſtus per ſe intus vivificat, Miniſtris poteſtatem ſolvendi poſt vitam tribuit, qui nullum ſolvere poſſunt, niſi vivat*. Ex quibus Auguſtini verbis infertur, quod miniſtri Sacramenti pænitentiæ, quum non poſſint mortuos ſuſcitare, neque etiam poſſunt culpam remittere; & quum non poſſint vivificare, ſolam pænam remittunt. III. Abſolutio ſacramentalis remittit etiam peccata, alias confeſſa; ſed hoc non verificaretur, ſi ſenſus abſolutionis ſacramentalis eſſet: *remitto tibi peccata tua*; quia peccata alias confeſſa, iam ſupponuntur remiſſa: ergo &c. IV. Peccatum remiſſum æquiparatur peccato non commiſſo; ſed peccatum non commiſſum remitti non poteſt; ergo neque etiam remitti poteſt peccatum iam remiſſum. V. Remittere peccatum eſt facere, ut peccatum, quod antea exiſtebat, amplius non exiſtat; ſed hoc fieri non poteſt in peccato alias remiſſo; ergo ſupra ipſum cadere non poteſt abſolutio ſacramentalis. VI. Infuſio gratiæ conſequitur ad peccati remiſſionem; ergo abſolutio ſacramentalis non importat gratiæ infuſionem. Antecedens probatur ex illo Bernardi ſerm. 1. de Ss. Petro, & Paulo: *Sententia Petri præcedit ſententiam Cæli*. VII. Si Deus remitteret peccatum per condonationem extrinſecam, hæc condonatio eſſet ſine gratiæ infuſione; atqui hoc poteſt facere Deus ſecundum plurimorum Theologorum ſententiam: ergo peccatorum abſolutio non conſiſtit in gratiæ infuſione. VIII. Beata Virgo non fuit capax recipiendi pænitentiæ Sacramentum, quia peccatum non habuit, ad quod delendum hoc Sacramentum inſtitutum eſt, & ordinatur; & nihilominus fuit capax reci-

recipiendi ſemper gratiæ infuſionem: ergo non eſt verum, quod ſenſus abſolutionis ſacramentalis conſiſtat in gratiæ infuſione.

Reſpondemus ad I., quod ſtat Lazari comparatio cum Peccatore ex pluribus capitibus, quanvis non ſtet ex omnibus; & quidem comparationes non debent verificari quoad omnia, ſed ſufficit, quod verificentur quoad aliqua. Et primo verificatur, quia Chriſtus vocavit Lazarum e ſepulcro, & Apoſtoli deinde ipſum ſolverunt; ſic Deus primo vocat peccatorem e ſepulcro culpæ, in quo mortuus jacet, & deinde Sacerdotes ipſum ſolvunt. Verificatur ſecundo, quia mors corporalis Lazari figurabat mortem ſpiritualem peccatoris; culpa enim gravis infert mortem animæ. Verificatur tertio, quia Chriſtus vocavit Lazarum ad vitam, ita & Confeſſarii vocant peccatores ad vitam ſpiritualem animæ. Igitur ſi aliqua dentur, in quibus comparatio non habet locum, nihil officit, quia ſatis eſt, ut locum habeat in iis, quæ diximus.

Ad II. Reſpondet Hennus; „ Auguſtinum „ loqui de viventibus, non vita gratiæ „ habitualis, ſed vita gratiæ actualis, ſeu „ prævenientis; unde ſolum vult a Sa- „ cerdotibus non ſolvi peccatores, niſi „ jam vivant inchoate per dolorem, „ quem in ipſis excitavit Deus. Idem dic „ ad alios Patres, ubi ſimilia referunt. „

Ad III. dicitur, quod etiam apud homines eadem offenſa remitti poteſt denuo, ſi fuerit alias remiſſa, quia iterata remiſſio eſt confirmatio prioris remiſſionis. Unde non mirum ſi peccatum, alias per abſolutionem remiſſum, poteſt iterum per aliam abſolutionem remitti. Et quanvis idem non poſſit bis donari, poteſt tamen idem bis condonari, & diſparitatem idem Hennus aſſignat. „. Diſparitas eſt, quod do- „ natio transferat rei datæ dominium, „ & ſic ubi fuit prima, non poteſt eſſe ſe- „ cunda, quum non poſſit amplius domi- „ nium in Donatarium transferri, utpo- „ te jam illius dominium; condonatio „ vero offenſæ tantum ſit inſinuatio, „ quod offenſus offendenti placatus ſit, „ quod bis fieri poteſt ſine contradi- „ ctione. „. Idem Hennus aſſignat diſparitatem inter vincula corporea, quæ non poſſunt iterum ſolvi, ſi jam ſoluta ſupponantur, & vincula ſpiritualia per hæc verba. „. Diſparitas eſt, „ quod prima ſolutio, utpote phyſica, „ requirat ligamen phyſicum, ſecunda „ vero, utpote moralis, tantum requi- „ rat morale, quod etiam poſt primam „ ſolutionem videtur remanere, non „ quidem in ratione maculæ, ſed in ra- „ tione condonabilis, quum eadē offen- „ ſa poſſit pluries remitti, ut diximus „ agentes de materia hujus Sacramenti.„

Ad IV. dicitur, quod quanvis verum ſit, peccatum remiſſum ſe habere inſtar peccati nunquam commiſſi, quoad punitionem, quanvis etiam aliquando remiſſa culpa remanere poſſit pœna ſolvenda; attamen in ordine ad condonationem non eſt ſic, quia quanvis non poſſit idem peccatum bis puniri, ſi fuerit antecedenter punitum, poteſt tamen bis condonari, etiam ſi fuerit antecedenter condonatum, ut modo ſcripſimus ex Henno.

Ad V. dicitur, quod quanvis qui primo remittit peccatum faciat, ut peccatum amplius non exiſtat, quoad punitionem, non tamen id etiam facit, quoad condonationem, ut nuper diximus; & quanvis id faciat qui primo abſolvit, non tamen illud ipſum facit, qui ſecundo, vel tertio abſolvit, quia hic primam abſolutionem confirmat, & per confirmationem prioris abſolutionis prima etiam condonatio confirmata venit.

Ad VI. dicitur, quod eodem temporis inſtanti ſit peccati remiſſio, & gratiæ infuſio; Bernardus autem intelligendus eſt de prioritate cauſalitatis, quia aliquo ſenſu dici recte poteſt, quod ideo Deus gratiam infundat, quia Sacerdos abſolvit. Et hæc pariter eſt reſponſio Henni citati. „ Ad D. Ber- „ nardum dico, ſententiam Petri &c. „ Cæli eſſe tempore ſimultaneam; illam „ tamen poſſe dici priorem, quaſi cauſ- „ ſalitate, cum ſano ſenſu dici poſſit: „ ideo confert Deus gratiam ſacramen- „ talem, quia Sacerdos abſolvit. „

Ad VII. dicitur, quod quanvis in plurium Theologorum ſententia poſſit Deus peccatum remittere per extrinſecam condonationem; attamen hoc verificatur in aliqua hypoteſi, quæ ab iiſdem Theologis conceditur, non vero reſpicit id, quod de facto & per viam ordinariam Deus operatur; in quo ſenſu in præſenti quæſtione Theologi omnes loquuntur.

Ad

Ad VIII. Beata Virgo non fuit capax recipiendi gratiam remiſſivam peccatorum, quia nunquam fuit capax recipiendi ſacramentum pœnitentiæ, propter immunitatem, quam habuit ab omni culpa, & originali, & actuali, ſive mortali, ſive veniali. Fuit autem capax omnis gratiæ, quæ non ſupponebat peccatorum abſolutionem, cujus omnino incapax a Deo eſt reddita, ob peculiare privilegium, ipſi conceſſum impeccabilitatis, ut ſuo loco a nobis explicatum eſt.

DISSERTATIO CCCLXVII.

De inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. An fuerit a Chriſto Domino inſtitutum? Quando fuerit inſtitutum?

PRimo, erravit Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 19. §. 17. aſſerens, Sacramentum Pœnitentiæ non fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum, ſed a Scholaſticis excogitatum, & inductum; & hæc ſunt ejus verba. „. Quacunque in parte Sacramentum poſuerint, nego jure haberi „ pro Sacramento, & mendacium, & „ impoſtura fuit, quod de Sacramento „ Pœnitentiæ commenti ſunt. Ementitum hoc Sacramentum egregio or„ narunt elogio, dicentes ſecundam eſſe „ poſt naufragium tabulam; ſed dictum „ eſt Hieronymi. Cujuſcunque ſit, quin „ plane impium ſit, excuſari nequit.„.

Secundo, Martinus Kemnitius in examine Concilii Tridentini erravit pariter dicens, quod Petrus Lombardus, dictus Magiſter ſententiarum, primus omnium poſuerit Pœnitentiam in albo Sacramentorum. Coccius hæc de ipſo ſcribit. „. Petrum Lombardum pri„ mum eſſe aſſerit, qui ex Pœnitentia „ Sacramentum fecerit, & poſt eum „ Scholaſticos quæſiviſſe, quæ ſit mate„ ria, & forma. „.

Tertio, Lutherus non diſtinguens pœnitentiam a baptiſmo, negavit quoque, Pœnitentiæ Sacramentum fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum; unde in lib. *de captivit. babylon.* cap. *de baptiſ.* ſcripſit. „. Præbuit his opinionibus „ occaſionem verbum illud periculo„ ſum B. Hieronymi, ſive male poſitum, „ ſive male intellectum, quo Pœniten„ tiam appellat ſecundam poſt naufra„ gium tabulam, quaſi baptiſmus non „ ſit Pœnitentia. Hinc enim, ubi in pec„ catum lapſi fuerunt, de prima tabula, „ ſeu navi deſperantes, velut amiſſa, „ ſecundæ tantum incipiunt niti, & fide„ re tabulæ, ideſt Pœnitentiæ, „. Et lib. „ eodem prope finem. „. Pœnitentiæ „ Sacramentum ſigno viſibili, & divini„ tus inſtituto caret, & aliud eſſe non „ dixi, quam viam, & reditum ad Bap„ tiſmum.„.

Dicimus I. Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum, quoad omnes ſuas partes, ſcilicet, & quoad poteſtatem abſolvendi, & quoad obligationem confitendi.

I. Probatur ex Scripturis. Joannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Non poſſunt autem abſolvi peccata, quæ non aperiuntur illi, qui poteſtatem habet abſolvendi; nec poſſunt remitti, niſi abſolvantur.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 1. *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentũ, pro Fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum; anathema ſit.*

III. Probatur ex Patribus. Hieronymus epiſt. 108. *Agunt homines ante baptiſ-*

mum

Digitized by Google

mum Pænitentiă de ſuis prioribus peccatis, ita tamen ut etiam baptizentur ſicut ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum: Pænitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti, & dimittentur vobis peccata veſtra. Agunt etiam homines pænitentiam, ſi poſt baptiſmum ita peccaverint, ut excommunicari, & poſtea reconciliari mereantur, ſicut agunt in omnibus Eccleſiis illi, qui proprie pænitentes appellantur. Eſt etiam pænitentia bonorum & humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Neque enim, ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo; ſed illa utique, quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt. Cæſarius Arelatenſis Homil. 6. *Erubeſcimus modo parvo tempore pænitentiam agere, & non timemus ſine ullo termino æterna ſupplicio ſuſtinere. O infelix homo! de ipſo vulnere non erubeſcis? Peccatum enim vulnus eſt, Pænitentia ligatura vulneris. Tu qui pænitentiam non vis agere, ſine dubio diſſimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere.* Victor Uticenſis de perſecutione vandalica lib. 2. *Quibus nos miſeros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis Pænitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi? Quia vobis dictum eſt: quæcunque ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cælis.* Gennadius Maſſilienſis de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 78. *Pænitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam ſi in ultimo vitæ Spiritu admiſſorum pæniteat, & publica lamentatione peccata prodantur, quia propoſitum Dei, quo decrevit ſalvare, quod perierat, ſtat immobile; & ideo, quia voluntas ejus non mutatur, ſive emendatione vitæ, ſi tempus conceditur, ſive ſupplici Confeſſione, ſi continuo vita exciditur, venia peccatorum fideliter præſumatur ab illa, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur a perditione pænitendo, & ſalvatus miſeratione Domini vivas. Si quis aliter de juſtiſſima Dei pietate ſentit, non Chriſtianus, ſed Novatianus eſt.*

III. Probatur rationibus. I. Pænitentiæ Sacramentum non inſtituit Eccleſia: ergo inſtituit Chriſtus. Antecedens patet, quia ſi illud inſtituiſſet Eccleſia, Adverſarii aſſignaſſent, quando, quomodo, & quo loco inſtituiſſet Eccleſia, quod uſque modo non aſſignarunt. Conſequentia ſequitur, quia quum a priſcis ſeculis hoc Sacramentum inter alia Sacramenta adnumeratum inveniatur, neceſſe eſt, ut dicamus, ſi illud non inſtituit Eccleſia, fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum. II. Si hoc Sacramentum inſtituit Eccleſia, maxime inſtituit tempore Innocentii III. in Concilio Lateranenſi, ut commentus eſt Calvinus, in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 6. cap. 5. dicens, Confeſſionis uſum in Eccleſia non fuiſſe, *donec Innocentius III. cum paucis cornutis beſtiis laqueum hunc populo chriſtiano induit, quem Tridentini Patres adſtringunt*; atqui hoc eſt evidenter falſum, quia Patres, qui Innocentium III. præceſſerunt, Sacramenti Pænitentiæ mentionem faciunt: ergo falſum eſt pariter, quod Innocentius III. hoc Sacramentum inſtituerit. III. Si Chriſtus Dominus hoc Sacramentum non inſtituiſſet, ideo eſſet, quia Tridentinum non dixit, fuiſſe a Chriſto Domino immediate inſtitutum; atqui hoc nihil officit: ergo vere fuit a Chriſto Domino inſtitutum. Probatur minor; tum quia Concilium non dixit, fuiſſe a Chriſto Domino mediate inſtitutum: ergo intelligendum eſt immediate; tum etiam quia quum non aſſignet Concilium alium Sacramenti Pænitentiæ auctorem, qui illud immediate inſtituerit, mens ipſius eſt, illud ipſum fuiſſe a Chriſto Domino immediate inſtitutum. IV. Si fuiſſet hoc Sacramentum ab Eccleſia inſtitutum, poſſet ſuper ipſum Eccleſia diſpenſare; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud, unde ſequitur. Sequela probatur, quia poteſt Eccleſia diſpenſare in iis, quæ a ſua inſtitutione dependent: ergo poſſet etiam diſpenſare in Sacramento Pænitentiæ, ſi fuiſſet ab ipſa Eccleſia inſtitutum.

Objiciunt I. Chriſtus habebat poteſtatem redimendi peccata abſque Sacramento: ergo pariter illam debebat Apoſtolis tribuere, ut abſque Sacramento Pænitentiæ peccata remitterent: ergo nunquam Chriſtus Sacramentum Pænitentiæ inſtituit. II. Nullus medicus præcipiens medicinam ægro-

ægroto præſcribit illi miniſtrum, qui eam adhibeat, & pariter modum adhibendi; ſed Pænitentiæ Sacramentum dicitur medicina ſpiritualis animæ: ergo ſat fuit, ut Chriſtus eam præciperet, abſque eo quod illam, & miniſtros ipſius inſtituerit. III. Pænitentiæ Sacramentum præcipue conſiſtit in confeſſione peccatorum; ſed confeſſio peccatorum originem ducit ab Eccleſia, & non a Chriſto: ergo Pænitentiæ Sacramentum non fuit a Chriſto Domino inſtitutum. Minor eſt doctrina Gloſſæ in cap. 1. diſtinct. *de pænitent.* ubi hæc leguntur: *melius dicitur, Confeſſionem inſtitutam fuiſſe a quadam univerſali Eccleſiæ traditione, potius quam ex novi Teſtamenti, aut veteris authoritate.* IV. Peccata ſat eſt, ut confiteamur Deo: ergo non eſt neceſſe, ut illa confiteamur hominibus. Antecedens eſt doctrina Gratiani cap. ult. diſt. 1. *de pænit. Quidam Deo ſolummodo Deo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci.*

Reſpondemus ad I. quod quanvis Chriſtus Dominus contulerit Apoſtolis eandem poteſtatem condonandi peccata, quam ipſe habebat, quoad virtutem remittendi, non tamen contulit eandem, quoad modum. Ipſe enim, quia Dominus erat, alio ſuperiori & excellẽtiori modo procedere debebat illo, quo procedebant Apoſtoli, qui ipſius erant miniſtri; & ſatis fuiſſet his, & Succeſſoribus eorum, quod habuiſſent a Chriſto poteſtatem remittendi peccata, & ſi modo alio, & inferiori quidem illo, quo Chriſtus ipſe remittebat.

Ad II. dicitur; quod hæc eſt differentia inter medicos corporum, & medicos animarum, quod illi ab Inſtitutoribus eorum non recipiunt virtutem ſanandi; adeoque nec modum ab iiſdem diſcunt: at medici animarum ab Inſtitutore ſuo, Chriſto, recipiunt & ſanandi virtutem, & ſanandi modum.

Ad II. dicitur, quod Gloſſa adducta ab antiquioribus Theologis vocatur irrationabilis, erronea, in fide periculoſa; & a Theologis recentibus appellatur etiam hæretica; quia eſt contra Concilii Tridentini mentem & definitionem.

Ad IV. hæc reſpondit Hennus, „quod „ly, *ut Græci*, fuiſſe ab aliquo imperito „Textui immixtum, cum in Concilio „Florentino, ubi de Græcorum erro„ribus, ac præſertim in materia Sacra„mentorum, plene diſcuſſum eſt, nulla „fiat mentio „. Cæterum verba illa abſolute negantur, tanquam rationi, traditioni, ac hiſtoricæ veritati pugnantia.

Dicimus II. Sacramentum Pænitentiæ fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum poſt Reſurrectionẽ ſuam ſcilicet quando Joannis 20. dixit Apoſtolis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. *Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus, inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſse communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit,*

II. Probatur. Poteſtas in Corpus Chriſti verum fuit collata Apoſtolis ab eodem Chriſto, & ante ejus mortem; ſed non erat conveniens, ut poteſtas in Corpus Chriſti myſticum traderetur iiſdem ab eodem Chriſto, antequam illis contuliſſet poteſtatem in corpus verum: ergo poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum tradita fuit Apoſtolis a Chriſto poſt ejus mortem, adeoque poſt ejus Reſurrectionem. Major eſt certa, quia Chriſtus tradidit poteſtatem Apoſtolis in Corpus ſuum verum in ultima Cæna. Minor etiam eſt certa, quia corpus verum præcedit corpus myſticum, adeoque poteſtas in unum præcedit poteſtatem in aliud.

III. Probatur. Per poteſtatem abſolvendi a peccatis importatur poteſtas juſtificationis perfectę, & reſurrectionis myſticę, per quam homo reſurgit per pænitentiam a morte peccati: ergo antecedenter ad hanc poteſtatem præcedere debebat Reſurrectio Chriſti, quę eſt quaſi exemplar reſurrectionis, & juſtificationis noſtræ. Antecedens eſt Doctrina Apoſtoli ad Romanos 4. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſur-*

rexit propter juſtificationem noſtram. Et conſequentia ex eodem Apoſtolo patet eodem loco, ubi legitur. *Chriſtus Dominus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*.

Opponunt I. Chriſtus tradidit Apoſtolis poteſtatem clavium ante ſuam paſſionem; ſed poteſtas clavium importat Sacramentum Pænitentiæ; ergo Chriſtus inſtituit Sacramentum Pænitentiæ ante ſuam paſſionem. Minor probatur, Chriſtus tradidit poteſtatem illam Apoſtolis, quando iisdem dixit Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*; ſed hæc verba Chriſtus Dominus dixit ante ſuam paſſionem: ergo &c. II. Chriſtus Dominus dedit poteſtatem Petro, & Succeſſoribus ejus, quando Matth. 16. dixit: *Dabo tibi claves Regni Cælorum*; ſed hæc verba dixit ante paſſionem ſuam; ergo pariter ante paſſionem ſuam Chriſtus Dominus Sacramentum Pænitentiæ inſtituit. III. Pluribus peccatoribus Chriſtus Dominus antequam pateretur, & moreretur, peccata condonavit; ſed condonare peccata eſt actus Sacramenti Pænitentiæ; ergo antequam Chriſtus Dominus pateretur & moreretur, Sacramentum Pænitentiæ inſtituit. Probatur major. Chriſtus Dominus condonavit peccata mulieri adulteræ, homini paralytico, Magdalenæ, Zachæo, & aliis; ſed hi omnes ad Chriſtum acceſſerunt antequam pateretur, & moreretur: ergo &c. IV. non ſemel, ſed pluries ante paſſionem, & mortem ſuam, legimus, Chriſtum dixiſſe: *agite pænitentiam*; ſed hæc verba important Sacramenti Pænitentiæ inſtitutionem; ergo ante paſſionem, & mortem ſuam, Chriſtus Sacramentum Pænitentiæ inſtituit. V. Eo prorſus modo voluit Chriſtus, ut miniſtri ſui peccata dimitterent, quo ipſe dimittebat; ſed ipſe dimittebat abſque Pænitentiæ Sacramento: ergo pariter miniſtri Eccleſiæ abſque Sacramento dimittunt, & propterea non fuit hoc Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, quando dixit illa verba Joannis 20. Probatur major. Joannis 20. legitur: *dixit ergo iis iterum: pax vobis: ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. VI. Si per præfata verba intelligeretur Sacramenti Pænitentiæ inſtitutio, ejuſdem non inſtituiſſet Chriſtus miniſtros Apoſtolos omnes; atqui hoc dici non poteſt; ergo nec pariter dici poteſt, quod per illa verba Chriſtus Pænitentiæ Sacramentum inſtituerit. Probatur major, Chriſtus dixit illa verba Apoſtolis, qui erant præſentes; ergo Chriſtus Dominus non dixit illa verba omnibus Apoſtolis. Probatur minor; ibi enim legitur, quod Thomas præſens non erat; unde poſtquam verſu 23. dixerat: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*: ſtatim verſu 24. ſubditur: *Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jeſus*. VII. Epiſcopi eodem tempore, quo conferunt Sacerdotibus poteſtatem in Corpus Chriſti verum, conferunt quoque poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum: ergo pariter Chriſtus eodem tempore inſtituit Sacramentum, per quod Sacerdotibus traditur poteſtas in corpus Chriſti verum, & Sacramentum, per quod traditur Sacerdotibus poteſtas in corpus Chriſti myſticum; ſed illud Sacramentum inſtituit ante paſſionem, & mortem ſuam; ergo pariter hoc, VIII. Omnia Sacramenta habent ſuam efficaciam, & valorem a Chriſti paſſione, & morte: ergo omnium illorum inſtitutio præcedere debebat Chriſti paſſionem, & mortem: ergo Sacramentum Pænitentiæ non fuit a Chriſto inſtitutum ante ſuam paſſionem, & mortem.

Reſpondemus ad I. negando minorem, ad cujus probationem negatur pariter adſumptum, & dicitur, quod in verbis illis Matthæi 18. continetur non collatio poteſtatis clavium, ſed promiſſio ejuſdem collationis; quæ quidem collatio poſtea fuit facta Joannis 20., ut dictum eſt. Ratio potiſſimum habetur, quia quando Chriſtus loquebatur Apoſtolis Matthæi 18., Apoſtoli adhuc Sacerdotes non erant; igitur non poterat iiſdem tunc temporis conferri clavium poteſtas, ſed tantum promitti; conferri autem poterat, quan-

quando de facto collata eſt, ſcilicet poſtquam facti fuerunt á Chriſto Sacerdotes, nempe poſt Paſſionem, Mortem, & Reſurrectionem ſuam.

Ad II. Negatur major; non enim dixit Chriſtus *do*, ſed dixit *dabo*, per quod verbum intelligitur pariter promiſſio, & non collatio; quæ quidem promiſſio poteſt fieri homini non Sacerdoti, non ſic autem collatio, quæ ſupponere debet characterem ſacerdotalem in illo, cui fit.

Ad III. dicitur, quod illis hominibus, in objectione numeratis, ChriſtusDominus contulit peccatorum remiſſionem ex propria, & præexcellenti ſua virtute, quam Apoſtolis nec cōmunicavit, nec poterat communicare; non vero contulit virtute Sacramenti, quam deinde contulit Apoſtolis, quibus volebat, & poterat communicare, quia erat poteſtas miniſterialis, cujuſmodi non erat altera, & quam de facto communicavit poſt mortem, & reſurrectionem ſuam.

Ad IV. dicitur, quod verba illa: *Agite pœnitentiam*: intelligenda ſunt de pænitentiæ virtute, non vero de pænitentiæ Sacramento. Pænitentiæ autem virtus omni tempore fuit, & ante Chriſtum natum, & poſt ejus nativitatem; non ſic vero pænitentiæ Sacramentum, quod Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem ſolummodo inſtituit.

Ad V. Chriſtus Dominus contulit Apoſtolis non illam eandem, & omnimodam poteſtatem, quam a Patre acceperat, nec aliam illi æqualem, ſed ſimilem; Chriſtus enim a Patre acceperat poteſtatem excellentiæ, quam Apoſtolis dare non poterat. Verba autem illa Joannis intelligenda ſunt, quod Chriſtus mittebat Apoſtolos ad prædicandum inter hominum perſecutiones, ſicut ipſe miſſus fuerat a Patre; & hoc pacto ea interpretatur Gregorius Magnus homil. 26. in Evangelia: *Pater filium miſit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari conſtituit, quem videlicet in mundum venire ad Paſſionem voluit, ſed tamen amavit eum, quem ad paſſionem miſit. Electos vero Apoſtolos Dominus, non ad mundi gaudia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt, ad paſſionem in mundum mittit. Quia ergo & filius amatur a Patre, & tamen ad Paſſionem mittitur, ita & diſcipuli a Domino amantur, qui tamen ad Paſſionem mittuntur in mundum. Itaque recte dicitur: Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos; ideſt ea charitate vos diligo, cum inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.*

Ad IV., reſpondemus verbis Cyrilli Alexandrini libro 20. in Joan. cap. 56.: *Dicimus virtutem ſpiritus, ex intenſione dantis Chriſti, in omnes diſcipulos pertranſiſſe: non enim quibuſdam, ſed omnibus diſcipulis dedit: Quare liberalitate dantis non ſolum præſentes, ſed etiam abſentes Apoſtoli, Spiritum Sanctum acceperunt: quod autem non violenta, ſed tuta veraque iſta ratio ſit, authoritate S. Scripturæ monſtrabimus. Juſſit Deus quondam Moyſi, ex numero undecima ſeptuaginta Seniores Judæorum eligere. Dixit autem de Spiritu, qui erat in Moyſe, ablaturum ſe, atque impoſiturum in illis. Cum vero Heldad & Medad de 70. Seniorum numero in Synagoga remanſiſſent, ac Spiritus omnibus illis 70. immiſſus fuiſſet, prophetabant quidem, qui erant cum Moyſe, prophatabant autem etiam illi duo, qui aberant &c. Non ergo, licet abfuerit Thomas, a participatione Spiritus decidit, cum de numero eſſet eorum, quibus, dignitate Apoſtolatus decoratis, Spiritus debebatur.*

Ad VII., conceditur antecedens, & negatur conſequentia; & ratio eſt, quia non currit paritas ab inſtitutione ad collationem; Chriſtus enim potuit diverſis temporibus inſtituere, quæ deinde Eccleſia cum Spiritus Sancti aſſiſtentia ſtatuit uno eodemque tempore eſſe conferenda. Nec hoc mirum videri debet; quandoquidem etiam Chriſtus alia inſtituit præcedenter, quæ poſtmodum ab Eccleſia ſubſequenter adminiſtrata ſunt. Non enim Chriſtus præcepit, ut inſtitutionis ordo ab Eccleſia in collatione ſervaretur. Cæterum ſufficit, ut hic ordo ſervetur, quod poſt unam poteſtatem alia tradatur, & parum aut nihil officit, ſi immediate, vel tractu temporis, conferatur.

Ad VIII., diſtinguitur antecedens: omnia Sacramenta valorem ſuum, & efficaciam habere debebant a Chriſti Paſſione, & morte, ſive præterita, ſive præſenti, ſive futura, conceditur; altero ex his tempore, & non alio, ne-

gatur. Alia etenim Sacramenta Chriſtus diverſis temporibus inſtituit, quæ vel præceſſerunt ſuam paſſionem, & mortem, vel quæ eaſdem ſubſequuta ſunt; & nihilominus iisdem idem ineſt valor, eadem efficacia, eadem virtus.

DISSERTATIO CCCLXVIII.

De Præcepto Sacramenti Pœnitentiæ. An detur præceptum recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ? Quando obliget? & Quos?

SATIS ſuperque in Diſſertatione CCCLVII. præſentis voluminis loquuti fuimus de præcepto Pænitentiæ, ut virtus eſt; modo remanet, ut loquamur de ejusdem præcepto, ut eſt Sacramentum. Et quidem tres partes continet hujuſce Diſſertationis titulus, quarum prima eſt, an detur præceptum aliquod ſpeciale recipiendi Pænitentiæ Sacramentum? Et in hoc conveniunt omnes Catholici, atque Theologi, dari ipſum. Altera vero pars continet, quando ipſum præceptum obliget? Quod idem eſt ac quærere, an præceptum Pænitentiæ Sacramenti obliget ſtatim poſt peccatum comiſſum? Affirmant Willelmus Pariſienſis, Archidiaconus, Thomas de Argentina, Alexander Alenſis, Marſilius, & alii, quos refert Leander diſp. 1. quæſt. 131. Attamen hi omnes non conveniunt in explicando dictionem *ſtatim*, quia aliqui non ſumunt metaphyſice, & ſpeculative, ſed practice, ſeu moraliter; ideſt, ut explicat Giribaldus tract. 6. *de Pænit.* cap. 4. dub. 14., quum primum poſt patratum peccatum occurrit cogitatio ipſius peccati, aut aliquid, quod ſufficienter excitet ad habendam cogitationem illam practice, & inſuper adeſt opportunitas eliciendi contritionem, quia ſcilicet nullum occurrit impedimentum. Alii vero, ſubdit idem Giribaldus, magis extendunt hujuſmodi obligationem, dicentes, pænitentiam debere eſse perpetuam; ideſt, quod teneatur homo peccator toties conteri, quoties cogitat de peccatis commiſſis. Hujus ſententiæ eſt Paludanus, & alii apud Leandrum citato loco. Alii vero communiter docent præceptum Sacramenti Pænitentiæ non obligare ſtatim poſt commiſſum peccatum, nec ſtatim ac menti occurrit peccatum commiſſum, & multo minus, quod obliget toties quoties peccatum menti occurrit. Et hujus ſententiæ ſunt Suarez, Navarrus, Vaſquez, Valentia, Reginaldus, aliique, quos refert, & ſequitur citato loco Giribaldus.

Dicimus I. Dari verum & ſpeciale præceptum, obligans Peccatores ad Pænitentiæ Sacramentum recipiendum.

I. probatur ex Scripturis. Lucæ 15. dicebat Chriſtus; *niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: ex quibus verbis hoc conficitur argumentum: quia Chriſtus dixit Joannis 3.: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*; colligunt communiter Doctores præceptum Baptiſmi: Item quia Chriſtus dixit Ioannis 6.: *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: colligunt præceptum Euchariſtiæ; ita pariter ex verbis ejusdem Chriſti Lucæ 13.: *niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: colligi debet præceptum Sacramenti Pænitentiæ. Inſuper Actor. 19. dicitur: *Multi Credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos*. Quibus verbis nomine *Credentium* veniunt Fideles, qui confitebantur

bantur

bantur peccata ſua iu particulari, quæ S. Lucas dicit *actus ſuos*, & confitebantur non ſoli Deo, ſed Paulo, Miniſtro Chriſti inſtituto, ad quem accedebant: & denique hoc non feciſſent Fideles, ſi præceptum faciendi ipſum non conſtaſſet ipſis habere. Pariter II. ad Corinth. 5. Apoſtolus dicit de ſe ipſo, & de aliis Miniſtris Sacramenti Pænitentiæ: *dedit nobis miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergo legatione fungimur*. Hæc verba adeo ſunt clara, quod intelligi debeāt de poteſtate clavium, ut neque ipſe Calvinus negare audeat lib. 1. *Inſtitut.* cap. 1., ut aſſerit Gormaz Tom. 2. *de Pænit.* diſp. 1. §. 3. Ulterius ex I. Joannis 1. habetur: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra*; ubi per verba illa *Fidelis* & *juſtus* indicatur, quod confeſſio non fit Deo, ſed homini; & per verba illa peccata noſtra importatur, quod confeſſio non eſt peccatorum in communi, ſed in particulari; aliter non diceret: *ſi confiteamur peccata noſtra*, ſed diceret ſolum, *ſi confiteamur nos eſſe Peccatores*.

II. probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe III. Can. 31. præcipit Epiſcopis, *ut Pænitentibus, ſecundum peccatorum differentiam, Epiſcopi arbitrio, pænitentiæ tempora decernantur.* Supponitur ergo Pænitentiæ Sacramenti præceptum, ſi tempora decernuntur. Et Can. 52. ut *Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pænitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente*. Quibus verbis agitur quidem de poteſtate Miniſtri ad pænitentiā determinandam, non vero agitur de libertate confitentis ad confitendum, vel non confitendum; quia ſcilicet ſupponebatur; ut ſupponit Concilium Cabilonenſe I. circa annum 800. Can. 32., ubi increpat Peccatores, qui non plene confitentur peccata ſua Sacerdotibus.

III. probatur. Sacramentum Pænitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medii, ut in ſequenti Diſſertatione probabimus; ergo pariter eſt neceſſarium neceſſitate præcepti. Conſequentia ſequitur, quia quodcunque eſt neceſſarium neceſſitate medii, a Deo nobis præceptum ſupponitur, quando illud in noſtra eſt poteſtate, & Deus nobis confert auxilia, ut ea compleamus, quæ nobis ad ſalutem ſunt neceſſaria.

IV. probatur. Præceptum charitatis eſt, ut nos proximi ſalutem procuremus, præcipue per correctionem: ergo pariter præceptum charitatis eſſe debet, ut nos procuremus propriam ſalutem per Sacramentum Pænitentiæ. Conſequentia etiam legitime infertur, quia Charitas primo incipit a ſe ipſo, & deinde ad Proximum exs tenditur.

V. probatur. Quod Eccleſia conſtanti uſu, & immemorabili traditione ſervavit, hoc dici debet, a Chriſto Domino præceptum; ſed Eccleſia Sacramentum Pænitentiæ perpetuo uſu, & conſtanti traditione, omni tempore ſervavit: ergo Sacramentum Pænitentię dici debet a Domino præceptum. Probatur minor. Concilia, ſive generalia, ſive peculiaria, præceptum hoc non fecerunt, immo potius ſuppoſuerunt illud, tanquam a Chriſto Domino factum, & illius executionem omni tempore inculcarunt; quod patet ex Concilio Laodiceno, quarto ſeculo Can. 2. ubi dicitur: *His qui diverſorum peccatorum lapſus incurrunt, & inſtant orationi, confeſſioni, & pænitentiæ, pro qualitate peccati, tempus pænitentiæ tribuēdum eſt*: immo in Concilio Florentino nulla memorata fuit diſſenſio inter occidentalem, & orientalem Eccleſiam circa præceptum Sacramenti Pænitentiæ; & Hieremias, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Cenſura Confeſſionis Auguſtanæ cap. 11. increpabat Lutheranos, qui dicebant, non eſſe neceſſarium confiteri omnia peccata per ſingulas ſpecies. Accedunt Concilium Turonenſe anno 800., Moguntinum ſub Brabano Archiepiſcopo, & Woſmacenſe eodem ſeculo. Eandem obligationem memorant Concilia generalia, nempe Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 21. Coſtantienſe ſeſſ. 87. Florentinum in decreto Eugenii IV., & Tridentinum ſeſſ. 14. Can. 6. *Si quis negaverit, Confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper ſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit*. Et Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula*

gula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pænitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit. Et Can. 8. *Si quis dixerit confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam, aut ab ea non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtifideles, juxta Magni Concilii Lateranenſis Conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id, ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, ut non confiteantur tempore quadrageſimæ; anathema ſit.*

Obſtant I. Nullum eſt præceptum Contritionis, in qua præcipue conſiſtit Sacramentum Pænitentiæ, quod contineatur in Decalogo: ergo præceptum Sacramenti Pænitentiæ non eſt præceptum naturale; atqui nullum eſt præceptum ejusdem, quod contineatur in novo Teſtamento: ergo neque eſt præceptum divinum, vel poſitivum. II. Non habemus præceptum peculiare conſervandi gratiam habitualem: ergo neque pariter habemus præceptum peculiare ipſam recuperandi, ſi aliquando contingit, ut eam amittamus. Probatur antecedens. Si hoc eſſet præceptum peculiare, in quolibet peccato gravi duo eſſent peccata lethalia, unum ſcilicet peculiare, & aliud univerſale, per quod amittimus gratiam habitualem, quam conſervare tenemur; atqui hoc nemo aſſerit: ergo &c. III. Ubi non eſt peccatum, ibi neque eſt præceptum; ſed non eſt peccatum omittere receptionem Sacramenti Pænitentiæ: ergo non eſt præceptum. Probatur minor. Quia ſi daretur, ad ſummum eſſet circumſtantia aggravans, ſed non eſſet ſpecialis malitia, quæ ſpeciale conſtitueret peccatum. IV. Impænitentia non eſt peccatum ſpeciale, quod teneamur confiteri, ſupra numerum peccatorum noſtrorum: ergo non eſt præceptum ſacramenti Pænitentiæ. Conſequentia optime infertur, quia impænitentia oritur ex omiſſione ſacramenti Pænitentiæ: ergo ſi impænitentia non eſt ſpeciale peccatum, neque etiam eſt tale omiſſio ſacramenti Pænitentiæ: ergo ſi non eſt peccatum illud omittere, neque eſt præceptum recipere. V. Non poteſt Impius juſtificari ſine pænitentia, quam Scripturæ præcipiunt; ſed poteſt juſtificari ſine Sacramento Pænitentiæ: ergo de Sacramento Pænitentiæ non eſt præceptum. VI. Si eſſet præceptum de Sacramento Pænitentiæ, vel illud eſſet negativum, vel affirmativum; non negativum, quia ſemper, & ad ſemper obligaret, quæ quidem eſſet nimis dura obligatio: neque affirmativum; quia omiſſio ipſius eſſet peccaminoſa; at non poſſet determinari quæ, & qualis omiſſio, & quando eſſet peccaminoſa: ergo neque de Sacramento Penitentiæ eſt præceptum affirmativum: ergo nullum eſt præceptum.

Reſpondemus ad I. præceptum Contritionis eſſe. præceptum naturale, vel ſaltem valde cōforme rationi naturali, quæ dictat, dolendum eſſe de peccatis. Quam reſponſionem ſic explicat & confirmat citatus Giribaldus. „ Deinde jure naturali quiſque tenetur „ conſulere ſaluti propriæ, & ſuſcipere „ media, quæ ad eam ſunt neceſſaria: „ naturaliter etiam quiſque tenetur ſatisfacere pro injuria illata Deo, & ſicut quiſque tenetur amare Deum, ita „ etiam tenetur illius amicitiam conſervare, & recuperare, quando eſt amiſſa: inde ab aliquibus dicitur contineri virtualiter in primo præcepto Decalogi, ex eo enim, quod quiſque „ tenetur amare Deum ſuper omnia, „ tenetur etiam deteſtari quicquid illi „ diſplicet, recuperare deperditam „ amicitiam, illique ſatiſfacere pro „ injuria. Ita tenent Antonius a Spiritu „ Sancto diſp. 3. ſect.2., Maderus loco „ citato, qui num.4. notat, ex triplici „ capite naſci obligationem pænitentiæ. „ Primo ex lege juſtitiæ, quæ dictat, „ ſatisfaciendum eſſe Deo, pro injuria „ allata; ſecundo ex lege Charitatis propriæ, qua quiſque tenetur ſibi conſulere, & adhibere media neceſſaria „ ad ſalutem, quorum præcipuum eſt „ pænitentia; tertio ex lege charitatis „ erga Deum, qua tenemur Deum amare

„ re ſuper omnia, & deteſtari quicquid „ illi diſplicet; ita etiam tenent Leander quæſt. 30. & apud illum Suarez, „ Vaſquez, Granados, Hurtado, „ Lugus, Bonacina, Molfeſius, & „ alii „.

Ad II. Negatur paritas, & ratio eſt, quia ad conſervandam gratiam ſufficit aliorum præceptorum obſervantia; non ſic vero ad recuperandam illam, quia requiritur ſpecialis actus contritionis, vi cujus virtute Sacramenti illam acquirat. Unde hanc illationem infert citatus Gormaz ſect. 2. „ §. 1. Fit ſecundo, ex jure divino teneri omnes „ fideles baptizatos, poſtquam rationis „ uſum attigerint, confiteri omnia ſua „ peccata mortalia poſt baptiſmum, aut „ in ſuſceptione baptiſmi commiſſa: ratio eſt, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad remiſſionem peccatorum „ mortalium, quæ ab homine Chriſtiano „ committuntur, ut deferantur ad Judices a Chriſto inſtitutos, ut conſtat a „ nu. 11.; atqui homo, & poſt baptiſmum, & in inſtanti baptiſmi, jam eſt „ Chriſtianus: ergo jure divino tenetur „ confiteri omnia ſua peccata mortalia, „ vel poſt baptiſmum, vel in inſtanti „ baptiſmi commiſſa; quapropter cum „ Trident. dicit ſeſſ. 14. cap. 5. *Hoc Sacramentum eſſe neceſſarium lapſis poſt baptiſmum*, ly *poſt* intelligitur negative, ſicuti quando dicimus, hominem non „ eſſe capacem peccandi niſi poſt uſum „ rationis, ly *poſt* ſumitur negative, „ negando tempus præcedens ad uſum „ rationis; cum etiam in ipſo inſtanti „ uſus rationis ſit capax peccandi: ex „ num. 39. *de baptiſmo*.

Ad III. dicitur, quod non eſt circumſtantia aggravans, ſed eſt circumſtantia mutans ſpeciem, quando malitia eſt talis, ut novum genus malitiæ conſtituat, quæ a malitia aliorum peccatorum ſit diſtincta. Et ſic eſſet malitia in eo, qui Sacramentum Pænitentiæ recipere non curaret; unde per hoc novum peccatum comitteret, non quidem ex circumſtantia aggravante, ſed ex ſpecie mutante peccatum.

Ad IV. Dicitur, quod in quolibet peccato poteſt eſſe ratio generica malitiæ, & ratio ſpecifica ejuſdem; ratio quidem generica, quatenus conveniret cum aliis, prout ſunt offenſæ Dei; ſpecifica vero, quatenus diſconveniret ab aliis, prout eſſet offenſa Dei, in aliqua ratione ſpeciali, in qua non ſunt alia peccata. Sic etiam poteſt dari caſus in impænitentia, prout explicat, & applicat citatus Gribaldus „, „ Dico, malitiam, quæ tanquam ratio „ generica reperitur in omnibus peccatis, poſſe eſſe rationem ſpecificam „ alicujus determinati; VG. eſſe contra „ rectam rationem eſt ratio generica „ incluſa in quolibet peccato, & tamen „ ſi quis dicat volo peccare, & agere „ contra rectam rationem, committit „ peccatum ſpeciale: ita ſimiliter malitia, quæ reperitur in peccato impænitentiæ, tanquam ratio ejus ſpecifica, poteſt reperiri in quolibet peccato „ tanquam ratio generica, & poteſt eſſe „ peccatum ſpeciale „.

Ad V. Negatur minor; etenim vel loquimur de attritione, & juſtificatur Impius cum ipſa, & cum Sacramento Pænitentiæ in re; vel loquimur de contritione, & juſtificatur Impius cum ipſa, & cũ Sacramento Pænitentiæ in voto; quando ſcilicet non adeſt copia Confeſſarii. Semper igitur includitur Sacramentum Pænitentiæ, ſive in re, ſive in voto.

Ad VI. Dicimus, præceptum Sacramenti Pænitentiæ eſſe affirmativum, & rationem aſſignat citatus Giribaldus verbis hiſce. „. Quia peccatum illi „ oppoſitum, ſcilicet impænitentia, eſt „ peccatum omiſſionis, cum quo tamen „ identificatur peccatum commiſſionis, „ quo quis proponit non pænitere tẽpore debito, quando non eſt ex ſpeciali contemptu pænitentiæ; ſi enim eſſet „ ex contemptu illius, tale propoſitum „ eſſet ſpeciale peccatum in Spiritum „ Sanctum, ea ratione, qua voluntaria „ omiſſio Sacri, vel propoſitum omittendi Sacrum die feſto ex levitate „ Animi, ex pigritia, ſeu levi dolore „ capitis, eſt peccatum ejuſdem ſpeciei „ contra præceptum audiendi Sacrum; „ at ſi quis explicite proponeret non „ audire Sacrum ex contemptu Miſſæ, „ faceret peccatum ſpeciale diſtinctum; „ quia, ut comuniter dicitur, in ſola „ omiſſione non poteſt eſſe contemptus „.

Dicimus II. Præceptum Sacramenti Pænitentiæ non obligare ſtatim poſt commiſſum peccatum; neque ſtatim ac occurrit menti peccatum commiſſum; & multo minus obligare toties quoties peccati quis reminiſcitur.

I. Pro-

Digitized by Google

I. Probatur Concluſio. Nullum aſſerendum eſt eſſe præceptum, ubi nullum eſt peccatum in transgreſſione præcepti; ſed uullum eſt peccatum, ſi homines non confiteantur ſtatim ac mortaliter peccant, vel ſtatim ac commiſſi peccati recordantur: ergo nullum eſt præceptum. Major eſt certa; quia ubi eſt peccatum, ibi ſupponitur præceptum: ergo ubi non eſt peccatum, præceptum uon ſupponitur. Minor etiam conſtat, quia hoc importaret onus nimis grave in iis, qui aliquando peccant, & pariter in Confeſſariis, ut illos interrogarent, a quo tempore peccaverint, ut diſcernerent, quot alia peccata commiſerint, differendo Confeſſionem illorum, quæ commiſerunt, & poſtmodum confitentur; quod eſt contra communem praxim Eccleſiæ.

II. Probatur. Præceptum pænitentiæ Sacramenti eſt affirmativum, non negativum: ergo non obligat ſemper, & ad ſemper: ergo pro aliquo determinato tempore obligat; atqui hoc determinatum tempus non eſt, niſi illud, quod præſcribit Eccleſia: ergo præter hoc non eſt aliud determinatum tempus, quo pænitentiæ Sacramentum obliget fideles ad confitendum; atqui in hoc determinato tempore non continetur nec tempus immediate ſubſequens peccatum commiſſum, nec tempus, quo commiſſi peccati peccator recordatur: ergo &c.

III. Probatur. Aſſignant Doctores tempora, quibus Peccatores tenentur ſub præcepto confiteri; ſed inter hæc non inveniuntur illa, quæ in noſtra Concluſione excluſimus: ergo in illis non tenentur peccatores ſub præcepto confiteri. Probatur Major. Hæc ſunt tempora, quæ Theologi aſſignant apud Gormaz citato loco; primo ſcilicet, quod jure divino teneantur per ſe Fideles ad confitenda peccata ſua mortalia in articulo mortis; ſecundo, quod ſit præceptum divinum de confeſſione, ſaltem per accidens, quando quis intendit illud, ad quod jure divino neceſſaria eſt Confeſſio; quando nimirum Euchariſtiam vult ſumere &c.; tertio, quod obliget hoc præceptum ſemel in anno; at inter hæc tempora non comprehenduntur illa, quæ nos in Concluſione excluſimus; ergo &c.

Objiciunt I. Ex communi Patrum ſenſu pænitentia debet eſſe perpetua: ergo quia ſemper obligat, obligat quoque, quoties peccator peccatorum ſuorum recordatur. II. Quilibet tenetur ſuccurrere & ſibi, & proximo ſuo, ſtatim ac cognoſcit eſſe in gravi aliqua neceſſitate corporali conſtitutum: ergo a fortiori tenetur ſuccurrere ſibi, ſtatim ac cognoſcit eſſe conſtitutum in gravi aliqua neceſſitate ſpirituali; ſed nulla major eſt neceſſitas ſpiritualis illius, qui eſt in peccato mortali conſtitutus: ergo &c. III. Qui alicui grave damnum intulit, ſtatim debet illud reficere, & damnum reſarcire: ergo a fortiori peccator tenetur ſtatim Deo ſatisfacere, & reſtituere honorem, quem abſtulit peccando. IV. Eſt grave peccatum, exponere ſe periculo graviter peccandi; ſed qui non confitetur ſtatim grave peccatum commiſſum, exponit ſe periculo iterum graviter peccandi: ergo &c. V. Peccat etiam graviter, qui ſe exponit periculo evidenti æternæ damnationis; ſed qui graviter peccat, & non confitetur, ſtatim exponit ſe periculo æternæ damnationis: ergo graviter peccat. VI. Præceptum contritionis non obligat ſemel, ſed quoties homo recordatur peccatorum ſuorum: ergo pariter præceptum Sacramenti pænitentiæ. VII. Homo per pænitentiam ſemel tantum exhibitam non ſatisfacit Deo integre, ſeu condigne: ergo tenetur pluries pænitere, & confiteri. VIII. Saltem qui poſiti ſunt in ſtatu perfectionis tenentur confiteri ſtatim ac peccant: ergo ſaltem pro his non verificatur noſtra Concluſio.

Reſpondemus ad I. dicendo, pænitentiam utique debere eſſe perpetuam; ſed negative; quatenus ſcilicet contritio ſemel habita de peccatis commiſſis, nunquam debet diſplicere, aut retractari; hujuſmodi enim diſplicentia, & retractatio eſt intrinſece mala, quia virtuti pænitentiæ, ex præcepto contritionis, ſpecialiter repugnat. Non debet autem eſſe perpetua poſitive, & affirmative, ita ut quocunque inſtanti obliget, vel quoties quis peccatorum ſuorum recordatur.

Ad II. Negatur paritas. Et ratio diſparitatis eſt, quia ſi ſemel vita corporalis amittitur, ea nunquam recuperari poteſt; bene tamen recuperari poteſt vita

vita ſpiritualis, quandiu homo vivit. Cæterum non tenetur quis ſtatim auxiliari Proximo, niſi remedium ſine periculo differri non poſſit, ut citatus Gribaldus aſſerit.

Ad III. Negatur etiam paritas; & idem Giribaldus rationem diſparitatis aſſignat, dicens „ quia homo per furtum patitur damnum in bonis ſibi utilibus, & ideo qui eſt in mora culpabili reſtituendi, eſt cauſſa, cur homo novum damnum patiatur; Deus vero non patitur damnum, & injuriam in rebus ſibi utilibus, nec etiam damnum patitur ex dilatione reſtitutionis, & ideo tenetur quis ſtatim reſtituere damnum illatum homini, non Deo „.

Ad IV. Dicitur, quod licet teneamur vitare periculum determinatum & certum graviter peccandi, non tamen tenemur vitare periculum graviter peccandi, quod ſit incertum & indeterminatum. Hoc tamen periculum in eo, qui ſtatim non confitetur peccatum ſuum, non eſt certum & determinatum, ſed indeterminatum, & incertum.

Ad V. Utique graviter peccat, qui ſe exponit periculo proximo æternæ damnationis; non ſic autem qui ſe exponit hujuſmodi periculo, quod ſit remotum, & veriſimiliter non futurum. In homine ſano, ait Giribaldus „ mors repentina raro, & in quibusdam ſolum contingit, quod proinde non eſt probabile periculum in omnibus; quod ſi talis mors repentina prævideretur, urgeret tunc præceptum pænitentiæ „.

Ad VI. Negatur antecedens; & ratio eſt, quia Deus non exigit in Scripturis a Peccatore, niſi ut ex toto corde conteratur, & ad ipſum convertatur; non vero ut ſæpius de eodem peccato conteratur; quod nos firmavimus in hoc eodem volumine ſeptimo Diſſert. 357. Concluſ. 2. & 3.

Ad VII. Sic reſpondet citatus Giribaldus, negando ſcilicet conſequentiam, „ quia ſatisfactio per pænitentiam de peccatis ſemel exhibita Deo, talis eſt, qualis ab ipſo Deo offenſo exigitur; & ab eo ita acceptatur, ut totam culpam, & injuriam remittat; & inde homo debitor perinde ſe habet, ac ſi integre ſolviſſet, nec ex præcepto tenetur amplius illa peccata deteſtari, quanvis ſanum conſilium ſit, ut optime advertit Layman lib. 5. tract. 6. cap. 2., circa peccatum memoriæ, vel apprehenſioni actuali infixum exercere actum diſplicentiæ; & interdum per accidens erit neceſſarium, ſi adſit periculum labendi in moroſam delectationem „.

Ad VIII. Negatur antecedens; Concluſio enim de omnibus procedit, quum non legatur præceptum, de quo loquimur, aliis, & non aliis, a Chriſto, vel ab Eccleſia, impoſitum; ſed nemini dicimus eſſe datum, niſi in caſibus illis, quos in tertia probatione enumeravimus.

DISSERTATIO CCCLXIX.

De neceſſitate Sacramenti Pœnitentię . An fuerit in qualibet lege neceſſarium? An ſit neceſſarium in lege evangelica? Et qua neceſſitate ?

QUanvis fuerit in cujuscunque legis ſtatu neceſſaria Pænitentia , non tamen fuit in quacunque lege pęnitentię Sacramentum neceſſarium. In ſtatu enim legis ſcriptæ nullam legimus Sacramenti Pænitentiæ , vel inſtitutionem , vel neceſſitatem , vel exiſtentiam , vel uſum ; quanvis pænitentia fuerit in lege veteri ad remiſſionem peccati neceſſaria , ut eſt pariter in nova . Attamen non fuit eodem modo , quia in lege veteri non fuit dictum , ut dictum eſt in lege nova; *quorum remiſeritis peccata , remiſſa ſunt , & quorum retinueritis,retenta ſunt* : Deus enim noluit Antiquis beneficium hoc ad peccatorum remiſſionem præſtare, quod reſervabat legis novæ filiis ; ac proinde pænitentia non erat eodem modo neceſſaria in lege antiqua, ut eſt neceſſaria in nova lege . Et quanvis in illa lege præciperetur confeſſio aliqua legalis , nullibi tamen præcepta invenitur confeſſio ſacramentalis ; quod ſic explicat citatus Gormaz ; „ quia in
„ lege veteri ſolum præcipiebatur con-
„ feſſio de aliquibus peccatis exteriori-
„ bus, non de internis, quæ nos ipſi te-
„ nemur fateri , adeoque ea Confeſſio
„ erat tantum figura noſtræ . Confite-
„ bantur autem illi ea peccata externa
„ graviora per certa quædam ſacrificia,
„ quæ pro illis peccatis deſtinabantur,
„ & quæ tenebantur offerre , in quo ſa-
„ crificio conſiſtebat illorum confeſſio:
„ ea vero confeſſio nequaquam inſtituta
„ erat ad remittenda peccata , neque
„ gratiam cauſſabat : Sacerdotes enim
„ tunc diſcernentes inter lepram , & le-
„ pram , ſolum agebant de lepra corpo-
„ rali, judicantes qualis eſſet lepra , &
„ an eſſet perfecte ſanata ; illi vero ne-
„ que lepram corporalem , neque ſpiri-
„ tualem ſanare poterant , quum nequa-
„ quam ipſis datæ fuerint claves Regni
„ Cælorum : noſtra autem Confeſſio non
„ ſolum eſt de aliquibus, ſed de omnibus
„ peccatis , tum externis , tum internis,
„ conſtituitque cum ſacerdotali abſolu-
„ tione, & actibus Pænitentis,Sacramen-
„ tum remiſſivum , ad quod data fuit
„ poteſtas a Chriſto Domino Miniſtris
„ hujus Sacramenti, ut conſtat a num.3.„
„ adeoque confeſſio noſtra eſt vere ſa-
„ cramentalis ; ſecus autem confeſſio
„ legis antiquæ . „ .

Dicimus I. in lege naturæ , & in lege ſcripta, nullam fuiſſe neceſſitatem Sacramenti Pænitentiæ , nec *medii* ſcilicet, nec *præcepti* .

I. Probatur . Nulla eſt neceſſitas illius, quod Deus non inſtituit ; ſed in lege naturæ, & ſcripta, non inſtituit Sacramentum Pænitentiæ: ergo in ejuſmodi legibus nulla fuit hujuſmodi Sacramenti neceſſitas . Major eſt certa; Deus enim non poteſt nobis neceſſarium dare , quod ipſe non revelat , & per conſequens quod ipſe non inſtituit, aliter obligaret nos ad impoſſibile , Minor etiam eſt patens ; quia nullibi legitur ſcriptum in divinis voluminibus , quod Deus Sacramentum Pænitentiæ in lege naturæ , vel ſcripta, inſtituerit . Conſequentia ſequitur.

II. Probatur . Nulla neceſſitate neceſſarium dici poteſt , quod Deus non præcepit ; ſed Deus neque in lege naturæ, neque in lege ſcripta , Sacramentum

Pæ-

Pænitentiæ præcepit: ergo nulla neceſſitate in lege naturæ, & in lege ſcripta, Sacramentum Pænitentiæ dici potuit neceſſarium. Major negari non poteſt, quia Deus non deficit nobis in neceſſariis; defeciſſet autem, ſi nobis neceſſarium dediſset, quod ipſe non præcepiſset. Minor etiam eſt certa; quia hoc præceptum in Scripturis non legitur, nec ex traditione illorum temporum deducitur, nec habetur: ergo ſignum eſt, quod Deus hoc Pænitentiæ Sacramentum pro lege naturæ, & pro lege ſcripta, non præcepit, ſed aliud vice illius nobis remedium ſubminiſtravit.

III. Probatur ex ratione Scoti diſt. 17. num. 5. ubi probat, Confeſſionem ſacramentalem, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti Pænitentiæ, non eſſe faciendam de jure naturæ; & hæc ſunt ejus verba: *Dico, quod non tenetur quis præcepto legis naturæ ad confeſſionem peccati, de qua quæritur; quia tum hæc obligatio fuiſſet pro ſtatu, vel tempore cujuſcunque legis, quod falſum eſt; quia nec erat in ſtatu Innocentiæ, nec in ſtatu leges Moſaicæ.* Ad quæ verba ſubdit Fraſsen. „. Quaſi diceret: ſi homines tenerentur ad faciendam confeſſionem de jure naturæ, eam deberent facere pro tempore cujuſcunque legis; ſed hoc falſum eſt; ſiquidem obligatio ad talem confeſſionem non fuit in ſtatu innocentiæ, nec in ſtatu legis Moſaicæ; multo minus in ſtatu, qui præceſſerit eam legem: poſt primi hominis lapſum: igitur &c. „.

IV. Probatur. Jus naturale eſt idem apud omnes nationes, & quod ab ipſo præcipitur, naturæ inſtinctu habetur; ſed ita non eſt Sacramentum Pænitentiæ: ergo in lege naturæ non fuit. Major patet ex Iſidoro lib. 5. *Originum* cap. 4. *Ius naturale eſt idem apud omnes, & eſt commune nationum omnium, eo quod non aliqua conſtitutione, ſed inſtinctu naturæ ubique habetur.* Et ex Cicerone lib. 2. de Inventione. *Naturale jus eſt, quod non opinio genuit, ſed innata quædam vis inſeruit;* atqui Sacramentum Pænitentiæ nec a natura dictatur, nec apud omnes nationes fuit: ergo dici nequit fuiſſe in lege naturæ.

V. Probatur. Natura non dictat, quod unus homo fiat alterius hominis Judex, quod illi revelet ſcelera ſua occulta, quod ab illo ſcelerum ſuorum remiſſionem obtineat; ſed hæc omnia ingrediuntur eſſentiam Sacramenti Pænitentiæ: ergo dici nequit, quod Sacramentum Pænitentiæ fuerit in lege naturæ vel inſtitutum, vel præceptum, vel exercitatum.

Arguunt I. Ab hominibus in lege naturæ viventibus exigebatur peccatorum confeſſio a Deo, ut iiſdem peccata dimitteret; ſed Confeſſio eſt pars eſſentialis Sacramenti Pænitentiæ: ergo in lege naturæ fuit Sacramentum Pænitentiæ. Probatur major. Adam increpatus a Deo fuit, quod non confiteretur peccatum ſuum: illa enim verba Geneſis 1. *Adam ubi es?* dicit Gloſſa, quod important vocem increpantis, & Confeſſionem inquirentis. Cain damnatur pariter, quia Deo, qui interrogabat ipſum Genes. 4. *Ubi eſt Abel frater tuus?*, reſpondit; *neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego?* II. Job, qui in lege naturæ vivebat, dicit, ſe fuiſſe juſtificatum, quia peccatum, ſi quod comiſerat, confeſſus fuerat; ait enim cap. 13. *Si abſcondi, ut homo peccatum meum, & celavi in ſinu meo iniquitatem meam.* III. Levitici 16. præcipitur Iſraelitis, ut confiteantur peccata ſua; dicitur enim de Aarone, & de filiis ejus, qui Sacerdotes eſſe debebant, quod Sacerdos offerens hircum: *poſita utraque manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & univerſa delicta, atque peccata eorum:* & Joſue 7. ipſemet Joſue his verbis alloquitur Achan. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abſcondas.* IV. Propoſitio hæc: *homo tenetur confiteri peccata ſua alteri homini*; colligitur ex principiis naturalibus: ergo eſt de lege naturæ. Probatur antecedens. Principia naturalia ſunt hæc; *omnis Reus eſt judicandus per alium, & non per ſe ipſum, quia nullus poteſt eſſe judex in cauſſa propria;* Inſuper; *non poteſt judicari per aliam, niſi apud ipſum accuſetur*; denique; *non poteſt apud illum accuſari, maxime de peccato occulto, niſi reus ipſe delictum ſuum confiteatur*; atqui hæc omnia, & ſunt principia naturalia, hoc eſt naturaliter nota, & talia ſunt principia, ut ex ipſis evidenter inferatur hæc propoſitio: *homo tenetur confiteri peccata ſua alteri homini*: ergo &c.

Reſpondemus ad I., dicendo quod in lege naturæ, & in lege ſcripta, tenebantur homines ad confitendum peccata ſua coram Deo, cum animi dimiſsione, & contritione; unde inquit Scotus citato loco num. 6., quod hinc damnatus fuit Adam, *quia non debuit peccatum ſuum occultaſſe Deo, quia ipſe eſt Judex, cui manifeſtum eſt omne peccatum, & coram quo quilibet Reus debet recognoſcere peccatum ſuum; & hanc confeſſionem Dominus requiſivit ab eo, quam non ſolum non fecit, ſed peccatum ſuum excuſavit, retorquendo in mulierem, cum dixit, mulier, quam dediſti mihi ſociam &c. Unde illud non concludit, quod in illa lege eſſet Confeſſio facienda Deo increpanti.* Idem dici debet de Caïn.

Ad II. Non loquitur Job de peccatorum manifeſtatione, quæ fieri debet coram hominibus, ſed de illa, quæ ſit coram Deo, & per quam homo ſe coram Deo profitetur peccatorem, & veniam ab ipſo exorat; quod explicat Gregorius Magnus lib. 22. Moralium cap. 9. *Hæc veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce Confeſſionis aperire; at contra uſitatum generis humani vitium eſt, & latenter peccatum committere, & commiſſum abſcondere, & convictum defendendo multiplicare; ex illo quippe lapſu primi hominis hæc argumenta nequitiæ ducimus, ex quo ipſam radicem traximus culpæ.*

Ad III. dicit Scotus citato num. 6. *quod in tota lege moſaica non fiebat iſta Confeſſio, de qua loquimur, ſed de peccatis occultis tantum Deo fiebat Confeſſio, de quibuſdam tamen defectibus publicis, & obſervantia legalium fiebat Confeſſio, & uniuſcujuſque, quando ſcilicet offerebat pro tali delicto ſacrificium, & generalis Confeſſio Sacerdotis pro populo erat iſta;* injuſte egimus, peccavimus: *& hujuſmodi. Et iſto modo publica confeſſio Sacerdotis erat quædam diſpoſitio ad petendum miſericordiam Dei populo; ſicut & modo in Eccleſia; non Confeſſione iſta, de qua loquimur, confitemur nos peccaſſe, & petimus miſericordiam, & nobis, & toti populo.* Ex quibus ſcribit Fraſſen: ,, Unde omnes Confeſſiones, quæ fiebant in veteri lege, non erant ſacramentales, ſed erant duntaxat peccati declarationes privatæ, vel publicæ, quæ fiebant aut coram Deo, ad impetrandum veniam, vel coram legitimo judice ad judicium formandum de aliquo admiſſo crimine; quemadmodum Achan interpellatus eſt a Joſue, ut admiſſum a ſe crimen fateretur, quatenus de ea juridica ferri poſſet ſententia ,,.

Ad IV. Ex Scoto eodem hæc reponit citatus Fraſſen. ,, Concedendo quidem iſta principia nota eſſe lumine naturali, aut ſaltem valde conformia propoſitioni notæ per lumen naturale, nempe quod Reus eſt judicandus; quia nullum delictum relinquendum eſt impunitum in univerſo, ſi eſt unus Rector Univerſi juſtus, quod eſt notum naturaliter. Similiter notum eſt, quod judicandus ſit ab alio; ſed non eſt notum naturaliter, quis ſit iſte alius, niſi Deus. Unde pro omni ſtatu poſt lapſum omnes Juſti, qui habuerunt fidem de Deo, quod erat Rector Univerſi juſtus, poſtquam peccaverunt contra legem Dei, confitentur Deo peccata ſua, petentes ab eo remiſſionem, ſcientes eum ſine tali remiſsione, tanquam juſtum judicem vindicaturum de illo peccato; non eſt autem naturaliter notum, quod unus homo debeat ſe accuſare alteri homini, maxime de peccatis occultis; quia, inquit Doctor, num. 8., *nullus homo poteſt eſſe judex peccati hominis, niſi ut miniſter ſummi judicis; hoc autem modo, ſcilicet eſſe miniſtrum Judicis in vindicando, vel puniendo peccatum commiſſum, magis conceſſum eſt unicuique reſpectu ſui, quam uni reſpectu alterius. Unicuique enim committit Deus, ut ſit miniſter Dei in vindicando peccatum proprium, in infligendo ſibi diſciplinam, & triſtitiam pro illo peccato; non ſic autem notum eſt, quod conceſſerit alicui reſpectu alterius.* Et ſi arguas, quod in republica humana unus eſt judex alterius: reſpondeo: verum eſt de illis, quæ poſſunt ſibi innoteſcere in illo judicio, cujuſmodi ſunt peccata publica.

Dicimus II. Sacramentum Pænitentiæ, vel in re, vel in voto, illis, qui peccaverunt, eſſe neceſſarium in lege evangelica, & *neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti*.

Prima Concluſionis pars probatur I. ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. *Eſt autem hoc Sacramentum Pænitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad*

ſolu-

ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus. Et cap. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ iam explicata univerſa Eccleſia ſemper intellexit, etiam inſtitutam eſſe a Deo integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere; quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad Cælum, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Chriſti Fideles ceciderint, qua pro poteſtate Clavium, remiſſionis, ac retentionis, peccatorum ſententias pronunciēt. Conſtos enim, Sacerdotes judiciū hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pænis iniungendis ſervore potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie ac ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent ...... Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti Fideles confiterentur, quod jure divino, neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cum ad annos diſcretionis pervenitur, impleretur &c.* Et can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum, neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta; .... anathema ſit*.

II. Probatur. De jure divino Sacerdos habet poteſtatem remittendi & retinendi peccata: ergo pariter de jure divino Peccator habet obligationem confitendi peccata. Antecedens ſupponimus certum ex probatis ſupra; Conſequentia probatur. Poteſtas, quam habet Sacerdos non eſt ad nihil; ſed eſſet ad nihil, ſi poſita illius poteſtate, peccator ex jure divino non haberet obligationem confitendi peccata: ergo ſi Sacerdos, habet poteſtatem remittendi & retinendi peccata, peccator pariter ex jure divino habet obligationem confitendi peccata. Probatur minor. Peccata, quæ aliquis non confitetur, nec remitti poſſunt, nec retineri; ergo ſi peccator ex jure divino non haberet obligationem confitendi peccata, poteſtas, quam habet Sacerdos remittendi, vel retinendi peccata, eſſet ad nihil.

III. Probatur. Sacramentum Baptiſmi eſt neceſſarium in lege evangelica vel in re, vel in voto, & neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti; ſed non ob aliud eſt neceſſarium, quam quia ſupponitur peccatum originale, quod deleri non poteſt, niſi per baptiſmum, vel in re, vel in voto: ergo quia etiam ſupponitur peccatum actuale, quod deleri non poteſt, niſi per pænitentiæ Sacramentum, hoc Sacramentum eſt in lege evangelica neceſſarium vel in re, vel in voto, tam neceſſitate medii, quam neceſſitate præcepti.

Objiciunt I. Poteſtas retinendi peccata non eſt abſoluta, ſed conditionata, ſcilicet ſi velit pænitens ſubjicere clavibus peccata ſua: ergo ex hac poteſtate non deducitur præceptum Sacramenti Pænitentiæ. II. Sufficit votum Sacramenti Pænitentiæ: ergo non eſt neceſſaria illius ſuſceptio. III. Sacramentum Pænitentiæ dicitur datum ad ſalutem animarum; ſed ſalus animarum haberi poteſt per ſolam contritionem: ergo non eſt præceptum ſubiiciendi clavibus peccata: ergo non eſt præceptum ſuſcipiendi Sacramentum Pænitentiæ. IV. Præceptum quodlibet debet continere tempus, quo obliget; ſed non aſſignatur tempus, quo obliget Sacramentum Pænitentiæ: ergo de Sacramento pænitentiæ nullum datur præceptum.

Reſpondemus ad I. negando, præceptum pænitentiæ eſſe conditionatum; quia ſi ſic eſſet, conditio dependeret a voluntate peccantis, & hic nunquam induceretur, ut peccata ſua alteri aperiret, præcipue quando ſciet, quod peccata ſua eſſent retinenda. Verum quidem eſt, quod hoc præceptum ſupponit peccata, & in aſſenſu poteſt dici conditionatum. Sed hoc non facit, quod ſuppoſito peccato, vere præceptum pænitentiæ non ſit abſolutum. Aliud enim eſt, quod conditio dependeat a voluntate ſuſcipientis, an velit, vel nolit illud ſuſcipere, aliud eſt, quod ſupponat peccatum; quo poſito abſolute quisquis teneatur illud ſuſcipere.

Ad II. Dicimus nos in Concluſione, eſſe neceſſarium Sacramentum Pænitentiæ, vel in re, vel in voto; in voto quidem, ubi non eſt tempus confitendi, vel non eſt copia Confeſſarii; at ubi

ubi hæc neceſſitas locum non habet, eſt neceſſarium in re; unde Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. docet. *Reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*. Ex quibus verbis infertur, quod etiam remiſſo peccato per contritionem, remanet onus Confeſſionis, ubi tempus adeſt confitendi, & copia Confeſſarii.

Ad III. Diſtinguitur major; Sacramentum Pænitentiæ dicitur datum ad ſalute animarum tantum, negatur; ad ſalutem animarum, & ad honorem divinum vindicandum in hoc Tribunali per congruam, vel condignam injuriæ ultionem, conceditur. Et hinc eſt, quod etiam obtenta ſalute, peccata ſunt deferenda ad hoc divinum Tribunal, ut in ipſo jus divinum læſum, judicialiter reparetur.

Ad IV. Negatur, quod præceptum Pænitentiæ non contineat tempus, quo ipſum obliget. Et quanvis hoc tempus non fuerit expreſſe a Chriſto Domino inſtitutum, reliquit tamen Chriſtus hanc provinciam Eccleſiæ ſuæ, ut ipſum determinaret; ut videbimus, quando de præcepto ſacramentalis Confeſſionis erit ſermo.

DISSERTATIO CCCLXX.

De Contritione perfecta. In quo ejus eſſentia conſiſtat?

Upponimus primo, Contritionem duplicem eſſe, perfectam ſcilicet, & imperfectam. Perfecta eſt illa, quæ abſolute vocatur Contritio; Imperfecta eſt illa, quæ dicitur Attritio. In quo conſiſtat utriuſque eſſentia, non una eſt Theologorum ſententia; de Contritione perfecta in præſenti diſſertatione inquirimus, & determinamus; de Imperfecta vero, quæ eſt Attritio, ſuo loco loquemur.

Supponimus II. Concilium Tridentinum loqui expreſſe de contritione perfecta, non tamen determinare explicite rationem formalem, in qua ipſa conſiſtat. Et quidem ſeſſ. 14. cap. 4. duo docet, quæ comprehenduntur his verbis: *Contritio, quæ primum locum inter dictos Pænitentis actus habet, Animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem, non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis; & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et certe, qui illos Sanctorum clamores conſideraverit: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios hujuſmodi generis: facile intelligit, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Quibus verbis duo videtur Concilium declaraſſe, unum ſcilicet, quod ali-

aliquando contingat, contritionem charitate eſſe perfectam, & hominem Deo reconciliare, antequam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur; alterum vero, quod reconciliatio non ſit adſcribenda ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in ipſa includitur,

Supponimus III., quod nomine charitatis hoc in loco ſupponenda eſt veri nominis Charitas, ſcilicet *amor Dei propter ſe ipſum*. Cæterum apud Patres, & Eccleſiæ Doctores, & præcipue apud Sanctos, Auguſtinum & Thomam, ſub charitatis nomine intelligitur quilibet amor boni, & recti in genere, quodcunque ſit illud bonum, ſive morale, ſive ſupernaturale, Et in hoc ſenſu intelligunt Theologi Auguſtini verba lib. *de Gratia Chriſti* cap.21., *quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam Charitas*: & lib. *de moribus Eccleſiæ* cap.15., *quælibet virtus eſt ordo amoris*: & hæc verba S. Thomas refert & explicat prima ſæcundæ quæſt. 62. art. 2. ad 3. *Licet charitas ſit amor, non tamen omnis amor eſt charitas. Cum ergo dicitur, quod omnis virtus eſt ordo amoris, poteſt intelligi vel de amore communiter dicto, vel de amore charitatis. Si de amore cõmuniter dicto, ſic dicitur quælibet virtus eſſe ordo amoris, in quantum ad quamlibet cordinalium virtutum requiritur ordinata affectio; omnis autem affectionis radix, & principium eſt amor. Si autem intelligatur de amore charitatis, non datur per hoc intelligi, quod quælibet alia virtus eſſentialiter ſit charitas; ſed quod omnes aliæ virtutes aliqualiter a charitate dependeant*, Et 2.2. q. 17. art. 8. in corp. *Spes, & omnis appetitivus motus ex amore derivatur, ut ſupra habitum eſt, cum de paſſionibus ageretur. Amor autem quidam eſt perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidam amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur; utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ſe ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo ſecundum ſeipſum; ſed ſpes pertinet ad ſecundum amorem; quia ille, qui ſperat, aliquid ſibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis ſpes prior eſt charitate*. Et q. 19. art. 6. in corp. *Amor ſui tripliciter ſe poteſt habere ad charitatem; Uno enim modo contrariatur charitati, ſecundum quod aliquis in amore proprii boni finem conſtituit: alio vero modo in charitate includitur, ſecundum quod homo ſe propter Deum, & in Deo diligit: tertio modo a charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur: puta cum aliquis diligit ſe ipſum, ſecundum rationem proprii boni, ita tamen, quod in hoc proprio bono non conſtituat finem. Sicut etiam & ad proximum poteſt eſſe aliqua ſpecialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad Charitatem*. Ex quibus verbis infert Tournely, quod juxta S. Thomam detur quidam amor rectus & honeſtus, qui tamen non ſit amor charitatis, proprie dictæ. Et hanc doctrinam, ſubdit idem modernus Theologus *de Sacram. Pœnit.* q.4. art.1., quod Angelicus hauſerat ex S. Auguſtino multis in locis, & præcipue ſerm. 349. alias 52. *de Tempore*, ubi duplicem diſtinguit charitatem, unam divinam, alteram humanam, vel licitam, vel illicitam,

Supponimus IV. duo, quæ pariter infert citatus Tournely, & quæ ſuis formalibus verbis hic adnectimus„ Primum,
„ nomine, & auctoritate S. Auguſtini
„ Janſenianos abuti, cum multa ex illo
„ Doctore teſtimonia promiſcue conge-
„ rant, ut probent, ſine charitate quam-
„ libet hominis actionem vitioſam eſſe,
„ ac verum peccatum, ſaltem omiſ-
„ ſionis. Certum etenim eſt, S. Docto-
„ rem nomine charitatis non ſemper in-
„ telligere charitatem proprie dictam,
„ ſeu amorem Dei propter ſe ipſum, ſed
„ generatim quemlibet recti & boni
„ amorem, Secundum, falſum prorſus
„ eſſe charitatem, vel habitualem, vel
„ actualem perfectam, vel actualem in-
„ choatam, & imperfectam, neceſſariam
„ eſſe, ut actus moralis bonus ſit, non
„ verum, ſaltem ex omiſſione, pec-
„ catum, Primus error fuit Joannis Hus
„ in Concilio Conſtantienſi proſcri-
„ ptus ſeſſ. 15. Secundus error fuit Baii,
„ ut conſtat ex trigeſima octava propo-
„ ſitione inter Bajanas. Tertius denique
„ error eſt diſcipulorum Baii, qui nul-
lum

» lum actum medium agnoſcunt, qui
» non ſit, aut ex charitate proprie di-
» cta, aut ex vitioſa cupiditate; atque
» omnia non tantum Infidelium opera,
» ſed etiam Fidelium, vera eſſe pecca-
» ta, ſaltem commiſſionis contendunt,
» eo ipſo, quo per veram charitatem
» actualem ad Deum, tanquam ad ulti-
» mum finem, non referuntur; unde
» manifeſte ſequitur, actus fidei, ſpei,
» timoris ſupernaturalis, ſi ex charita-
» te non ſint, vera eſſe peccata. Putida
» argutia eſt, quod ajunt, omiſſionem
» illam culpabilem non cedere in actio-
» nem ipſam, quæ bona ſupponitur ex
» officio, & fine proximo, ſed cadere
» in ipſum operantem. Nanque ſic actio
» quælibet moralis, ut bona ſit, non
» verum omiſſionis peccatum, referri
» ad finem ultimum ex vera charitate
» debeat, certe defectus ille relationis
» in ipſam actionem directe cadit, eam-
» que vitiat ac inficit; moralis enim
» actio, in mente Adverſariorum, bo-
» nitatem ſuam deſumit, non tantum
» ex objectio, officio. & fine proximo,
» ſed ex relatione ad finem ultimum,
» qua relatione deficiente, actio verum
» peccatum eſt, quo primum ac maxi-
» mum amoris Dei mandatum violari
» clamitant. Non abſimili argutia, &
» fraudolenta diſtinctione actionis, &
» agentis, abuſus fuerat Janſenius lib. 5.
» *de gratia Chriſti* cap 21. ut efficiat ti-
» morem pænæ, ex ſe ipſo quidem re-
» ctum, ex parte vero timentis, qui
» eum ex motivo charitatis non refert
» ad Deum, tanquam ad finem ultimum,
» vitioſum. Quantum porro iſta remo-
» ta ſint, & aliena a catholica doctrina,
» norunt omnes Orthodoxi: habent
» enim virtutes fidei, ac ſpei, & aliæ
» morales, proprium ſuum objectum, &
» motivum a charitate ipſa diſtinctum;
» quæ cum in ordine ad finem ſuperna-
» ralem in actus ſuos erumpere non
» poſſint, ſine auxilio divinæ gratiæ,
» conſequenter bonam aliquam volun-
» tatem, & aliquid dilectionis inclu-
» dunt, quod nomine charitatis donari
» poteſt, non quidem proprie, ac ſtri-
» cte ſumptæ, quatenus eſt virtus Theo-
» logica, ſed generatim, quatenus eſt
» amor recti, ſeu, ut ait Auguſtinus,
» *quatenus omnis virtus eſt ordo amoris*;
» tametſi, ut advertit S. Thomas, *om-*
» *nis amor non ſit charitas* Erat hic pro-
» fecto D. Auguſtini ſenſus lib. *de gratia*
» *& libero arbitrio* cap. 18. cum dicebat:
» *Præcepto dilectionis, (ut invicem dili-*
» *gamus) admonitum eſt liberum arbi-*
» *trium, ut quæreret Dei donum; quod*
» *quidem ſine ſuo fructu prorſus admone-*
» *retur, niſi prius acciperet aliquid dile-*
» *ctionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod*
» *jubebatur impleret*. Gratiam excitan-
» tem hic *dilectionem* appellat Auguſti-
» nus, ſicut *charitatem* dixerat eſſe bo-
» nam voluntatem. *Quid eſt charitas,*
» *niſi bona voluntas*. ».

Supponimus V. multas & varias fuiſſe Scholaſticorum opiniones in explicanda perfectæ contritionis eſſentia, quas hic breviter recitabimus. Prima eſt veterum quorundam, qui aſſerebant, perfectam contritionem illam eſſe, quæ vel formaliter informatur gratia habituali, ſeu ſanctificante, vel ipſius eſt effectus, natura tamen poſterior; proinde omnem dolorem de peccatis immo & Dei amorem, qui præcedebat gratiæ habitualis infuſionem, tribuebant attritioni, ſeu imperfectæ contritioni. Hanc opinionem dicit obſoletam Tournely, & de ea lopuitur Morinus lib. 8. *de Pænit.* cap. 2. 3. & 4. Secunda opinio dicit, perfectam Contritionem eſſe charitatem, ſeu amorem Dei perfectum, qui eſt ſuper omnia, ſicut imperfectus eſt, qui eſt initialis dumtaxat, & non ſuper omnia: unde contritio perfecta eſt ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia; imperfecta vero non ſic. Tertia opinio exigit in omni vero, & ſincero Dei amore, ut ſit ſuper omnia; & diſtinguit charitatem, & Contritionem perfectam, quæ juſtificat, ab imperfecta, quæ non juſtificat, quia illa eſt intenſior, hæc vero remiſſior. Quarta opinio vult perfectum amorem Dei eſſe illum, qui verſatur circa Deum in ſe ſumme bonum, & perfectum, qui nullum habeat explicitum reſpectum ad proprium amantis commodum; imperfectum vero, ſeu minus perfectum, qui ex ſe eſt impar homini juſtificando, vult eſſe illum, qui verſatur circa Deum, ut nobis bonum, nimirum quatenus eſt noſtra felicitas & beatitudo ultima. Primum amorem vocant amicitiæ, & benevolentiæ, qui proprius eſt Charitatis; ſecundum vero dicunt Concupiſcentiæ, qui proprius eſt Spei. Et conſequenter ad hæc docent, quod contri-

tio

tio perfecta ſit, quæ procedit ex amore Dei, quatenus in ſe eſt abſolute ſumme bonus; & quod imperfecta, ſeu attritio ſit, quæ concipitur ex motivo amoris Dei, quatenus eſt noſtrum bonum, noſtra felicitas, & finis ultimus. Unde concludunt, quod primi amoris objectum eſt bonitas Dei abſoluta, poſterioris vero eſt bonitas Dei ad nos relativa.

Supponimus VI. duos quoad hæc emergere poſſe errores, qui declinandi omnino ſunt, & quos his verbis deſcribit Tourrely. „. Primus eſt Quie-
„ tiſtarum, qui ſpecificum charitatis
„ motivum ita conſtituunt in conſide-
„ ratione divinæ bonitatis in ſe, & ab-
„ ſolute, ſine ullo ad nos reſpectu, ac
„ ordine, ut motivum propriæ felici-
„ tatis æternæ, non ſolum ab actu fluen-
„ te & tranſitorio charitatis, ſed etiam
„ ab ejus habitu permanente, non ab-
„ ſtrahendo tantum, ſed etiam exclu-
„ dendo, rejiciant. *Datur habitualis ſta-*
„ *tus*, ait prima propoſitio ex viginti,
„ quas Innocentius XII. confixit anno
„ 1699., *qui eſt charitas pura, & ſine*
„ *ulla admixtione motivi proprii intereſſe.*
„ ... *Neque timor pænarum, neque deſi-*
„ *derium remunerationum habens amplius*
„ *in eo partem. Non amatur amplius*
„ *Deus propter meritum, neque propter*
„ *perfectionem, neque propter felicitatem*
„ *in eo amando inveniendam*. Scilicet
„ exiſtimant illi, poſſe animam ad eum
„ perfectionis ſpiritualis ſtatum fixum
„ ac permanentem devenire, in quo
„ ſola divinæ bonitatis & infinitæ con-
„ ſiderατione perfectionis ſic abſorta
„ eſt, ut de ſua propria æterna beati-
„ tudine in Deo conſequenda non tan-
„ tum per abſtractionem mentis am-
„ plius non cogitet, verum etiam om-
„ ne iſtud proprii commodi, & æternæ
„ motivum beatitudinis excludat, &
„ rejiciat, nullum ſpei, ac cæterarum
„ exercitio virtutum locum relinquens,
„ quem errorem jamdiu ab Eccleſia
„ in veteribus Gnoſticis & ætate noſtra
„ in Molinoſo, cæteriſque Quietiſtis,
„ proſcriptum, refellere, non eſt præ-
„ ſentis noſtri inſtituti, ſed pertinet ad
„ Tractatum de virtute charitatis, &
„ ſpei. In eo igitur ſtatu anima ſui pe-
„ nitus oblita, ac quaſi torpens, non
„ agit, ſed patitur; nec deſiderio ſuæ
„ beatitudinis excitatur, nec ullo affi-
„ citur proficiendi ſtudio, nec illi cu-
„ ræ eſt, inordinatos concupiſcentiæ
„ motus reprimere, quibus fræna in-
„ temperanter laxat. Alter erroris
„ ſcopulus hic declinandus eſt Luthe-
„ ranorum, & ipſorum etiam Quieti-
„ ſtarum, quibus placet, amorem Dei
„ ex motivo æternæ mercedis conſe-
„ quendæ conceptum, mercenarium
„ eſſe, impurum, illicitum. Ex quo vir-
„ tutis ſpei fundamenta concuti, &
„ omnino everti, nemo non videt. Ab
„ hoc duplici vitioſo exceſſu æqualiter
„ recedunt Orthodoxi Theologi, quan-
„ quam inter ſe nonnihil diſſentiant
„ circa formale ac ſpecificum charita-
„ tis objectum. Quanvis enim com-
„ munis hæc videatur eſſe ſententia,
„ primarium ac ſpecificum charitatis
„ objectum Deum eſſe, quatenus in ſe
„ & abſolute ſumme bonus eſt ac per-
„ fectus; ſunt tamen qui exiſtimant,
„ Deum ut nobis bonum, hoc eſt qua-
„ tenus eſt noſtra felicitas ac finis ulti-
„ mus, eſſe quoque objectum formale
„ & ſpecificum charitatis, non quidem
„ primarium, at ſecundarium, ſaltem
„ primario ſubordinatum; adeoque
„ amorem Dei conceptum ex motivo
„ æternæ felicitatis in Deo conſequen-
„ dæ a vera & propria charitate elici
„ contendunt. Alii vero, etſi conce-
„ dant, motivum æternæ felicitatis ab
„ actu charitatis nonniſi per abſtractio-
„ nem mentis divelli, quia nempe eo in
„ actu mens non attendit ad ſuam pro-
„ priam beatitudinem, non vero per
„ excluſionem, ſiquidem charitas actus
„ ſpei imperat, ſicut viciſſim ſpes ad
„ charitatem ducit; volunt tamen pro-
„ prium ſpecificum formale, & ade-
„ quatum motivum charitatis eſſe
„ Deum in ſe abſolute ſumme bonum,
„ ſine ullo ad nos explicito reſpectu;
„ formale vero motivum ſpei eſſe
„ Deum, quatenus nobis bonus, ſeu
„ quatenus eſt noſtra beatitudo, & finis
„ ultimus: & conſequenter amorem
„ Dei conceptum ex motivo noſtræ
„ beatitudinis, non ad charitatem, ſed
„ ad ſpem referendum eſſe arbitrantur;
„ atque ex eo duntaxat capite repeten-
„ dum diſcrimen amoris perfecti, &
„ imperfecti, ſeu illius, qui eſt a cha-
„ ritate, quæ per ſe hominem Deo re-
„ conciliat, & illius, qui eſt a ſpe, quæ
„ per ſe non reconciliat hominem Deo
„ ſine Sacramento. In hac graviſſimo-
„ rum Auctorum pugna iſtud ſaltem

„ certum, & ex utraque parte conceſ-
„ ſum videtur, quod noſtræ præſenti
„ quæſtioni ſufficeret, nempe actum
„ amoris Dei, qui concipitur ex moti-
„ vo divinæ bonitatis, in ſe abſolute &
„ ſimpliciter conſideratæ, perfectiorem
„ eſſe alio, qui concipitur ex motivo
„ noſtræ felicitatis æternæ; ſiquidem
„ motivum iſtud poſterius eſt tantum
„ objectum charitatis ſecundarium,
„ aliud vero eſt primarium; unde ſe-
„ quitur, charitatem illam, & contri-
„ tionem perfectam eſſe ac parem ho-
„ mini juſtificando, cujus motivum
„ primarium eſt ſuprema & infinita Dei
„ bonitas, ac perfectio in ſe abſolute
„ conſiderata; illam vero non eſſe ita
„ perfectam, nec parem homini juſti-
„ ficando ante Sacramentum, cujus
„ motivum formale eſt propria felici-
„ tas in Deo conſequenda.

Dicimus I. Amorem Dei poſſe eſſentialiter eſſe verum, & non eſſe perfectum; eſſe verum, quando eſt ſuper omnia; ſuper omnia autem eſſe amorem Dei, ſive perfectus ſit, ſive imperfectus, dummodo ſit verus.

Prima Conclusionis pars I. probatur. Amor Dei eſſentialiter verus importat omnem, & quemlibet Dei amorem generatim acceptum, prout ſcilicet abſtrahit ab amore ſive perfecto, ſive imperfecto: ergo amor Dei, ſive ſit perfectus, ſive imperfectus, dummodo ſit ſuper omnia, ſemper eſt verus: ergo amor Dei poteſt eſſe verus, & non eſſe perfectus. Probatur antecedens. Amor Dei exigit eſſentialiter, ut ſit ſuper omnia, aliter non eſſet amor Dei verus: ergo amor Dei verus importat eſſentialiter omnem, & quemlibet amorem Dei generatim acceptum, ut ſcilicet abſtrahit a perfecto, & ab imperfecto. Probatur conſequentia. Amor Dei perfectus importat perfectionem amoris, quæ determinat illum ad ſpeciem perfectam; ſed hæc perfectio ſpecialis non deſumitur ex eo, quod amor ſit ſuper omnia, ſed ex motivo ſpeciali amoris, quod dicatur Charitas, & quod tendat ad Deum, ut in ſe ſumme bonum & perfectum: ergo amor Dei ſive ſit perfectus, ſive imperfectus, dummodo ſit ſuper omnia, ſemper eſt verus; adeoque non eſt idem amor Dei verus, & amor Dei perfectus.

II. Probatur. Amor Dei ſuper omnia, quicunque ſit, includit ſemper, & neceſſario vel formalem, vel ſaltem virtualem voluntatem obſervandi Dei mandata, & ipſi placendi in omnibus. Hoc poſito, dupliciter dici poteſt amor Dei ſuper omnia, *ſimpliciter* ſcilicet, & *ſecundum quid*; primo modo, quando quis refert ſeipſum explicite in Deum, ita quidem, ut ſuum ultimum finem, tam objectivum, quam ſubjectivum poſitive & explicite conſtituat in Deo; & hoc modo dicitur ſuper omnia ſolus amor Charitatis proprie dictæ: ſecundo modo, quando aliquis ita eſt diſpoſitus, ut velit omnia perdere, etiam vitam, potius quam Deum offendere, licet nondum ſemetipſum in Deum expreſſe referat, nec ſuum ultimum finem ſubjectivum in ipſo reponat: ergo poteſt ſtare, quod amor Dei ſit ſuper omnia, adeoque verus, & non ſit perfectus, ſcilicet Charitatis.

III. Probatur. Scripturæ, & Patres commendant, & exigunt in juſtificatione Impii amorem Dei verum, non autem amorem Dei perfectum: ergo non eſt idem amor Dei verus, & amor Dei perfectus. Probatur Antecedens. Scripturæ, & Patres commendant & exigunt in juſtificatione Impii amorem Dei ſuper omnia; ſed amor Dei ſuper omnia poteſt eſſe verus, abſque eo quod ſit perfectus; ergo Scripturæ, & Patres ſupponunt amorem Dei verum, abſque eo quod ſit perfectus. Probatur major ex Scripturis. Matth. 22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc eſt maximum & primum mandatum.* Marci 12. *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua; hoc eſt primum mandatum.* Lucæ 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Verba autem hæc intelligenda eſſe de amore Dei ſummo, appretiativo, ſeu ſuper omnia, non vero intenſivo, & quoad gradum, ex Scripturis pariter tam veteris, quam novi teſtamenti patet; ſcilicet Deuteronomii 4. *Cum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione ani-*

animæ tuæ. Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*. Patet etiam ex Patribus, nimirum Chryſoſtomo homil. 9. in caput 5. epiſt. ad Rom. *Cum autem Dei amor extiterit, tam demum omnia infra ſe poſita habet.* Hieronymo ad cap. x. Matth. *Ama poſt Deum patrem, aut matrem, ama filios*. Ambroſio in Lucam lib. 7. n. 136. *Non diligere parentes, ſed eos Deo præferre prohiberis*. Auguſtino lib. 10. Confeſſ. cap. 29. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Et lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 8. *Deus nobis eſt ſummum bonum, neque infra remanendum nobis eſt, neque ultra quærendum; alterum enim periculoſum, alterum nullum eſt*: Et epiſt. 155. alias 52. ad Macedonium cap. 4. *Deus eſt, quo nihil melius invenimus; ergo, ſi diligendo aliquid, vel præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus*. Et ſerm. 159. alias 17. de verbis Apoſtoli. *Amanda eſt juſtitia; & in hac juſtitia amanda gradus ſunt proficientium. Prius eſt ut amori juſtitiæ præponantur omnia, quæ delectant. Ipſe eſt primus gradus*. Denique hoc ipſum antiquos Scholaſticos credidiſſe apud eundem Tournely teſtatur Vega lib. 6. cap. 28. de juſtificatione, qui cap. 30. aſſerit quoque, quod quamvis in Antiquis non reperiantur verba hæc, invenitur tamen, quod exigant amorem Dei ad juſtificationem, & per amorem Dei vult, quod ſatis intelligantur verba ſuper omnia. Attamen quod non expreſſerunt Antiquiores, expreſſit S. Thomas tertia parte quæſt. 86. art. 3. in corpore, docens, *ad rationem veræ Pænitentiæ requiri ut deteſtetur peccatum, quia eſt contra Deum ſuper omnia dilectum*. Et 2. 2. quæſt. 26. art. 3. in corpore. *Super communicationem bonorum naturalium nobis a Deo factorum, fundatur amor naturalis; quo non ſolum homo in ſuæ integritate naturæ ſuper omnia diligit Deum, & pluſquam ſeipſum, ſed etiam quælibet creatura ſuo modo*.

III. Probatur. Nequit eſſe verus amor Dei ſine voluntate formali, vel virtuali ſervandi illius mandata, & placendi ipſi in omnibus; ſed voluntas formalis, vel virtualis ſervandi Dei mandata, & placendi ipſi in omnibus, non poteſt dari ſi amor Dei non ſit ſuper omnia appretiative: ergo verus amor Dei debet eſſe ſuper omnia appretiative. Major eſt certa ex illo Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*; & ejusdem Joann. Epiſt. 1. cap. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*. Minor probatione non indiget. Unde ex his Tournely infert, quod ,, debet homo deteſtari
,, peccatum, quatenus eſt offenſa Dei
,, ſuper omnia: at fieri non poteſt ut illa
,, peccata quatenus ſunt offenſa Dei,
,, ſincere, ac ut par eſt, deteſtetur, ſi Deo
,, aliquid præponat; & quod implicat
,, in terminis, Deum diligi & non di-
,, ligi ſuper omnia: ſi enim aliquid ipſi
,, præfertur, non diligitur, ſed con-
,, temnitur. Et vero cum Deus ſit ſu-
,, premum bonum, aut vere non diligi-
,, tur, aut ſuper omnia diligitur.

II. Concluſionis pars probatur I. Hoc quod eſt, amorem Dei eſſe ſuper omnia convenit amori Dei vero, ſive perfectus ſit, ſive imperfectus; ergo amor Dei perfectus non diſtinguitur ab imperfecto præciſe per hoc, quod ſit ſuper omnia. Probatur antecedens. Ex probatis in prima Concluſionis parte nequit eſſe verus amor Dei, quin ſit ſuper omnia; ſed tam amor Dei perfectus, quam amor Dei imperfectus, eſt verus amor Dei: ergo, hoc quod eſt amorem Dei eſſe ſuper omnia, æque convenit amori Dei, tam perfecto, quam imperfecto.

II. Probatur. Conditio hæc ſuper omnia eſt neceſſaria in omnibus virtutibus, quæ circa Deum verſantur: ergo multo magis in amore Dei, qui reſpicit Deum magis directe & explicite, quam cæteræ omnes virtutes. Antecedens probatur. Religio colit Deum ſuper omne adorabile; Fides divina credit Deum ſupra omne credibile; Spes confidit in Deo ſupra omnia. Unde ſubdit idem Tournely; Chari-
,, tas etiam Deum diligit ſuper omnia,
,, non tantum ea, quæ dicitur amor per-
,, fectus ſeu amicitiæ, & benevolentiæ,
,, quo Deus ut ſumme in ſe, & abſolute

,, bonus diligitur ; ſed etiam amor mi-
,, nus perfectus , ſeu ſpei , & concupi-
,, ſcentiæ , quo diligitur quatenus nobis
,, bonus : ſub illo etenim reſpectu , ma-
,, gis amandus eſt Deus ab homine,
,, quam quodcunque bonum , quod ſibi
,, poſſit concupiſcere , Suares L. 1. de
,, gratiæ neceſſitate ad opera naturalia
,, cap. 31. n. 20. pag. 372. tom. 1. de gra-
,, tia , probat amorem concupiſcentiæ
,, eſſe ſuper omnia. Idem S. Thomas
,, quodlibeto 1. quæſt. 4. art. 3. Quin &
,, ipſe timor , ſi ſimpliciter , & proprie
,, dictus ſit, ac ſupernaturalis, debet eſ-
,, ſe ſuper omnia ; hoc eſt , magis time-
,, re debet offenſam Dei propter pæ-
,, nam, cujus eſt cauſa , quam quodcun-
,, que aliud malum ; ſi autem magis ti-
,, meret pænam , quam culpam , ſeu of-
,, fenſam Dei , inordinatus eſſet ; culpa
,, enim majus eſt malum , quam pæna.
,, Quanvis ergo in timore pænæ moti-
,, vum, ſeu proximum objectum eſt fuga
,, pænæ , ſicut in amore concupiſcen-
,, tiæ motivum, & objectum proximum
,, eſt proprium amantis commodum;
,, ipſa tamen Dei offenſa eſt finis ulti-
,, mus , ad quem refertur timor , ſicut
,, poſſeſſio Dei , ut noſtra eſt beatitudo,
,, eſt finis ultimus amoris ſpei ſeu con-
,, cupiſcentiæ ; atque hoc legitimo or-
,, dine ſervato , & timor gehennæ bo-
,, nus eſt , & amor Dei quatenus noſter
,, finis ultimus , laudabilis , & caſtus.
,, Igitur in omni virtute , ſeu dono ſu-
,, pernaturali , quod occupatur circa
,, Deum , ſemper imbibitur conditio
,, ſuper omnia.

Dicimus II. Amorem perfectum ab imperfecto non diſtingui eſſentialiter per intenſionem , vel remiſſionem gradus , ſed ex motivis formalibus ſpecie diſtinctis ; motivum autem formale & ſpecificum amoris perfecti, ſeu charitatis eſſe Deum , ut in ſe abſolute bonum , & perfectum ; motivum vero amoris imperfecti, ſeu ſpei, eſſe Deum , ut nobis bonum ; unde primum dici amorem amicitiæ , & benevolentiæ , ſecundum vero amorem concupiſcentiæ.

Prima Concluſionis pars probatur I. Ad conſtitutionem amoris perfecti , ſeu charitatis, non eſt neceſſarium , ut ſit ſumma intenſive , ſed ſufficit , quod ſit ſumma appretiative ; ergo amor perfectus non diſtinguitur ab imperfecto per intenſionem , vel remiſſionem gradus. Probatur antecedens ; primo , quia in hac vita humana voluntas non eſt capax , ut habeat charitatem ſummam intenſive ; proinde docet Auguſt. lib. de ſpiritu , & litera cap. 36., & lib. de perfectione juſtitiæ cap. 8. , quod præceptum dilectionis Dei ex toto corde in hac vita perfecte impleri non poteſt. Secundo, quia illius amoris ſummi intenſive nullus dari poteſt terminus adeo fixus , & determinatus in hac vita , quo major dari non poſſit. Tertio, quia , ut docet S. Thomas 2. 2. quæſt. 24. artic. 8. in corpore ; ad veram eſſentialiter charitatem ſatis eſt , quod *homo habitualiter totum cor ſuum ponat in Deo ; ita ſcilicet , quod nihil cogitet , aut velit , quod divinæ dilectioni ſit contrarium; quæ charitatis perfectio communis eſt omnibus charitatē habentibus.* Quarto tandem , quia & ſi in Petro fuerit intenſior amor Chriſti , in aliis tamen diſcipulis fuit verus amor ejuſdem, quanvis non fuerit ſumme intenſus, ut erat in Petro. Ex quibus hanc conſequentiam deducit Tournely ; ergo

,, ad veram eſſentialiter charitatem
,, neceſſe non eſt , ut ſumma ſit intenſi-
,, ve , & quoad gradum , ſed ſufficit
,, ſummam eſſe appretiative , hoc eſt ,
,, ut Deus rebus omnibus anteponatur,
,, & ſupra omnia diligatur, quia ſumme
,, bonus , & perfectus.

II. probatur , quod non ſit neceſſe charitatem vel contritionem eſſe maxime intenſam comparative ad alias res , de quibus dolemus , vel quas amamus. Inexplicabilis eſt hæc comparatio ; ergo non eſt neceſſaria. Probatur antecedens. Vel hæc comparatio fieri debet cum amore , vel dolore poſſibili , vel cum amore , & dolore alias habito ratione creaturarum; ſed in utroque caſu eſt inexplicabilis : ergo ſemper remanet quod hic amor, vel dolor comparativus in intenſione ſit inexplicabilis. Probatur minor. Si comparatio eſt facienda cum amore , vel dolore poſſibili , quum nullus aſſignabilis ſit terminus hujus intenſionis , remanet amor ipſe , vel dolor inexplicabilis. Si autem cum amore , vel dolore habito , ratione creaturarum , hic amor , vel dolor eſſet intenſior , vel ſenſitive , vel appretiative ; ſi ſenſitive, non eſt ad rem , quia loquimur nos de amore appretiativo; ſi ap-

ſi appretiative, idem eſt, ac eſſe ſuper omnia; adeoque nihil de novo explicatur, & amor, vel dolor ſemper remanet inexplicabilis.

III. Probatur, nimirum probando, quod non requiratur nullus certus, ac determinatus gradus intenſionis ad eſſentiam charitatis perfectæ, ſed in quocunque gradu etiam remiſſo poſſit eſſentialiter perfecta charitas, & contritio eſſe, ſufficiens juſtificationi hominis. Et quidem probatur ex Scripturis, quia Scripturæ exigunt tantum dilectionem ad hoc ut homo fiat gratus, & acceptus Deo, nulla facta graduum diſtinctione, vel menſura. Proverbior. 8. *Ego diligentes me diligo*. Eccleſiaſtici 13. *In omni vita tua dilige Deum*. Et cap. 3. *Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur*. Primæ Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. S. Paulus ad Rom. 13. *Quia plenitudo legis eſt dilectio*. Et Coloſſ. 3. *Quia Charitas eſt vinculum perfectionis*. Joan. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Et primæ Joan. 2. *Qui ſervat verbum Chriſti, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt; & in hoc ſumus, quoniam in ipſo ſumus*. Et cap. 4. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*. Patres quoque tribuunt vim ſanctificandi hominem, & purgandi peccata, charitati, & contritioni abſolute & ſimpliciter, nulla facta mentione intenſionis gradus. Et ſunt Chryſoſtomus lib. 1. ad Theodorum lapſum num. 6. *Hujuſmodi eſt Dei erga homines clementia: nunquam averſatur ſinceram pænitentiam; ſed etiam ſi quis in extremum improbitatis pertigerit, & hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipſum ſuſcipit, & amplexatur, nihilque non agit, ut eum in priſtinum ſtatum reſtituat; quodque majoris eſt clementiæ, & ſi quis non integram pænitentiam exhibeat, brevem tamen illam, & ad modicum exhibitam non abnuit, & magnam huic mercedem tribuit*. Et Homil. 7. in ſecundam ad Timoth. *Sicut ignis, ubi ſylvam occupaverit, omnia purgare conſuevit; ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perdit, atque perrumpit .... Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala*. S. Leo Epiſt. 82. alias 91. cap. 4. *Miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diſinire, apud quem nullas patitur moras vera converſio*. S. Auguſtinus ſerm. 35. de Proverbiis cap. 12. alias de diverſis 2. *Deum non vides, ama, & habes. Quam multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur! .... Deus nobis ſe compendioſe offert: Clamat nobis, Amate me, & habetis me; quia nec poteſtis amare me, niſi habueritis me*. Tractatu 1. in Epiſt. S. Joan. cap. 1. *Ante omnia confeſſio, deinde dilectio: quia de charitate quid dictum eſt? Charitas cooperit multitudinem peccatorum .... Sola ergo charitas extinguit delicta*. Et Tractatu 5. cap. 3. *Non diſcernuntur filii Dei a filiis diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt a Deo; qui non habent, non ſunt nati a Deo*. Idem Auguſt. lib. de natura, & gratia cap. 50. *Charitas enim inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia*. Et ex Tract. 9. in Joan. ubi de charitate ait: *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum Sanctum habebit: quam ſi non habuerit, ſine Spiritu Sancto erit. Et quomodo corpus tuum ſine ſpiritu, quod eſt anima tua, ſi fuerit, mortuum eſt; ſic anima tua ſine Spiritu Sancto, id eſt, ſine charitate ſi fuerit, mortua deputabitur*. Et lib. de natura & gratia cap. 38. Si, inquit, *in Abel juſta charitas Dei, qua una vere juſtus eſt, adhuc erat quo poſſet, & deberet augeri; quidquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus ſit, donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis abſorbeatur infirmitas?* Denique S. Thomas 3. part. quæſt. in corpore, ſic loquitur: *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argẽti*. Et Secunda ſecundæ quæſt. 24, art. 5. in corpore: *Minima Charitas ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt & charitate diligenda*. Ibidem art. 10. *Peccatum mortale*, inquit, *totaliter corrumpit charitatem; & effective, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati; & etiam meritorie, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus eſt, ut Deus ei ſubtrahat charitatem*.

IV.

IV. Probatur rationibus I. In virtutibus Theologicis cæteris, nempe Fide, & Spe, non requiritur certus gradus intenſionis, ut ſint veræ & perfectæ: ergo neque in Charitate. II. In quocunque gradu ſit charitas habitualis, ſemper eſt vera & perfecta Charitas: ergo pariter charitas actualis. III. Averſio a Deo, & converſio ad Creaturam, in quocunque gradu etiam remiſſo eſt peccatum mortale: ergo pariter quæcunque Converſio ad Deum, tanquam ad finem ultimum, etiam in gradu remiſſo, ſufficit ad charitatem actualem veram & perfectam. IV. Charitas opponitur peccato, non ratione intenſionis gradus, ſed ratione ſuæ ſubſtantiæ: ergo pariter etiam ratione ſuæ ſubſtantiæ, & non ratione intenſionis gradus, conſtituit ſe ipſam. V. Inaſſignabilis eſt gradus ille, in quo dici poſſet conſiſtere charitatem veram & perfectam: ergo non eſt neceſſaria ad ipſam graduum intenſio. Antecedens fatentur ipſimet Adverſarii, Alenſis in 4. q. 17., & Canus par. 3. *de Pœnitent.* VI. In homine diligente Deum ex motivo Charitatis, quamvis in actu remiſſo, nihil eſt aſſignabile, quod ipſum hominem reddat Deo inimicum: ergo in hujuſmodi homine eſt vera & perfecta charitas, quamvis ſit in gradus remiſſo. Probatur Antecedens, quia hujuſmodi homo, qui peccatum deteſtatur, & firmum habet propoſitum non peccandi, vult Deo placere in omnibus, & Deus converſus eſt ad illum, ut ſupponimus: ergo in hujuſmodi homine nihil deeſt &c.

Secunda Concluſionis pars I. probatur ex Patribus, qui aſſignant Deum in in ſe ſumme bonum, & perfectum tanquam proprium charitatis & perfecti amoris objectum, abſtrahendo a proprio amantis commodo. Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum. *Exiſtimo neque propter metum ſupplicii, neque propter aliquam Doni promiſſionem, ſed propter ipſum bonum oportere accedere ad verbum ſalutare.* Ibidem. *Sola autem quæ propter charitatem ſit beneficentia, propter ipſum honeſtum eſt expetenda ei, qui eſt cognitione præditus.* Et paulo poſt. *Si quis ergo per hypoteſin ei, qui eſt cognitione præditus, propoſuerit, utrum malit Dei cognitionem, an ſalutem æternam, ſint autem ea ſperata, cum ſit omnino eadem; nihil penitus dubitans elegerit, Dei cognitionem, propter ſe judicans eſſe expetendam eam, quæ fidem traſcendit per charitatem ad cognitionem, proprietatem. Hæc eſt ergo prima ejus, qui eſt perfectus, beneficientia, quando non ſit propter aliquem uſum eorum, quæ ad ſe pertinent.* Ibidem. *Qui nudæ vocationi quatenus vocatus eſt, obedit, is, neque propter timorem, neque propter voluptates, tendit ad cognitionem. Non enim conſiderat, an aliquod utile lucrū, vel delectatio aliqua extrinſecus conſequatur, ſed tractus a dilectione ejus, qui vere eſt amatoris, & ad id quod fieri oportet adductus, pius eſt Dei cultor. Unde nec ſi per hypoteſin a Deo acceperit poteſtatem faciendi ea, quæ ſunt prohibita, citra ullam pœnam, neque ſi propterea Beatorum bona accepturum eum eſſe ei promiſſum fuerit . . . . in animum unquam eſſe inducturum, ut aliquid agat præter rectam rationem, cum id, quod vere eſt honeſtum, & ex ſe ipſo eligendum, & ea ratione expetendum, amandumque ſemel elegerit.* Denique lib. 6. *Non eſt utique charitas ejus, qui diligit, appetitio, ſed eſt benevola, & firma coniunctio in unitatem fidei.* S. Baſilius Proemio in regulas fuſius tractatas circa finem. *Aut enim ſupplicii metu a malo declinamus, verſamurque in affectu ſervili, aut mercedis fructus requirentes, ob noſtram ipſorum utilitatem mandata explemus; & hoc pacto Mercenariis efficimur ſimiles, aut ob ipſum honeſtum, charitatemque erga legiſlatorem noſtrum, gaudentes, quod digni ſimus habiti, qui tam glorioſo ac bono Deo ſerviamus, & ita demum ut filii efficiamur.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 3. *Hominibus placere parum admodum curamus, id unum expetentes, ut honorem a Deo conſequamur. Imo ſublimius etiam aſſurgimus, (de iis loquor, qui vere Philoſophi, veroque Dei amore præditi ſunt), quippe qui ſummo bono coniungi propter ipſum ſummum bonum exoptantes, non autem propter honores in altero ævo reconditas.* Ambroſius lib. 4. de interpellatione David cap. 11. *Qui illum ſequitur non præmio ducitur ad perfectionem, ſed perfectione conſummatur ad premium. Imitatores enim Chriſti non propter ſpem boni ſunt, ſed pro amore virtutis.* Hieronymus epiſt. 146. ad Dama-

maſcum. *Qui diligit, non ideo imperata cuſtodit, quia aut timore pœnarum, aut præmii aviditate compellitur, ſed quia hoc ipſum, quod a Deo jubetur, eſt optimum.* S. Chryſoſtomus hom. 76. in Joan. *Boni etiam & ſtudioſi, etiam ſine præmii reſpectu, ipſius* (virtutis) *pulchritudinem intuentur, & propterea eam complectuntur, & ut Deo placeant, non propter mercedem recte agunt.* Et hom. 4. in Secundam ad Corinthios. *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pœnas daturus ſis, (nihil enim hoc eſt) ſed quod Dominum Deum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem &c.* Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. definit charitatem: *Motum animi ad fruendum Deo propter ſeipſum, & ſe, & proximum, propter Deum.* Et ſerm. 142. de verbis Evangelii Joan. 14. alias 54. de verbis Domini, & 34. ex hom. 50. cap. 3. *Ergo amandus erat Deus, & amandus eſt Deus ita, ut ſi fieri poteſt, nos ipſos obliviſcamur* Et enarrat. in Pſal. 53. *Laudetur* (Deus) *voluntate, ametur charitate; gratuitum ſit, quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? Ipſe propter ſe non propter aliud; ſi enim laudas Deum, ut det tibi aliquid aliud; iam non gratis amas Deum.*

II. Probatur ex communi Scholaſticorum conſtanti aſſertione. S. Thom. 2, 2. quæſt. 17. art. 8. *Utrum charitas ſit prior ſpe*; in corp. articuli ſic ait: *Amor quidam perfectus eſt, quidam imperfectus. Perfectus quidem amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundum ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhæret Deo ſecundum ſeipſum: ſed ſpes pertinet ad ſecundum amorem, quia ille, qui ſperat, aliquid ſibi obtinere intendit. Et ideo in via generationis ſpes eſt prior Charitate: ſicut enim aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipſo puniri ceſſat a peccato ..... ita etiam ſpes introducit ad Charitatem, in quantum aliquis ſperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum, & ſervandum præcepta ejus: ſed ſecundum ordinem perfectionis, Charitas prior eſt naturaliter, & ideo adveniente charitate ſpes perfectior redditur.* Et eadem quæſt. art. 6. in corp. *Virtus aliqua dicitur eſſe theologica, ex eo quod habet Deũ pro objecto, cui inhæret. Poteſt autẽ aliquis alicui inhærere dupliciter, uno modo propter ſeipſum; alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter ſeipſum, mentem hominis uniens Deo perfectum amoris: ſpes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo ſicut cuidam principio, ex quo aliqua proveniunt. De Deo autem provenit nobis, & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, in quantum eſt nobis principium cognoſcendi veritatem...... Spes autem facit Deo inhærere, prout eſt in nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum ſcilicet per ſpem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam. Dicendum quod ſpes facit tendere in Deum, ſicut in quoddam bonum finale adipiſcendum, & ſicut in quoddam adjutorium efficax ad ſubveniendum; ſed charitas proprie facit tendere in Deum, uniendo affectum hominis Deo, ut ſcilicet homo non ſibi vivat, ſed Deo.* Et quæſt. 27. art. 3. ad 3., & quæſt. 28. art. 1. ad 3. *De Deo poteſt eſſe ſpirituale gaudium dupliciter: uno modo ſecundum quod gaudemus de bono divino in ſe conſiderato; alio modo, ſecundum quod gaudemus de bono divino, prout a nobis participatur. Primum autem gaudium melius eſt, & hoc procedit principaliter ex charitate: ſed ſecundum gaudium procedit etiam ex ſpe, per quam expectamus divini boni fruitionem.*

III. Probatur Rationibus. I. Illud eſt principalius & excellentius motivum, quo Deus amatur, per quod Deus diligitur propter ſeipſum; ſed Deus diligitur propter ſeipſum ex motivo charitatis: ergo amor charitatis, & amicitiæ eſt excellentior, & perfectior. Probatur minor. Charitas reconciliat hominem Deo, non vero ſpes; ſed hoc provenit ex motivo excellentiori & perfectiori: ergo &c. Major conſtat ex Scripturis; prima Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* I. Joan. 30. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Ad Rom. 13. *Plenitudo Legis dile-*

Digitized by Google

dilectio. Ad Coloſſ. 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis*. I. Cor. 13. *Major horum eſt charitas*. Ad Philippenſes I. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto ....., mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* II. Charitas eſt perfectior ſpe: ergo eſt perfectius & excellentius motivum amandi Deum. Rationem hauc illuſtrat S. Thomas 2. 2. quæſt. 23. art. 6. in corp. *Inter virtutes Theologicas illa eſt prior, qua magis Deum attingit: Semper autem id, quod eſt per ſe, majus eſt eo, quod eſt per aliud: fides autem & ſpes attingunt quidem Deum, ſecundum quod ex ipſo provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni; ſed Charitas attingit ipſum Deum, ut in ipſo ſiſtat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo Charitas eſt excellentior fide, & ſpe.* Et in reſponſioue ad 3. *Idem bonum eſt obiectum Charitatis, & ſpei; ſed Charitas importat unionem ad illud bonum, ſpes autem diſtantiam quandam ab eo. Et inde eſt quod Charitas non reſpicit illud bonum ut arduum ſicut ſpes: quod enim jam unitum eſt, non habet rationem ardui; & ex hoc apparet*, Sanctus Thomas concludit, *quod Charitas eſt perfectior ſpe*. III. Perfectior eſt amor, quo aliquem amamus propter ſeipſum, quam amor, quo ipſum amamus propter nos ipſos; ſed Charitas eſt amor, quo amamus Deum propter ſeipſum, ſpes vero eſt amor, quo amamus Deum propter oos: ergo Charitas eſt perfectior amor ſpei amore, quanvis uterque Deum habeat pro objecto. IV. Amor ſpei eſt bonus & meritorius; dicit enim Scriptura Pſalmo 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*; ſed ſemper eſt amor, qui dicitur mercenarius: ergo non eſt adeo perfectus, ut eſt amor Charitatis, quo diligimus Deum nihil cogitando de retributione, & de mercede.

Arguunt I. Quicunque amor vetus per nos eſt ſuper omnia: ergo per nos nullus eſt amor Dei incipiens, inchoatus, & imperfectus. II. Si amor Dei imperfectus eſt ſuper omnia, ſequitur, quod reconciliat hominem Deo; ſed hoc eſt contra Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & ſeſſ. 14. cap. 4. ergo &c. III. Si amor Dei, qui dicitur concupiſcentiæ, & eſt ſuper omnia, non ſufficeret ad hominis juſtificationem, ſequeretur, quod qui Deum amaret ſuper omnia, ut ſuum ultimum finem, ſi moreretur ante Sacramentum perceptum, hic homo deberet a Deo damnari; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. IV. Ex Scripturis in amore Dei, ac etiam in contritione de peccatis, requiritur intenſio gradus: ergo diſcrimen inter amorem perfectum & imperfectum conſiſtit in intenſione, vel in remiſſione graduum. Probatur antecedens. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Lucæ 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et pſalmo 37. Afflictus ſum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei*. V. Ex majori gravitate peccatorum requiritur major intenſio amoris & doloris; unde Cathechiſmus Rom. part. 2. de pænit. n. 46. docet. *Contritionem adeo vehementem, acrem, & incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas, cum ſcelerum magnitudine æquari, conferrique poſſit*. VI. Nequit dolor eſſe ſummus appretiative, & remiſſus intenſive: ergo ſi a nobis requiritur dolor ſummus appretiative, requiritur etiam dolor ſummus intenſive: ergo ſemper requiritur intenſio gradus. VII. Motivum propriæ Beatitudinis ſpectat ad ſpem; ſed motivum propriæ beatitudinis importat amorem Dei perfectum: ergo amor Dei ex ſpe importat amorem Dei perfectum. Probatur minor. Amor Apoſtoli Pauli, quo cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ex S. Thoma, & ex S. Bonaventura erat amor perfectus, & nihilominus erat amor propriæ Beatitudinis. VIII. Amor Dei caſtus, purus, & gratuitus, eſt amor Dei perfectus; ſed amor Dei, quo amatur, ut nobis bonus, vel ut eſt noſtra beatitudo, eſt caſtus, purus & gratuitus: ergo &c. Minor e Auguſtini ſerm. 158. alias 16. de verbis Apoſtoli. *Unusquisque inſpiciat ſe intus, appendat ſe, probet ſe in omnibus factis ſuis, bonis operibus ſuis, quæ faciat cum charitate, non expectans retributionem temporalem, ſed promiſſum Dei, faciem Dei. Non enim quidquid Deus tibi promittit, valet aliquid præter ipſum Deum. Omnino me non ſatiaret Deus, niſi promitteret mihi ſeipſum Deum*; & in expoſitione pſalmi 72.

Pars

Pars mea Deus in ſeculum. Factum eſt cor caſtum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petis a Deo, & propterea vult ſervire Deo, carius facit, quod vult accipere, quam ipſum, a quo vult accipere. Quid ergo nullum præmium Dei? nullum præter ipſum. Præmium Dei ipſe Deus eſt. Hoc amet, hoc diligit: ſi aliud dilexerit, non erit caſtus amor.

Reſpondens ad I. negando conſequentiam; & ratio negationis eſt, quia amor Dei verus, & ſuper omnia, dici poteſt incipiens & imperfectus tribus modis. I. Ratione intenſionis, vel remiſſionis actus; II. Ratione comparationis ad perfectum, ſeu ratione motivi formalis, & ſpecifici. III. Ratione diſtinctionis virtutum, quatenus amor Dei perfectus conſtituit charitatem, quæ major eſt omnium: Amor vero Dei imperfectus conſtituit ſpem, quæ minor eſt charitate. En igitur quomodo poteſt eſſe amor Dei incipiens, inchoatus, & imperfectus, qui ſit verus, & ſuper omnia, & tamen non ſit perfectus. Quod confirmatur auth. S. Th., qui in 2. 2. quæſt. 24. art. 9. etiam in ipſa Charitate diſtinguit gradus, & quidem tres, verbis hiſce: *Incipientium, proficientium, & Perfectorum. Incipientium charitas conſiſtit in receſſu a peccato, & reſiſtentia concupiſcentiis; proficientium vero in virtutum exercitatione, quibus roboratur charitas: Perfectorum denique in ſtudio inhærendi Deo, ac eo fruendi, cum nempe diſſolvi cupiunt, & eſſe cum Chriſto.*

Ad II. dicitur, quod Concilium Tridentinum intelligi debet, ut intelliguntur Patres; qui, ut ait Tournely, „ nihil aliud exiguntab homine, quam „ ut Deum ſuper omnia diligat ad gra- „ tiam reconciliationis obtinendam; „ quod quidem verum eſt, ſi de amore „ charitatis intelligatur, ut debet in- „ telligi; falſum vero, ſi intelligatur de „ amore quocumque, licet ſit ſuper „ omnia. „ Et pro hoc probando adducit teſtem Auguſtinum, qui lib. de catechizandis rudibus c. 17. loquens de triplici hominum genere, qui ad fidem veniunt, de tertio hæc ſcribit: *Qui propter beatitudinem ſempiternam & perpetuam requiem, quæ poſt hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, vere ipſe Chriſtianus eſt; cautus in omni tentatione, ne proſperis rebus corrumpatur, & ne frangatur adverſis; & in abundantia bonorum terrenorum modeſtus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui etiam proficiendo perveniat ad talem animum, ut plus amet Deum, quam timeat gehennam, ut etiamſi illi dicat Deus, utere deliciis carnalibus ſempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, ſed mecum tantummodo non eris; exhorreſcat, & omnino non peccet, non jam, ut in illud, quod timebat, non incidat, ſed nec illud, quem ſic amat, offendat.* Quibus addit idem „ Tournely; proponit ibi S. Doctor ho- „ minem, qui & timore pœnæ, & amo- „ re proprii ſui commodi, hoc eſt æter- „ næ beatitudinis Sanctis promiſſæ con- „ ſequendæ, peccatum fugit, & bonum „ operatur, cujus conſequenter & ti- „ mor, & amor eſt ſuper omnia: non „ tamen ibi hæret, & ſiſtit, ſed profi- „ ciendo pervenit ad amorem Charita- „ tis perfectum, quo nempe Deum „ propter Deum diligit, & eo privari „ pertimeſcit. Igitur præter amorem „ illum primum beatitudinis, qui inci- „ piens, nec tam perfectus eſt, licet „ ſuper omnia, alium perfectiorem & „ Charitatis neceſſarium agnoſcit San- „ ctus Auguſtinus. „

Ad III. dicitur, quod illa eadem incommoda poſſent etiam ſequi in illorum opinione, qui dicunt, eſſentialem perfectionem conſiſtere in gradus intenſione. Ut enim ait Tournely, ſi quis Deum ex Charitate ſuper omnia appretiative ſumma diligere ſupponatur, qui tamen non habet illam gradus intenſionem neceſſariam, ut charitas ſit perfecta, & reconciliet hominem Deo ex ſe; tunc etiam iſte talis, ſi in eo ſtatu morte præveniatur, damnabitur. Unde idem Auctor con- „ cludit: itaq; metaphyſicæ illæ ſuppoſi- „ tiones in rebus practicis & moralibus „ non ita moroſè urgeri debent; atque „ divino judicio relinquendum, quid fiat „ de homine in dicta hypotheſi conſti- „ tuto: ſive Deus nunquam permittat „ ex infinita ſua miſericordia, homi- „ nem ſic bene affectum mori ſine vera „ contritione, & charitate, ſive bonam

„ ejus voluntatem, quamquam imper-
„ fectam acceptet, ſive quocunque alio
„ modo ſaluti illius hominis provideat.

Ad IV. dicitur, quod Scripturæ requirunt intenſionem gradus tum in amore Dei, tum in contritione de peccatis, ut quid optimum, & exoptandum, non vero, ut quid neceſſarium ad eſſentiam amoris perfecti, & contritionis perfectæ. Scripturas adductas explicat citatus Tournely, qui & dicit reſponſionem datam eſſe Vegæ lib. 13. cap. 14.

Ad V. eadem eſt reſponſio, quod ſcilicet a Catechiſmo, & etiam a Patribus indicetur, quid optandum ſit; non vero, quid ſit abſolute neceſſarium. Eſtius in 4. diſt. 16. §. 7. his verbis explicat PP. & Catechiſmum. *Quia ſicut peccata alia aliis graviora ſunt, ita magis de uno, quam de alio pro ratione gravitatis eorum dolere debet Peccator, magis, inquam, appretiative, non intenſivè. Et ſi enim omnia peccata ita ſint deteſtanda, ut nullius rei gratia velit homo aliquod eorum committere, ne quidem ad aliud peccatum evitandum, magis tamen ea fugere debet, quibus Deus gravius offenditur: & proinde etiam pro iis commiſſis dicto jam modo, ideſt appretiative, magis dolere. Non autem oportet, ut de iis doleat magis intenſe, quia ſicut citra culpam poteſt magis intenſe dolere de malis temporalibus, quam de peccato, ita & magis de leviori peccato, quam de graviori, concurrentibus videlicet aliis cauſis, quæ dolorem minoris peccati reddant magis intenſum, ut infamia, turpitudine, damno, & ſimilibus.*

Ad V. Dicit Tournely, Catechiſmi Concilii Tridentini non tantam eſſe auctoritatem, ut in rebus ſalva fide controverſis inter Theologos neceſſe ſit ad ſententiam Autorum illius accedere. Unde ſubdit. Et vere multa illi do-
„ cent, quæ bene multis non probantur
„ Theologis: v. g. aquam Calicis Eucha-
„ riſtici prius converti in vinum, quam
„ in ſanguinem Chriſti; admixtionem
„ balſami eſſentialem eſſe in Sacramen-
„ to Confirmationis, & alia hujuſmodi
„ non pauca, in quibus, ſalva, quæ
„ debetur Catechiſmo, reverentia, ab
„ authoribus illius recedunt Scholæ
„ Magiſtri. Non itaque hic pugnandum
„ Scriptorum recentiorum authoritate,
„ ſed Scripturæ, veterum SS. Patrum,
„ & certiſſimis rationum theologica-
„ rum momentis ac præſidiis.

Ad VI. negatur major; & ratio negationis eſt, quia appretiatio objecti non oritur ex illo eodem capite, ex quo oritur actus intenſio. Prima oritur ex præſtantia objecti; ſecunda vero ex vehementi applicatione facultatis erga objectum.

Ad VII. dicitur, quod motivum amoris Pauli, & unionis ipſius cum Chriſto, erat ſumma Dei Bonitas, & perfectio in ſe obſolute conſiderata, non vero beatitudo, qua reddit nos beatos. Vel dicitur, quod erat beatitudo æterna objective ſumpta, hoc eſt Deus ipſe in ſe bonus, qui eſt beatitudinis noſtræ objectum: non vero beatitudo formaliter accepta, ſcilicet poſſeſſio ipſa Dei, quæ nos reddit actu & formaliter beatos.

Ad VIII. & hæc pariter reponit Tournely „ diſtinguo majorem: Amor Dei
„ caſtus, purus & gratuitus, quo Deus
„ diligitur, quia in ſe bonus, & infini-
„ te perfectus, eſt amor perfectæ Cha-
„ ritatis; concedo: Amor Dei caſtus,
„ quo Deus diligitur, ut nobis bonus, ſeu
„ quatenus eſt noſtra beatitudo, nego: &
„ diſtinguit pariter minorē; atqui Amor
„ Dei, quatenus nobis bonus &c. eſt ca-
„ ſtus, & gratuitus, comparate ad
„ amorem mercenarium, quo Deus di-
„ ligitur propter bona temporalia, con-
„ cedo: comparate ad amorem perfe-
„ ctum Charitatis, iterum diſtinguo;
„ eſt amor caſtus, id eſt bonus, licitus,
„ honeſtus, neceſſarius, & ſupernatu-
„ ralis, concedo: ideſt tam perfectus,
„ ac amor charitatis, nego. Solutio
„ ex jam dictis manifeſta eſt. Ad S. Au-
„ guſtinum dico 1., eum loqui non de
„ actu perfectæ Charitatis, ſed de ho-
„ mine habente charitatem, qui certe
„ intuitu mercedis æternæ operari po-
„ teſt, & debet: neque enim charitas
„ excludit ſpem, imo potius hanc ſem-
„ per includit, cujus actus, ſicut & alia-
„ rum virtutum, imperat, quanquam
„ ipſa Charitas ex proprio ſuo ac for-
„ mali motivo ad mercedem illam non
„ reſpiciat, ſed in una Dei hæreat per-
„ fectione infinita.

DIS-

DISSERTATIO CCCLXXI.

De Contritione perfecta. An reconciliet hominem Deo, etiam extra caſum neceſſitatis, & antequam Sacramentum actu percipiatur? An ſit diſpoſitio neceſſario prærequiſita ad percipiendum Sacramentum Pœnitentiæ? Et quid ſit Sacramenti votum, quod in Contritione perfecta neceſſario includi debet?

STatus quæſtionis eſt ; an quoties habetur perfecta contritio, toties etiam habeatur reconciliatio hominis cum Deo, etiam antequam Sacramentum percipiatur actu? An vero habeat vim illam reconciliandi hominem Deo in neceſſitatis articulo, Deo ſic ordinante? Igitur quæſtio non eſt de contritione in genere, nec de contritione imperfecta, per quam certum eſt juſtitiam homini non conferri; ſed de contritione perfecta, quæ ſcilicet ex charitate procedit, & per quam hominis reconciliatio cum Deo habetur in caſibus determinatis. Opiniones primo referimus, Concluſiones deinde firmabimus, atque probabimus.

Primo, Hadrianus, & Cajetanus, voluerunt per contritionem non deleri peccata. Hujus etiam opinionis fuit Balthaſar Heredias, Archiepiſcopus Calaritanus; ut narrat Cardinalis Pallavicinus lib. 12. Hiſt. Concil. Trident. c. 10. qui & ſubdit, contra hanc ſententiam paratum jam fuiſſe in eodem Concilio Tridentino canonem. At, quum reſpondiſſet Heredias, quod ejuſdem opinionis fuerant Hadrianus, & Caietanus, abſtinuit Synodus a proſcriptione, & eo vel magis, quia ſenſum inter Catholicos controverſum pati poteſt.

Secundo, Michael Bajus, Lovanienſis Doctor, docuit quoque, *Charitatem perfectam, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis, & Pænitentibus, poſſe eſſe ſine remiſſione peccatorum*. Et hac Baij ſententiam damnarunt Romani Pontifices S. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII.

Tertio, Eſtius in 4. diſt. 17. §. 2. aſſerit, contritionem perfectam, Deo ita diſponente, non reconciliare hominem Deo ante Sacramentum, niſi in caſu neceſſitatis; ſcilicet quando urget periculum mortis, aut nulla eſt opportunitas percipiendi Sacramentum.

Quarto, Alii docent, quod perfecta contritio non tantum in caſu neceſſitatis, ſed ordinarie hominem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu percipiatur. Sequitur hanc opinionem Tournely de Sacramento Pænitentiæ quæſt. 4. ar. 2. & alii.

Dicimus I. perfectam contritionem non tantum in caſu neceſſitatis, ſed ordinarie hominem Deo reconciliare, antequam Sacramentum actu percipiatur.

I. Probatur ex Scripturis. Ezechielis 33. *Impietas Impii non nocebit ei in quacunque die converſus fuerit*. Et cap. 18. *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, omnium* ini-

iniquitatum ejus non recordabor. Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, cui autem minus remittitur, minus diligit*. Et cap. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Hoc fac, & vives*. I. Joannis 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt*, & infra. *Deus charitas eſt, qui manet in charitate, in Deo manet, & & Deus in eo*. Et cap. 3. *Nos ſcimus, quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres. Qui non diligit, manet in morte*. I. Petri 4. *Charitas operit multitudinem Peccatorum*. Denique Coloſſ. 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis*. In omnibus his Scripturæ locis, & in aliis etiam ſimilibus, quæ afferri poſſent, nulla fit diſtinctio inter caſus neceſſitatis, & caſus ordinarios, & ſemper charitati & perfectæ contritioni tribuitur vis ſanctificandi hominem, & purgandi peccata.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus, S. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnaverunt ſequentes Michaelis Baji propoſitiones, quæ manifeſte Concluſioni noſtræ opponuntur, ſcilicet, XXXI. *Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in Pœnitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*; XXXII. *Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum*, LXVI. *Homo exiſtens in peccato mortali poteſt habere veram charitatem*. LXVIII. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & voto ſuſcipiendi Sacramentum conjuncta, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martirii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. docet, *Et ſi contritionem hanc, aliquando charitate perfectam eſſe contigat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam*. Ex quibus habetur, quod contritio perfecta includat charitatem, & tunc reconciliet hominem Deo, antequam actu Sacramentum percipiatur; quod virtus hæc reconciliandi contritioni non competat, ſi non contineat votum, ſeu deſiderium Sacramenti.

III. Probatur ex Patribus. Chryſoſtomus lib. 1. ad Theodorum lapſum n. 6. *Hujuſmodi eſt Dei erga homines clementia; nunquam averſatur ſinceram pœnitentiam; ſed etiam ſi quis in extremum improbitatis pertigerit, & hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipſum ſuſcipit, & amplexatur, nihilque non agit, ut eum in priſtinum ſtatum reſtituat; quodque majoris eſt clementiæ, & ſi quis non integram pœnitentiam exhibeat, brevem tamen illam, & ad modicum exhibitam, non abnuit, ſed magnam huic mercedem tribuit*. Et hom. 7. 12. 11. ad Timoth. *Sicut ignis ubi ſilvam occupaverit, omnia purgare conſuevit, ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit. Ubi charitas eſt, omnia ſublata ſunt mala*. Auguſtinus ſerm. 35. de Proverbiis cap. 12. *Deum non vides, ama, & habes. Quam multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur? .... Deus nobis de compendio ſe offert: clamat nobis, amate me, & habebitis me; quia nec poteſtis amare me, niſi habueritis me*. Et tract. 1. 12. epiſt. S. Joan. cap. 1. *Ante omnia Confeſſio, deinde dilectio; quia de charitate quid dictum eſt? Charitas cooperit multitudinem peccatorum...., Sola erga charitas extinguit delicta*. Et tract. 5. cap. 3. *Non diſcernuntur Filii Dei a Filiis Diaboli, niſi charitate. Qui habent charitatem, nati ſunt ex Deo; qui non habent, non ſunt nati ex Deo*. Et lib. *de natura & gratia* cap. 70. *Inchoata juſtitia eſt; charitas provecta provecta juſtitia eſt, charitas magna magna juſtitia eſt*. Et tract. 9. in Joan. *Quam cum habere cœperit homo, Spiritum Sanctum habebit; quam ſi non habuerit, ſine Spiritu Sancto erit. Et quomodo corpus tuum ſine Spiritu, quod eſt anima tua, ſi fuerit, mortuum eſt; ſic anima tua ſine Spiritu Sancto, ideſt ſine charitate fuerit, mortua deputabitur*. Et lib. *de natura & gratia* cap. 38. *Si in Abel juſto Charitas Dei, qua una vere juſtus eſt, quicunque juſtus eſt, adhuc erat, quo poſſet & deberet augeri; quidquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus ſit donec ad illam ejus fortitudinem veniatur, ubi tota hominis abſorbeatur infirmitas?*

IV.

IV. Probatur ex Scholaſticis Theologis. S. Thomas 3. par. q. 70. art. 4. in corp. *Minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti*. Et ſecunda ſecundæ q. 24. art. 5. in corp. *Minima charitas ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt ex charitate diligenda*. Et art. 10. *Peccatum mortale totaliter corrumpit charitatem; & effective, quia omne peccatum mortale contrariatur charitati; & etiam meritorie, quia qui peccando mortaliter aliquid contra charitatem agit, dignus eſt, ut Deus ei ſubtrabat charitatem*.

V. Probatur Rationibus I. Omnis averſio a Deo, ut ab ultimo fine, & converſio ad Creaturam, ſatis eſt ad peccatum mortale: ergo omnis converſio ad Deum, ut ad finem ultimum, ſatis eſt ad recuperandam amicitiam cum Deo. Conſequentia ſequitur, quia Deus pronior eſt ad veniam, quam ad vindictam. II. Etiam per Adverſarios ſufficit in articulo mortis perfecta contritio ad peccatorum remiſſionem; ſed hanc virtutem non habet contritio perfecta propter mortis articulum: ergo habet ex ſua propria perfectione. III. Contritio perfecta in lege veteri peccata delebat: ergo etiam in nova. Conſequentia ſequitur; ut ait Tournely; Non enim eius
„ virtus imminuta eſt, ſed ſolummodo
„ novum additum fuit mandatum de
„ Sacramentis percipiendis, quibus
„ certe infirmitati noſtræ occurrere vo-
„ luit Chriſtus, ut qui perfectam non
„ habent contritionem, ſaltem per im-
„ perfectam ſimul cum Sacramento
„ veniam peccatorum impetrare poſ-
„ ſint, „.

Arguunt I. Lucæ 7. Chriſtus dixit mulieri peccatrici, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; ſed non dixit, *remiſſa ſunt peccata*; nec dixit, *quoniam diligit*, ſed *quoniam dilexit*: ergo prius dilexit, quam peccatorum veniam conſequeretur: ergo poteſt eſſe charitas ſine peccatorum remiſſione. II. Auguſtinus ſerm. 99. de verbis Evangelii Lucæ 7. alias homil. 23. inter 50. cap. 2. de eadem peccatrice ſcribit: *acceſſit ad Dominum immunda, ut rediret munda: acceſſit ægra, ut rediret ſana*: ergo non fuit mundata antequam Chriſtus dixerit: *remittuntur ei peccata multa &c.* III. Paulus etſi charitatem perfectam haberet, debuit tamen baptizari, ut peccatorum veniam conſequeretur; quod patet Actor. 22. ubi Ananias ad eundem Paulum dixit; *exurge & baptizare, & abluc peccata tua*; ergo per charitatem perfectam non eſt conſequutus peccatorum veniam. IV. Cornelius Actor 10. vocatur *vir religioſus, ac timens Deum, cum omni domo ſua faciens eleemoſynas multas*; & verſu 22. *vir juſtus*, & tamen debuit baptizari: ergo quanvis fuiſſet juſtus, non eſt tamen conſequutus peccatorum veniam antequam baptizaretur. V. Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. exigit amorem Dei inter diſpoſitiones ad baptiſmum neceſſarias: dicit enim: quod baptizandus *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiat*: ergo ex Concilio Dei amor non reconciliat hominem ſine Sacramento. VI. Tridentinum pariter ſeſſ. 13. cap. 7 vult, quod nemo, *quanvis ſibi videatur contritus, accedere debeat ad Sacram Eucharistiam ante Sacramentalem Confeſſionem*: ergo non juſtificatur homo peccator per contritionem perfectam. VII. Auguſtinus docet, quod Catechumenis non dimittuntur peccata, niſi quando baptizantur: ergo ex Auguſtino ad peccatorum remiſſionem requiritur Sacramentum. Probatur antecedens ex Auguſtini verbis; ait enim tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat; non dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum*. Et tract. 4. *Omnia peccata ſuper illum ſunt, & niſi venerit ad ſalutarem baptiſmum, ubi peccata ſolvuntur, cum omni ſua excellentia, non poteſt intrare in Regnum Cæloram*. Et lib. de unitate Eccleſiæ cap. 22. *Utrumque neceſſarium eſt ad regnum Dei adipiſcendum, & baptiſmus, & juſtitia. Alterum ſine altero*, ait lib. de baptiſmo contra Donat. cap. 11. *parum eſt, Utrumque perficit æternæ poſſeſſionis hæredem*. VIII. Idem Auguſtinus ſupponit, quod Catechumenus, qui etiam divina charitate flagrat, non conſequatur peccatorum veniam ante baptiſmum; inquit enim. *Nec ego dubito Catechumenum Catholicum divina charitate fla-*

Google

flagrantem hæretico baptizato antepone-re. Et lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap.26. *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, ei non valet ad intrandum in Regnum Cælorum*. IX. Idem Auguſtinus epiſt. 228, alias 180. ad Honoratum, accuſat Paſtores, qui perſecutionis tempore fugiunt, & oves ſuas ſine Sacramentorum ope relinquunt: ergo ex Auguſtino perfecta contritio ſine Sacramento non ſufficit ad peccatorum remiſſionem. X. Nazianzenus orat.40., & Fulgentius in epiſt. ad Ferrandum, noſtræ Concluſioni opponuntur.

Reſpondemus ad I., mulierem peccatricem habuiſſe dilectionem priuſquam peccatorum remiſſionem obtinuiſſet, prioritate quidem naturæ, ſed non prioritate temporis, quia, ut ajunt, ultima diſpoſitio & forma ſunt ſimul tempore. Chriſtus autem quando dixit: *remittuntur ei peccata multa*, datam veniam confirmavit, ſed non veniam primo conceſſit; ſicut quando Marci 5. dixit mulieri iam ſanatæ: *eſto ſana a plaga tua*, non ſanavit eam verbis hiſce, ſed declaravit eſſe ſanatam; ita pariter peccata ab illa removit, quando habuit charitatē perfectam, & fuit a Deo interius mundata, & abſoluta: at deinde per verba illa *remittuntur ei peccata multa*, voluit abſolutionem ejus coram hominibus declarare & confirmare.

Ad II. duplicem adhibet reſponſionem Tournely; prima eſt, quod Auguſtinus loquatur de toto mulieris acceſſu adæquate ſumpto, prout ſcilicet complectitur propoſitum veniendi ad Chriſtum, & mulieris progreſſum, donec Chriſti præſentia frueretur, & in ejus amore exardeſceret; altera eſt, quod acceſſerit immunda, quia paulo ante talis erat, & palam habebatur adhuc peccatrix, licet interius a peccatis mundata fuiſſet.

Ad III. dicitur, quod contritio perfecta, quam quis habet ante Sacramentum, non diſpenſat a lege percipiendi Sacramentum; unde Paulus merito fuit baptizatus, quanquam fuiſſet ex perfecta charitate juſtificatus. Duplex adhibetur ratio; prima eſt, quia mandatum Chriſti impleri debet ſemper, & nos habemus mandatum Chriſti de baptiſmo percipiendo; altera eſt, quia contritio non reconciliat, niſi quatenus includit votum, ſeu deſiderium baptiſmi, ut docet Tridentinum ſeſſ.14. cap.4.

Ad IV. Actorum 10. dicitur expreſſe, Spiritum Sanctum cecidiſſe in Cornelium, antequam baptizaretur; neceſſarius tamen fuit baptiſmus, & quia, quanvis homo ſupponatur adeptus juſtitiam, Sacramentum tamen augmentum gratiæ producit; & quia præter inviſibilē ſanctitatem animæ, homo per baptiſmum exterius coadunatur ſocietati Fidelium, ſeu Eccleſiæ, quod fit per viſibile Sacramentum baptiſmi; & tandem quia, ut docet Auguſtinus lib.4. contra Donatiſtas cap.21., *ne ſecura eſſet juſtitia Catechumeni, dictum eſt; niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum. Rurſus ne percepto baptiſmo ſecura eſſet iniquitas baptizatorum, dictum eſt: niſi abundaverit juſtitia veſtra &c.* Quibus addit Tournely. „. Aberrant igitur, qui „ aſſerunt, vel inutilem eſſe Sacramentorum perceptionem iis, qui jam „ ex perfecta charitate ſanctificati „ ſunt, vel eos ſine voto Sacramenti „ fuiſſe ſanctificatos, quem utrumque „ errorem evertit Concilium Tridentinum tum ſeſſ.13. cap.7. & Can.11. tum „ ſeſſ.14. cap.4. „

Ad V. diſtinguitur conſequens: ergo ex Concilio Dei amor imperfectus, ſeu minus perfectus, qui non eſt charitas, ſed inferior, non reconciliat hominem conceditur: amor perfectus, & veræ charitatis, negatur. Diſtinctio ſic explicatur a citato Tournely. „. „ ſeſſione enim 14. cap.4. citato expreſſe docet, perfectam contritionem „ juſtificare antequam Sacramentum „ actu percipiatur. In citata igitur ſeſſione ſexta cap.6. Concilium loquitur „ da amore initiali, & imperfecto, „ quanquam ſe ipſum diſerte non exponat. Eo enim in loco initium quidem amoris exigit Synodus in iis, „ qui ſe præparant ad baptiſmum, ſed „ diſerte non exponit, nec explicat, „ qualis debeat eſſe amor ille, an charitatis, an alius, qui ſpei dicitur, „ ſufficiat. Rem inter Scholaſticos controverſam definire noluit Concilium, „ unde de induſtria, amorem illum dilectionem ſimpliciter appellavit, non „ charitatem, imo nec addidit debere „ eſſe ſuper omnia, ſicut antea obſervavi-

„ vavimus ex Andrea Vega lib. 6. cap. „ 28. de juſtificatione. Sub dubio igi- „ tur, ac in ſuſpenſo relictum eſt, quid „ voluerit Concilium, cum exigit a baptizandis, ut *diligere incipiant Deum* „ *tanquam fontem totius juſtitiæ*: an in- „ tellexerit juſtitiam, ſeu ſanctitatem, „ qua Deus in ſe Sanctus eſt, & ſub ea „ præciſe formali ratione, qua nos ſan- „ ctos, & beatos efficit: uno verbo: „ objectum dilectionis noſtræ, nempe „ Deum, deſignavit quidem Synodus, „ ſed motivum formale illius non aſſi- „ gnavit, verum Scholæ diſputationi- „ bus controverſiam hanc permiſit. „. „ Et Jueninus objectionē hanc ſibi facit „ cum Eſtio. Concilium Tridentinum „ non dicit contritionem charitate per- „ fectam *ſemper* remittere peccatum, „ autequam Sacramentum actu ſuſci- „ piatur, ſed *aliquando* tantum: *&ſi* „ (inquit Sacra Synodus) *contritionem* „ *hanc aliquando charitatem perfectam* „ *eſſe contigat, hominemque Deo recon-* „ *ciliare, priuſquam hoc Sacramentum* „ *actu ſuſcipiatur*; ergo immerito aſſe- „ rit, contritionem perfectam *ſemper* „ remittere peccatum, antequam Sa- „ cramentum actu percipiatur. Re- „ ſpondet negando antecedens; ratio „ eſt, quia Concilium adverbium *ali-* „ *quando* non conjungit cum his verbis: „ *hominem Deo reconciliare*, ſed cum his „ aliis: charitate perfectam eſſe: ita ut „ ſenſus ſit, contritionem, quam ali- „ quando charitatem perfectam eſſe „ contingit, hominem reconciliare, „ priuſquam Sacramentum actu reci- „ piatur. „. Poſt quæ inquirens, quid Concilium Tridentinum intellexerit per contritionem charitate perfe- ctam. Reſpondet, I. „. Eſtio viſum „ fuiſſe, ſacram Synodum per contri- „ tionem *charitate perfectam* intellexiſſe „ omnem dolorem, qui ex motivo „ charitatis Dei ſuper omnia, licet in „ gradu remiſſo, concipitur, hinc que „ concluſit, contritionem perfectam, „ non *ſemper* ſed *aliquando tantum*, in „ caſu nimirum neceſſitatis, aut ſcan- „ dali, ſatis eſſe ad gratiam cum Sa- „ cramenti voto recipiendam. Reſpon- „ det II. Alios, quibus ſubſcribimus, „ cenſere, Concilium Tridentinum per „ contritionem *charitate perfectam*, non „ intellexiſſe omnem dolorem, qui „ ex motivo charitatis Dei ſuper om- „ nia concipitur, ſed eum tantum, qui „ concipitur ex motivo multum inten- „ ſæ, ac valde ferventis charitatis Dei „ ſuper omnia. Ratio eſt primo, quia „ ita Concilium explicatur ab auctori- „ bus Catechiſmi Romani ad Parochos; „ *ut hoc concedamus*, inquiunt, *contri-* „ *tione peccata deleri, quis ignorat, eam* „ *adeo vehementem, acrem, & incen-* „ *ſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas* „ *eum ſcelerum magnitudine æquari, con-* „ *ferri ve poſſit*. Ratio eſt ſecundo, quia „ actus ex motivo finis ſecundum ſpe- „ ciem perfecti, ſi in individuo ſit actus „ debilis, ac remiſſus, non dicitur „ ſimpliciter actus perfectus: ſic actus, „ qui habet unum tantum aut alterum „ gradum charitatis, non dicitur actus „ perfectus: ſic etiam homo, in quo „ ſunt unus, aut duo tantum gradus „ amoris Dei ſuper omnia, non dicitur „ Deum perfecte diligere. Ratio eſt „ tertio, quia ſe habet contritio reſpe- „ ctu voluntatis, ſicut ſcientia reſpe- „ ctu intellectus: ergo, quemadmo- „ dum Intellectus non dicitur ſcien- „ tia perfectus, quando habet ſcientiam „ tantum in gradu remiſſo, ita nec „ contritio dicitur charitate perfecta, „ cum concipitur ex remiſſa, & parum „ fervente charitate Dei ſuper om- „ nia. „.

Ad VI. dicitur, Tridentinum Præceptum eo potiſſimū ſpectare, ut reddat hominē certiorem de ſuorum peccatorum remiſſione, quam habet per ſacramentalem Confeſſionem, potius quam per illam, quam habere poteſt per perfectam contritionem; quia de hac nō poteſt eſſe adeo certus & ſecurus ut eſt per ſacramentalem Confeſſionem. Inſuper Tridentini decretum reſpicit quoque majorem reverentiam, quam Sacratiſſimæ Euchariſtiæ debemus impendere, quia homo, & ſi contritus, poteſt ſemper dubitare an talis ſit; quando vero confitetur, licet perfecte non ſit contritus, & ſit ſolummodo attritus, per confeſſionem tamen fit contritus. Denique quum in perfecta contritione contineatur ſacramentalis Confeſſionis votum, ſemper eſt melius, ut ipſa Confeſſio adhibeatur, quando adhiberi poteſt, & huc reſpicit Tridentini mandatum.

Ad VII. Auguſtinus loquitur de Catechumenis, qui vel contemnebant, vel negligebant baptiſmum, falſo putantes,

tes, quod ſibi inutilis eſſet, & ſua tantum ſatis eſſet probitas, vel ſanctitas; non vero loquitur de Catechumenis illis, qui non per contemptum, vel negligentiam, ſed per ſolam neceſſitatem baptiſmum non recipiebant. Hoc totum conſtat ex Auguſtini verbis tract. 13. in Joannem *Quare oportebat, ut Dominus baptizaretur? quia multi contempturi erant baptiſmum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderant alios fideles, V. G. ſi jam continenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret ſe meliorem eſſe, quam ſit ille Fidelis. Ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo: quid mihi opus eſt recipere baptiſmum, ut hoc habeam, quod iſte, quo jam melior ſum?*

Ad VIII. Prima Auguſtini auctoritas explicatur, quod Catechumenus ille anteponendus ſit hæretico baptizato, immo & Catholico, qui fictus ad baptiſmum acceſſit; quod quidem nec nos negamus, neque a quovis negari poteſt. Pro ſecunda auctoritate dicitur, quod Auguſtinus loquitur de ſanctificatione exteriori Catechumeni, quæ conſiſtebat in ceremoniis illis, quibus ſanctificabantur, & præparabantur Catechumeni ad baptiſmum; non vero loquitur de vera ſanctificatione interiori, quæ in perfecta contritione conſiſtit.

Ad IX. Objectio propoſita urget etiam Adverſarios, quia ſupponit neceſſitatis caſum. Cæterum Auguſtinus rite reprehendit Paſtores, qui perſecutionis tempore oves ſuas dereliquebant, quia tunc temporis magis iiſdem neceſſaria erant Sacramenta, & ob Paſtorum abſentiam Sacramentis privabantur. Ratio autem potiſſima eſt, quia in contritione perfecta ſemper includitur Pænitentiæ votum, ſeu deſiderium; unde ſemper quod ipſa haberi poteſt, omittenda non eſt; & denique quia homo per ipſam magis in tuto ponitur de ſua æterna ſalute, quam per contritionẽ ſolam, quia ſemper dubitare poteſt, an ipſam habuerit vel ne, & an illa, quam habuit, fuerit perfecta, vel ne?

Ad X. Non negamus, Nazianzenum, & Fulgentium in alia ſententia fuiſſe ab illa, quam nos hic propugnamus. Attamen dicimus cum aliis noſtræ ſententiæ Propugnatoribus, quod ſicut Nazianzeno, & Fulgentio licuit aliis Doctoribus, & Patribus in hoc non ſubſcribere, ita nec nobis illicitum eſſe putamus, ab iiſdem recedere.

Pro altera Diſſertationis parte, multipliciter poteſt ipſa intelligi; & quidem primo, an aliquis Dei amor ſit neceſſarius in Pænitente, ut debite ad Pænitentiæ Sacramentum accedat? Secundo, an omnis amor Dei ſuper omnia ex ſe habeat ut hominem ſanctificet? Tertio, an Charitas & Contritio perfecta conferat juſtitiam extra Sacramentum? Quarto demum, an contritio perfecta, quæ confert juſtitiam ex ſe, ſit diſpoſitio neceſſaria ad recte percipiendum Pænitentiæ Sacramentum? De primo modo loquemur infra; de ſecundo & tertio loquuti fuimus in præcedentibus; remanet igitur, ut hæc altera Diſſertationis pars de quarto tantum modo intelligatur: Circa quod Theologi non conveniunt, adeoque oportet primitus ipſorum placita recitare.

Primo, Theologi non pauci, qui ante Concilium Tridentinum ſcripſerunt, aſſerebant, perfectam contritionem eſſe diſpoſitionem neceſſariam, & immediatam ad Sacramentum debite percipiendum, ita ut attritio non eſſet plane ſufficiens. Hujus opinionis fuit Magiſter Sententiarum, quem Theologi nonnulli ſequuti ſunt, qui & proinde dixerunt, abſolutionem ſacramentalem eſſe dumtaxat declaratoriam peccati jam dimiſſi.

Secundo, alii, qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt, quanvis exiſtimaverint, hominem per contritionem perfectam jam juſtificatum, abſolutionem tamen declaratoriam eſſe, affirmare non auſi ſunt.

Tertio, alii volunt attritionem non eſſe immediatam diſpoſitionem ad Sacramenti effectum, ſed ſolum mediatam; & ratio ipſorum eſt; quia Pænitens virtute Sacramenti debet interius mutari, & de attrito fieri contritus, & per hanc contritionem deinde redditur proxime & immediate capax recipiendi Sacramenti effectum, & hoc pacto conciliare putant contritionis perfectæ neceſſitatem, & Sacramenti efficaciam.

Quarto, alii affirmant, contritionem perfectam, quæ juſtificat ante Sacramen-

men-

„ mentum, non eſſe diſpoſitionem ne-
„ ceſſario prærequiſitam ad Sacramen-
„ tum Pænitentiæ debite percipien-
„ dum.„.

Dicimus II. Contritionem perfectam, quæ juſtificat ante Sacramentum, non eſſe diſpoſitionem neceſſario requiſitam ad Sacramentum Pænitentiæ debite percipiendum.

I. Probatur Concluſio ex Concilio Tridentino. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. docet: *aliquando contingere, contritionem eſſe charitate perfectam, & hominem Deo reconciliari, priuſquam Sacramentum actu percipiatur*; ſed quod contingit aliquando, dici nequit ſemper & ordinario neceſſarium: erga contritio perfecta non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Pænitentiæ Sacramentum rite ſuſcipiendum. Inſuper ex iiſdem Concilii verbis argui non immerito poteſt, quod ſicut aliquando contingit, quod contritio perfecta ante Sacramentum hominem juſtificet, ita & multo ſæpius accidat, quod contritio minus perfecta ſimul cum Sacramento juſtificet hominem: ergo ex mente Concilii deduci non poteſt, quod ita ſit neceſſaria contritio perfecta ad juſtificationem Peccatoris, ut aliquando non ſufficiat contritio minus perfecta ad juſtiſcandum hominem ſimul cum Sacramento, Denique idem Concilium citato loco docet, *Contritionem imperfectam, ſeu attritionem, quamvis ſine Sacramento Pænitentiæ ad juſtificationem perducere peccatorem* nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam diſponere. Et per hæc quidem ſatis Concilium declaravit, Contritionem minus perfectam ſufficere ad juſtificationem Peccatoris cum Sacramento: ergo non intellexit Contritionem perfectam eſſe diſpoſitionem neceſſario prærequiſitam ad Pænitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum, ad ejuſque efficaciam percipiendam.

II. probatur. Sacramentum Pænitentiæ ex ſui inſtitutione non debet ſupponere peccatum jam dimiſſum per contritionem perfectam: ergo non habet contritionem perfectam, ut neceſſariam diſpoſitionem, ut ipſum valide ſuſcipiatur. Probatur antecedens. Sacramentum Pænitentiæ ex ſe inſtitutum eſt ad dimittenda peccata: ergo non debet ſupponere peccatum jam dimiſſum per contritionem perfectam. Probatur autecedens. Sacramentum Pænitentiæ per ſe inſtitutum eſt ad ſuſcitandos homines a morte peccati: ergo ex ſua inſtitutione habet, ut peccata dimittat.

III. probatur. Eccleſia accepit a Deo poteſtatem dimittendi peccata, non vero poteſtatem declarandi peccata eſſe remiſſa; ſed ſi contritio perfecta eſſet diſpoſitio neceſſaria ad Pænitentiæ Sacramentum rite ſuſcipiendum, poteſtas a Chriſto Eccleſiæ conceſſa non eſſet ad remiſſionem peccatorum, ſed tantummodo ad declarationem hujuſmodi remiſſionis; ergo contritio perfecta, quæ Peccatorem juſtificat ante Sacramentum, non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Sacramentum. Probatur Minor. Per contritionem perfectam jam ſupponerentur peccata dimiſſa: ergo abſolutio ſacramentalia peccata non remitteret, ſed tantum declararet ea eſſe remiſſa; ergo poteſtas Eccleſiæ collata a Chriſto non eſſet ad remiſſionem peccatorum, ſed ſolummodo ad declarationem hujuſmodi remiſſionis, ſi contritio perfecta eſſet conditio neceſſario prærequiſita ad Sacramentum Pænitentiæ valide ſuſcipiendum.

Objiciunt I. Salvari poteſt, quod utraque contritio, imperfecta ſcilicet, & perfecta, ſit diſpoſitio ad Sacramentum Pænitentiæ valide ſuſcipiendum, ſi dicatur, quod contritio imperfecta diſponat remote, contritio autem perfecta diſponat proxime: ergo ſtare poteſt, quod utraque ſit diſpoſitio neceſſaria, una quidem mediata, altera vero immediata. II. In contritionem perfecta ſemper includitur Sacramenti votum: ergo vis illius ſemper ad Sacramentum refunditur: ergo non eſtenuat, ſed coadiuvat potius Sacramenti virtutem. III. Contritio perfecta eſt pars eſſentialis Sacramenti: ergo quæcunque vis eidem datur, ſemper Sacramento adſcribitur. IV. Ut Sacramentum Pænitentiæ non reddatur inutile, etiam quando dicitur, quod per contritionem perfectam peccatum remittitur, ſufficit ſi dicatur, quod deinde per Pænitentiæ Sacramentũ augetur gratia, & pæna peccatis debita remittitur.

V. Dici etiam poteſt, quod attritio ſit diſpoſitio ad Contritionem, & Contritio ſit diſpoſitio ad Sacramentum; ergo nullum ſequitur inconveniens, ſi dicatur, contritionem perfectam eſſe conditionem neceſſario requiſitam ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem. VI. In Contritione perfecta neceſſario includi debet votum, ſeu deſiderium Sacramenti; ſed votum ſeu deſiderium Sacramenti continet virtutem Sacramenti: ergo in contritione perfectâ cõtinetur ipſum Sacramentum, ejuſque virtus eſt ipſiſmet Sacramenti virtus.

Reſpondemus ad I. diſpoſitionem remotam, & proximam, utranque applicari ad contritionem minus perfectam, ſeu ad attritionem, cum hac tamen differentia, quod ipſa extra Sacramentum diſponit remote ad effectum illius, in Sacramento vero diſponit proxime. Non eſt ergo neceſſe, ut recurramus ad contritionem perfectam, & ipſi tribuamus, quod ſit diſpoſitio proxima ad eundem effectum.

Ad II. Contritio perfecta extra Sacramentum juſtificat Peccatorem, *ex opere operantis*, etiamſi includat Sacramenti votum; Sacramentum vero juſtificat peccatorem *ex opere operato*, ut ipſummet Tridentinum docet: ergo non eſt eadem juſtificatio, quæ habetur ex contritione perfecta, etiam cum Sacramenti voto, & quæ habetur ex ipſomet Sacramento: ergo neque eſſe contritio perfecta diſpoſitio proxima, & immediata ad Sacramenti effectum percipiendum.

Ad III. Quamvis contritio perfecta ſit pars eſſentialis Sacramenti, ſemper tamen juſtificatio, quæ per Sacramentum habetur, a Tridentino tribuitur verbis formæ, & non contritioni: ergo juſtificatio, quæ per Sacramentum habetur non eſt tribuenda ſoli contritioni, adeoque non eſt diſpoſitio immediate & proxima ad Sacramenti effectum percipiendum.

Ad IV. dicitur, quod efficacia Sacramenti Pœnitentiæ non conſiſtit in eo tantum, ut augeat gratiam, ſed ut primo illam reſtituat; nec pariter conſiſtit, ut relaxet ſolam pœnam temporalem, ſed etiam æternam, ut ſuo loco a nobis dictum eſt.

Ad V. Concilium Tridentinum non docuit, attritionem diſponere ad contritionem, ſed ad gratiam percipiendam in Sacramento. Cæterum illud, quod comuniter dicitur, Pœnitentem in Sacramento de attrito fieri contritum, intelligitur, quod accedente Sacramento, ad quod proxime diſponit attritio, acquirat gratiam ſanctificantem, qua accepta, fit perfecta contritio.

Ad VI. dicitur, quod & ſi in Contritione perfecta contineatur votum ſeu deſiderium Sacramenti, non per hoc tamen fit, quod ſit ipſum Sacramentum in re. Ut autem videatur, quid ſit hoc votum, ſeu deſiderium Sacramenti, ad tertiam Diſſertationis partem accedimus.

Igitur pro tertia Diſſertationis parte conveniunt omnes, quod per votum Sacramenti intelligatur deſiderium, ſeu voluntas percipiendi Sacramentum. Diſtinguunt pariter votum Sacramenti in explicitum, & implicitum; primum importat explicitâ rei cognitionem, & expreſſam ejus obtinendæ voluntatem; alterum vero importat generale & implicitum deſiderium, quo homo cupit omnia Dei mandata adimplere. Hoc ſecundum votum ſemper in Contritione perfecta includitur, non ſic vero primum. Inſuper advertere oportet, quod aliud eſt eſſe neceſſarium votum alicujus rei, aliud eſt eſſe neceſſariam rem in voto; quia prius ſignificat eſſe neceſſariam voluntatem obſervandi rem præceptam; aliud vero importat, rem præceptam eſſe tantæ neceſſitatis abſolute, ut ſi non poſſit haberi in re, habeatur ſaltem in voto. Denique conveniunt omnes, quod votum Sacramenti non agat *ex opere operato*, ſicut Sacramentum agit, ſed ex opere operantis; & quod gratia, quæ infunditur per votum Sacramenti, proprie non ſit gratia ſacramentalis.

Dicimus III. Votum, ſeu deſiderium Sacramenti Pœnitentiæ, quod includitur in contritione perfecta, debere eſſe explicitum.

I. Probatur ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. ubi dicitur, quod ii, qui ſunt baptizandi, præparari debent ad obtinendam gratiam juſtificantem; & præparatio includit propoſitum inchoandi novam vitam, & ſervandi divi-

divina mandata. *Denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata*. Et ſeſſ. 14. cap. 4. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum motus contritionis neceſſarius; & in homine poſt baptiſmum lapſo, ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum Sacramentum requirunt*. Et infra. *Reconciliationem, quæ per contritionem perfectam obtinetur, non eſſe adſcribendam ipſi contritioni, ſine voto Sacramenti, quod in illa includitur*. Ex quibus verbis patet, quod diſtincta eſt mentio voti Sacramenti, quod includitur in Contritione: igitur non eſt intelligenda de voto implicito, & generali, quia aliter Concilium non feciſſet expreſſam mentionem, quam fecit.

II. Probatur his verbis a Tournely. „
„ Votum medii, quod ex ordinatione
„ divina neceſſarium eſt ad ſalutem,
„ debet eſſe diverſum a voto rei, quæ ex
„ præcepto eſt neceſſario votũ rei iſtius
„ ſed votũ rei iſtius debet eſſe ſaltẽ im-
„ plicitũ; Sic morti proximus debet im-
„ plicitum ſaltẽ habere deſiderium Eu-
„ chariſtiæ, & extremæ unctionis, quia
„ utrunque Sacramentum ex præcepto
„ neceſſarium eſt; ergo votum Sacra-
„ menti Pænitentiæ, quod eſt medium
„ abſolute neceſſarium ad ſalutem, de-
„ bet eſſe explicitum: alias majoris
„ neceſſitatis non foret votum Bapti-
„ ſmi, & Pænitentiæ, quam cujuslibet
„ alterius mandati Chriſti. Ratio eſt,
„ quia cum Saeramentum re perce-
„ ptum neceſſarium eſt neceſſitate, ut
„ vocant, medii, votum, ſeu deſide-
„ rium illius, Deo ita indulgente, ſup-
„ plet in caſu neceſſitatis vices Sacra-
„ menti: ergo ſingulari aliqua ratione,
„ diſtincta a deſiderio obſervandi cæ-
„ tera mandata Dei, requiritur votum
„ hujus Sacramenti. At non alia eſt
„ ſingularis ratio magis diſtincta, niſi
„ quod rei, quæ neceſſaria eſt medii
„ neceſſitate, deſiderium debet eſſe
„ explicitum, non vero rei, quæ ne-
„ ceſſaria eſt duntaxat ex precepto;
„ ejus proinde votum implicitum ſuf-
„ ficit. „.

Opponunt I. peccata remitti per Sacramentum Pænitentiæ in voto, non includit obligationem, & conditionem percipiendi Sacramentum: ergo votum illud, ſeu deſiderium non debet eſſe explicitum. II. Votum ipſum ordinatur ad futurũ Sacramentum, de quo legem habemus; ergo ordinatur ad ipſum ut a lege præceptum: ergo ſufficit, quod votum ſit de adimplendis illis omnibus, quæ a lege præcipiuntur: ergo ſufficit votum implicitum.

Reſpondemus ad I. quod ſi ſenſus ſit peccata non dimitti niſi adimpleatur conditio, hoc eſt, quando Sacrameutum percipitur, propoſitio eſt falſa: ratio eſt, quia contritio perfecta ſtatim reconciliat hominem Deo, & non expectat ut impleatur conditio, a qua non dependet. Si vero ſit ſenſus, peccata quidem dimitti, ſed cum ordine ad futurum Sacramentum, cujus percipiendi lex data eſt, & nobis incurrit obligatio, propoſitio eſt vera. Ex hoc autem non ſequitur, quod votum percipiendi Sacramentum ſufficiat ſi ſit implicitum.

Ad II. Affertur hæc comparatio a Suarez *de Pænitent*. diſp. 17. ſect. 2. num. 7. quod ſicut in emptione alicujus rei, ante totum pretium ſolutum, rei dominium acquiritur ementi abſolute, ſed nihilominus cum ordine ad futuram integram ſolutionem; & proinde quando hæc impletur, licet non acquiratur novum & majus dominium rei, prior tamen contractus in ſuo ordine completur; ita pariter per contritionem dimittuntur peccata in ordine ad futurum Sacramentum, quaſi ad futuram ſolutionem; quam comparationem a Suarez mutuatur Tournely, qui ſubdit. „ unde quan-
„ do poſtea percipitur Sacramentum,
„ completur contractus prior, qnan-
„ tum ex parte noſtra oportet, & fieri
„ poteſt. „

DISSERTATIO CCCLXXII.

De Contritione imperfecta, ſeu Attritione. An Attritio concepta ex timore Gehennæ ſit bona, honeſta, & laudabilis? An includere debeat aliquem Dei amorem, & qualem? Et quid de hoc Tridentinum Concilium definierit?

ATtritio, quam Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. *contritionem imperfectam* vocat, ex eodem Concilio dupliciter concipi poteſt, ex conſideratione nimirum turpitudinis peccati, & ex metu Gehennæ, atque pænarum. Eandem quoque Concilium præfatum laudat, & utilem eſſe declarat; & quanvis eam ſufficientem eſſe ad Peccatoris juſtificationem ſine Sacramento Pænitentiæ, non definiat, vult nihilominus diſponere ad Dei gratiam in eodem Sacramento recipiendam, vel impetrandam. Et hæc ſunt Sacroſancti Concilii citato loco verba. *Docet ſancta Synodus illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccati excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo Pænitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat; & quanvis ſine Sacramento pænitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pænitentiæ impetrandam diſponit*. Quum ergo Tridentini verba circa attritionis ideam ſatis clara ſint, neſcimus quo fundamento moderniores quidam Theologi, & inter hos Jueninus, attritionem explicent per contritionem quidem imperfectam, ſed ideo eam imperfectam eſſe dicunt, quia in gradu remiſſiori ſit, quando perfectam velint, in intenſiori gradu eſſe ponendam. Proinde in ipſorum attritione volunt pro motivo Dei amorem, ſed remiſſum, & in contritione perfecta Dei amorem, ſed intenſum; quando nos contra in ſuperioribus diximus, dolorem ex amore Dei conceptum, & ſi in gradu remiſſo, eſſe contritionem, non autem attritionem; & quidem contritionem, quam vocavimus minus perfectam, ſeu imperfectam, & proinde modo attritionem cum Tridentino dicimus imperfectam contritionem. Revera Tridentinum attritionem hanc, ſeu contritionem imperfectam ex duplici motivo dicit, ex turpitudine ſcilicet peccati, & ex metu gehennæ, atque pænarum, non autem ex motivo amoris Dei, cujus in præfatis Concilii verbis altum eſt ſilentium.

Ex his facile intelligitur, an vera ſint, quæ moderniores Scriptores de attritione ſcribunt, ſcilicet de ejus nomine in Scholas invecto; de ejus inventione, quam Scholaſticis Theologis adſcribunt; & de ejus differentia a Contritione perfecta. Horum verba hic recitamus, ut Legentes facile videant, nihil Nos iiſdem de placito noſtro imputare, ſed omni poſſibili fidelitate eorum mentem adaperire. Igitur Eſtius in quarto diſt. 16. §. 9. hæc docet, „. Attritionis nomen ſcriptu-

ræ

ræ & Patribus incognitum a Scholæ Doctoribus diſtinctionis, & doctrinæ cauſa fuit excogitatum, ad ſignificandum dolorem de peccato, ſeu pænitentiam quandam imperfectam. Sicut enim in corporalibus attritum dicitur, quod aliquando, nempe foriſecus tantum læſum eſt, aut comminutum, contritum vero, quod totam intus, & forisfractione in minima reſolutum eſt, ita in ſpiritualibus attritio ab illis dicta eſt imperfecta quædam, & aliquo uſque tantum progreſſa pænitentia; contritio vero pænitentia intima & perfecta. Poteſt autem attritio, ſeu imperfecta pænitentia pluribus modis intelligi. Uno modo, cum quis peccaſſe ſe dolet propter humana ac naturalia quædam pænitentiæ incitamenta; velut propter adjunctam peccato turpitudinem, vel conſequentem ex eo infamiam, aut aliud quodcunque damnum, aut ſupplicium temporale; vel quia quod fecit, contra rationem & honeſtatem eſſe intelligit, aut quia videt, ſe per illud diſplicere parentibus, amicis, aut viris bonis. Hoc pænitentiæ genus haberi poteſt ex ſolis naturæ viribus, & reperitur etiam in Inſidelibus. Talis etat pænitentia Antiochi 2. Machab. 9. Alio modo, quando quis dolet de peccato propter metum gehennæ peccatoribus præparatæ, ideſt pænæ æternæ, ac ſpiritualis, quam ſolo fidei lumine illuſtratus cognoſcit. Hic do'or, ſicut & gehennæ timor, Dei donum eſt, nec niſi in Credentibus reperitur. Tertio modo, dum quis dolet de peccato propter Dei offenſam, non tamen abſoluta, & efficaci voluntate, ſed ſuſpenſa & optativa tantum; qua nimirum vellet relinquere peccatum, & peccandi affectum, & Deo placere, non tamen relinquit peccatum, neque ſimpliciter deponit peccandi affectum, nec ea facit, ſine quibus Deo non poteſt placere; cujuſmodi imperfecta voluntas vulgo *velleitas* vocari ſolet, qualem interdum habent uſurarii, & concubinarii; nihilominus in ſtatu peccati permanentes. Poſtremo, dum quis de peccato dolet, quia Deum offendit, & abſolute proponit non peccare de cætero, ſed id facit imperfecta, remiſſa, ac debili voluntate. Forſan & alii modi attritionis afferri poſſent, velut diſtinguendo propoſitum emendationis actuale, & virtuale, item proprium, & confuſum. Erit enim imperfecta quædam pænitentia, ſi peccator tantum virtuale, aut tantum confuſum propoſitum habeat de cætero vitandi peccatum. Sed hi modi ad tertium, vel quartum videntur revocandi. ,, . Inſuper Ioannes Morinus in Comentario hiſtorico *de Pænitentia* lib. 8. cap. 2. §. 14. ſcribit. ,, . Verum his difficultalibus omiſſis, quæ a ſcopo longius abſunt, iis tantum enarrandum immorabimur, quæ in eum recte collimant. Cum igitur apud antiquos illos Scholaſticos, Magiſtro, & ipſius diſcipulis, ab ipſo viva voce edoctis, immediate ſuccedentes, ratum eſſet, Contritionem juſtificationis, & gratiæ gratum facientis eſſe pediſſequam, nomen illis excogitandum fuit, quo præparationes ad gratiam gratum facientem ſuſcipiendam notare, & iudigitare poſſent. Hactenus enim Contritione cordis, & compunctione potiſſimum ſignificatæ fuerant. Certum enim & exploratum erat apud eos, juſtificationem formalem, licet in inſtanti fieret, multis tamen præparationibus, & longo tempore opus eſſe ad formam illam inducendam, aliterque ut fieret, raro contingere. Nomen illud fuit *Attritio*, quo hæc omnia complexi ſunt: illo ut jam in ſcholis vulgato utuntur Alexander Alenſis, Guillelmus Pariſienſis, & Albertus magnus, & Poſteriorum nemo illud præteriit. Nonnulli tamen eodem tempore illud, aut non agnoverunt, aut neglexerunt. Sed Auctorum, qui hos anteceſſerunt, nullus mihi cognitus attritionem commemoravit, licet eaſdem cum his quæſtiones agitarent. Itaque nomen illud in Scholis vulgari cæpit poſt annum 1220, centum & pauciſſimis annis poſt natam Scholaſticam. Sic autem Attritionem inter, & Contritionem diſtinguebant, ut attritionem dicerent ex fide informe naſci, contritionem ex fide formata; attritionis principium eſſe timorem ſervilem, contritionis timorem initialem: attritionis cauſſas eſſe auxilia gratiæ, ſeu gratias gratis datas, Contritionis vero, gratiam gratum facientem. Hinc omnem dolorem de

pec-

peccato, Deique amorem in non habente gratiam attritioni tribuerunt; in habente gratiam, Contritioni. Atque eo uſque devenerunt antiquorum Scholaſticorum permulti, qui poſt tempus adnotatum ſcripſerunt, ut diſſertiſſime tanquam ab omnibus conceſſum aſſumerent, omnia opera ab auxiliis Spiritus Sancti hominem moventis, & impellentis ante gratiæ gratum facientis influxum procedentia, naturalibus, mortuis, & ingratuitis, ut ipſi loquuntur, eſſe adnumeranda; ſola vero opera habitum gratiæ conſequentia, ſupernaturalibus, vivis, & gratuitis, premiique æternis meritoriis. Vide Albertum *in 4. diſt.* 16. *art.* 8. Alexandrum *quarta parte ſummæ quæſt.* 17. *memb.* 5. *art.* 4. S. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 17. *art.* 2. *quæſt.* 3. S. Thomam *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc:* 3. *& diſt.* 14. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *Et ſummæ* 3. *parte*, *quæſt.* 89. *lib. arbitrio quæſt.* 14. *diſp.* 14. *memb.* 1. Nihil illi vivum, meritorium, & ſupernaturale judicabant, niſi quod eſſet habituali gratia illitum, & imbutum. Non ſane quod opera ante habitum gratiæ Spiritu Sancto movente edita, cum pure naturalibus plane confunderent, ſed quod ea gratia habituali affectis comparata in operum naturalium ordinem cogi deberent. Albertus enim iſto argumento preſſus, naturalia non fieri gratuita, eo confugit, ut dicat, Attritionem eſſe donum Spiritus ſancti, & ideo naturalibus non eſſe tribuendam. Sed paulo poſt ſubjici, iſta ſe probabiliter diſputare, poſſeque qui aliter ſenſerit, argumenta ſua facile ſolvere. Alii tamen non omnino improbabiliter contrarium colligere videbantur. Nam humanis meritis, & propriæ facultati tribuenda videntur, quæ quis agit ex habitu, non autem ſimpliciter gratuitis, & Deo, niſi quatenus omnium effectuum cauſſa eſt, eo quod in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus; quo ſenſu omnia ad Deum, ut auctorem ſuum referuntur; maxime vero quæ ſecundum habitum gratiæ fiunt, cum gratis & immerentibus hominibus concedatur. Sed hoc non videtur impedire; quin homo proprie auctor dicatur, & naturalis cauſſa illius effectus, quem ex habitu producit. Immo videtur contrarium efficere, ut homo ſcilicet excellentius, & perfectius cauſſa ſit, & merito dicatur. Habitus enim non facit, ut operemur, ſed ut cum operari volumus, facile operemur. Scitum eſt apud omnes Philoſophos, habitum eſſe in noſtra poteſtate, quo uti poſſumus, cum volumus, ſed non facit, ut velimus, immo quieſcit, donec voluntas eum pro libito exerceat. Deinde omnis habitus potentiæ alicui inſidet, quam excolit, & perficit; ideo habitus nihil aliud eſt, quam potentia hominis præparata, exculta, & perfecta. Aut nullius rei cauſſa homo dici poteſt, aut illius vera cauſſa eſt, quam per habitum, ut vult, agit. Habitus igitur quocunque modo homini inhærens, ſive a natura, ſive a diſciplina, ſive ab infuſione divina, videtur nihil aliud in homine operari, niſi ut homo vere, & perfecte agat, operiſque ſive interni, ſive externi propria & naturalis cauſſa ſit, & legitime, ex omnium hominum loquendi more dicatur „. Ulterius Jueninus in Inſtitutionib. Theologicis parte 8. diſſert. 5. art. 2. de Contritione imperfecta hæc habet. „ Contritio, quæ Attritio dicitur, duplici de cauſſa dici poteſt imperfecta; vel propter imperfectionem motivi, ex quo concipitur, vel propter imperfectionem gradus, qui reperitur in actu, qui ex motivo concipitur. Contritio, quæ aut ex conſideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ metu concipitur, dicitur imperfecta ratione motivi, ſeu ſpeciei; nam actus humani ſpeciem ſuam ex motivo, ſeu fine, deſumunt: e contra contritio, quæ ex motivo charitatis Dei ſuper omnia concipitur, dicitur perfecta ratione motivi, ſeu ſpeciei; neque enim fingi poteſt motivum perfectius motivo charitatis. Dolor, qui concipitur quidem ex motivo charitatis Dei ſuper omnia, ſed in quo pauci ſunt charitatis gradus, quippe ob id non multum eſt intenſus, ac fervens, dicitur contritio imperfecta, ratione paucorum graduum charitatis, qui in ea reperiuntur. Itaque utraque contritio, ſive quæ concipitur, aut ex conſideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ metu, aut ex motivo charitatis Dei ſuper omnia, ſed in gradu

remiſ-

„ remiſſo, ſimpliciter, & ſine addito „ dicitur imperfecta Contritio. Vide „ argumenta, quibus in ſuperiore pagina probatum eſt, & obiter advertere, eam imperfectæ contritionis ideam „ plurimum conferre ad eorum intelligentiam, quæ ſubſequentibus paragraphis dicentur. „. Præterea, Joannes Baptiſta Gormaz in tractatu *de Pænitent.* parte 1. diſput. 6. *de attritione.* „ Ex dictis tota diſputatione præcedenti clare conſtat, attritionem „ theologicam eſſe dolorem animi ſupernum deteſtativum peccati commiſſi, cum propoſito non peccandi „ de cætero; elicitum non quidem ex „ motivo charitatis, ſed ex quocunque alio motivo ad illius elicientiam „ ſufficienti, & ſatis approximato. „ Quapropter, quum ſolus amor ex motivo charitatis ſit amor Dei ſuper „ omnia, ſecus autem ex alio inferiori „ motivo; quum nullus actus excedat „ vim ſui motivi a quo accipit ſuam „ efficaciam; ita pariter ſola deteſtatio ex motivo charitatis erit deteſtatio peccati ſuper omnia; ſecus autem „ deteſtatio habita ex quocunque alio „ motivo inferiori. Exinde, quum attritio nunquam poſſit eſſe amor Dei, „ aut deteſtatio peccati appretiative ſuper omnia, neque poterit unquam „ fieri contritio.... Quinimmo aggregatum ex puro amore Dei ſuper omnia, & attritione, adhuc non contineret totum conſtitutivum perfectæ „ contritionis: quia licet contineret „ formalitatem amoris Dei ſuper omnia, non contineret formalitatem „ deteſtationis peccati ſuper omnia; ex „ qua utraque formalitate conſtituitur „ perfecta contritio.... Quando autem homo eliciens attritionem ſimul „ elicit amorem Dei ſuper omnia, talis „ amor non eſt purus amor, ſed etiam „ dolor deteſtativus peccatorum: tunc „ enim quum eliciat contritionem habet cognitionem peccati, ſine qua „ contritio elici nequit. Repugnat autem, quod quando homo amat Deum „ ſuper omnia, ut pote volens Deo bonum, quia ipſi bonum, non deteſtetur etiam, quod cognoſcit eſſe malum Dei, quia ipſi malum..... His „ præmiſſis, præcipua hujus diſputationis difficultas, ex qua ad reliquas quæſtiones diſſolvendas facilis erit progreſſus, conſiſtit in attritione concepta „ ex metu gehennæ, pro qua pugnandum eſt nobis, partim contra hæreticos, negantes eam eſſe ſupernaturalem, & honeſtam; & partim contra aliquot Catholicos, negantes ſufficere ad juſtificationem cum Sacramento, ut utrumque præſtemus, „ ſit. „. Denique, ut alios, qui adduci poſſent, omittamus, Tournel y de Sacramento Pænitentiæ quæſt. 5. hæc addit. „. Quomodo autem differant „ inter ſe contritio, & attritio, an ſpecie ſeu natura, an tantum intenſionis gradu & accidentaliter, ſicut perfectum ab imperfecto, non conſentiunt Theologi: pendet iſtud ex varia „ ipſorum ſententia circa motivum „ utriuſque. Qui veram in utraque charitatem exigunt, illas non ſpecie ac „ natura, ſed tantum accidentaliter, „ ratione intenſionis graduum, differre: qui vero diſtinctum ſpecie motivum, amorem ſcilicet veræ charitatis in contritione, & amorem ſpei in „ attritione poſtulant, ii ſpecie ac natura contritionem & attritionem diſtingui, arbitrantur; atque inde vario „ modo intelligitur decantatum illud „ apud veteres Scholaſticos axioma: „ *Pænitens in Sacramento Pænitentiæ fit de attrito contritus*. Iuxta priorem „ ſententiam, cum eadem charitas ſive „ extra Sacramentum, ſive vi Sacramenti, gradu, & intenſione augetur, „ intra eandem ſpeciem attritio fit contritio: in poſteriori vero ſententia, „ attritio nunquam poteſt fieri contritio, quæ enim natura, & ſpecie differunt, in ſe invicē converti ac tranſmutari non poſſunt: Pænitens igitur „ de attrito contritus fieri dicitur, vel „ cum amori concupiſcentiæ ſeu ſpei „ accedit amor benevolentiæ ſeu charitatis; vel cum virtute Sacramenti „ infunditur gratia ſanctificans, quæ „ habitu, & natura ſua vera eſt, ac perfecta charitas, diffuſa in cordibus per „ Spiritum Sanctum. „. Poſt quæ recitat hic Auctor Tridentini verba, quæ ſuper nos recitavimus; & poſt ipſa relata adjungit: „ Synodus his verbis, & „ errorem Lutheri perſtringit, & attritionis duplex ordinarium aſſignat „ motivum, turpitudinem nempe peccati, & timorem pœnarum; tum conditionis attritionis, & fructum ſeu „ utilitatem exponit. Conditiones ipſæ „ ſunt, ut excludat voluntatem peccandi,

„ di, adjunctam habeat veniæ ſpem,
„ & ſit ex impulſu Spiritus Sancti; effe-
„ ctus vero in eo eſt, ut Pænitentem
„ adjuvet, ipſi viam ad juſtitiam paret,
„ eumque diſponat ad gratiam in Sa-
„ cramento Pænitentiæ impetrandam.
„ Ex illis porro duplex dumtaxat mo-
„ tivum attritionis hic expendimus,
„ præcipue vero timorem gehennæ ac
„ pænarum, de quo potiſſimum diſpu-
„ tatio movetur; de conſideratione
„ quippe turpitudinis peccati vix ulla
„ difficultas eſt. Fatentur omnes non
„ ſufficere eam turpitudinis peccati
„ conſiderationem, ex qua Pænitens
„ in opinione hominum quamdam in-
„ famiam contrahit; ſed eam requiri,
„ quæ ad offenſam Dei, ſeu læſam di-
„ vinam juſtitiam, ordinem ac reſpe-
„ ctum iucludat. Unde Clerus Galli-
„ canus anno 1700. merito proſcripſit
„ inter alias multas iſtam propoſitio-
„ nem num. 86. *Attritio ex gehennæ me-*
„ *tu ſufficit etiam ſine ulla Dei dilectione,*
„ *ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu,*
„ *quia talis boneſta, & ſupernoturalis*
„ *eſt. Hæc propoſitio*, ait Cenſura, *qua*
„ *a diſpoſitionibus neceſſariis ad abſolutio-*
„ *nem excluditur qulibet ad Deum offen-*
„ *ſum reſpectus, temeraria eſt, ſcandaloſa,*
„ *pernicioſa, & in hæreſim inducit.* De
„ ſolo igitur timoris motivo in præſenti
„ Quæſtione controverſiam tribus ſe-
„ quentibus Articulis inſtituemus. Pri-
„ mus erit adverſus Novatores Luthe-
„ ranos & alios, ac ſpectat naturam
„ ipſam timoris, ſeu contritionis im-
„ perfectæ: an mala ſit, vitioſa, non
„ tantum inutilis, ſed etiam noxia, quæ
„ hominem magis peccatorem & hyp-
„ pocritam reddat; an vero bona, ho-
„ neſta, laudabilis, & utilis ad ſalutem?
„ Secundus, an Concilium Tridenti-
„ num definierit, vel non, amorem Dei
„ neceſſarium eſſe in attritione, ut ho-
„ minem diſponat ad gratiam in Sacra-
„ mento impetrandam? Tertius, an,
„ & quis requiratur Dei amor in attri-
„ tione, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad
„ Sacramentum Pænitentiæ cum fructu
percipiendum? Veniamus modo ad
recitandos errores, illorumque Au-
ctores recenſendos, qui attritionem,
de qua loquimur, uti malam, fictam,
hypocritam, peccaminoſam, reprobarunt, atque damnarunt.

I. Martinus Lutherus Sermone de Pænitentia habito anno 1517. ait: Contri-
„ tio duplici via paratur, primo per di-
„ cuſſionem, collectionem, ac dete-
„ ſtationem peccatorum, qua quis, ut
„ dicunt, recogitat annos ſuos in ama-
„ ritudine animæ ſuæ, ponderando pec-
„ catorum ſuorum gravitatem, dam-
„ num, fœditatem, multitudinem, de-
„ inde amiſſionem æternæ beatitudinis,
„ ac æternæ damnationis acquiſitionem,
„ & alia quæ poſſunt dolorem, & tri-
„ ſtitiam excitare, ſpe ſatisfaciendi per
„ bona opera. Hæc autem contritio
„ facit hypocritam, imo magis pecca-
„ torem: quia ſolum timore præcepti,
„ & dolore damni id facit, & tales om-
„ nes indigne abſolvuuntur, & com-
„ municantur. In Aſſertionibus, Arti-
„ culo 6. Contritio, quæ paratur per
„ diſcuſſionem, collectionem, ac de-
„ teſtationem peccatorum, qua quis
„ recogitat annos ſuos in amaritudiue
„ animæ ſuæ, ponderando peccatorum
„ gravitatem, fœditatem, multitudi-
„ nem, amiſſionem æternæ beatitudi-
„ nis, & acquiſitionem æternæ damna-
„ tionis: hæc contritio facit hypocri-
„ tam, imo magis peccatorem. Con-
„ tra Bullam Antichriſti: poſt quam
„ recitavit iiſdem verbis hunc Articu-
„ lum a Leone damnatum, ſubjungit:
„ Meus certe eſt iſte Articulus & chri-
„ ſtianiſſimus, quem mihi ab innume-
„ rabilibus Papis & Papiſtis non patiar
„ extorqueri.

II. Lutherani omnes Luthero adhæſerũt, & errori huic ſubſcripſerunt. Ratio autem ipſorum omnium eſt, ut adver-tit Juaninus cit. loc. quia volunt hominem juſtificari per actum fidei, quo credat per Chriſtum ſibi peccata dimitti. „ Ratio vero, cur Lutherani in
„ eum errorem abierint, petitur ex eo,
„ quod doceant hominem juſtificari per
„ actum fidei, quo certo credat ſibi per
„ Chriſtum remiſſa eſſe peccata. „. at
„ illi fidei, ſeu illi perſuaſioni contra-
„ rius eſt actus, quo inferorum pænæ ti-
„ mentur, neque enim qui de ſua juſti-
„ ficatione ac perſeverantia uſque in fi-
„ nem ſecurus eſt, poteſt inferorum
„ pænas timere. „. At aliam originem
huic eidem errori tribuit Tounely, ſcribens „: Aſſerit Lutherus, qui con-
„ tritionem ex tali timore conceptam
„ contendit, liberam non eſſe, ſed extor-
„ tam, violentam & coactam, homi-
„ nemque magis peccatorem, & hypo-
„ critam facere: cujus erroris funda-
men-

„ mentum, & quaſi radix eſt, omnem
„ humanam actionem, quæ non prove-
„ nit ex charitate perfecta, habituali,
„ & ſanctificante, verum eſſe pecca-
„ tum; atque ante illam hominem tan-
„ to a gratia comparanda remotiorem
„ fieri, quanto magis ad eam ſe diſpo-
„ nere, ac præparare nititur.

III. Michael Bajus, & Cornelius Janſenius, volentes charitatem proprie dictam, non quidem habitualem, ſed actualem, eſſe neceſſariam ad omnem humanam actionem, ut ſit moraliter bona, non verum peccatum; iidem conſeqnenter aſſerere tenentur, Attritionem ex ſolo pænarum metu conceptam eſſe vitioſam; & ſaltem eſſe verum peccatum omiſſionis, eoipſo, quod ex motivo charitatis non fiat, nec ad Deum tamquam ad finem ultimum referatur; quod refert Tournely ſubdens: Erroris fun-
„ damentum eſt, nullum eſſe medium
„ inter vitioſam cupiditatem, & lau-
„ dabilem charitatem; & quidquid ab
„ homine ſit, eſſe vel a cupiditate, ac
„ conſequenter malum; vel a charita-
„ te, adeoque rectum & honeſtum.
„ Fuſe iſtud proſequitur Janſeuius L. 3.
„ de ſtatu naturæ lapſæ c. 19. Inde con-
„ ſectarium eſt, ut doceant, Primo ſine
„ actuali charitate, ac ſolo pænarum
„ metu, nunquam excludi interiorem
„ peccati voluntatem, ſaltem implici-
„ tam, & conditionatam: Secundo, ti-
„ morem illum pænarum invitum, ac
„ violentum eſſe, non liberum: Ter-
„ tio, timorem pænæ, & opus ex iſto
„ timore factum, etiam fide ſuppoſita,
„ non eſſe ſupernaturalem, ſeu ex gra-
„ tia Chriſti, ſed ex viribus naturæ.
„ Hæc reipſa docet Janſenius L. 5. de
„ gratia Chriſti Salvat: cap. 27. *Impoſſi-*
„ *bile eſt*, inquit, *ut ille, qui in peccandi*
„ *propoſito conſtitutus eſt, ſola pænæ for-*
„ *midine ita mutet voluntatem, peccatum*
„ *que deteſtetur, ut non peccet*. Ibidem
„ cap. 25. & 26. ex profeſſo probat, ti-
„ morem illum, etiam ſuppoſita fide,
„ naturalem eſſe, ex propriis viribus
„ naturæ, non vero ex impulſu & gra-
„ tia Spiritus Sancti. Ibid: cap. 29: pro-
„ bat eum pænæ timorem invitum eſſe
„ ac violentum, *quo non peccatum, ſed*
„ *aliud quidpiam fugitur*. Rationem pro-
„ fert cap. 24. *quia naſcitur*, inquit, *ex*
„ *amore Creaturæ & ſui*. Deinde lib. 3.
„ de ſtatu naturæ lapſæ cap. 17. *Ineptum*
„ *eſt dicere*, inquit, *illum, qui invitus fe-*
„ *cerit præceptum, quod facit, opus mora-*
„ *liter bonum facere*.

IV. Queſnellius, ſequens Janſenium, & Bajum, has propoſitiones evulgavit, quas Clemens undecimus in Conſtit: *Unigenitus* damnavit; nimirum propoſitionem vigeſimam primam: „
„ *Timor nonniſi manum cohibet: cor au-*
„ *tem tamdiu peccato addicitur, quamdiu*
„ *ad amorem juſtitiæ non ducitur*; Sexage-
„ ſimam ſecundam: *Qui a malo non ab-*
„ *ſtinet, niſi timore pænæ, illud committit*
„ *in corde ſuo, & jam reus eſt coram Do-*
„ *mino*. Sexageſimam: *Si ſolus ſuppli-*
„ *cii timor animat pænitentiam, quo hæc*
„ *eſt magis violenta, eo magis ducit ad*
„ *deſperationem*. Eodem, quo Janſenius,
„ fundamento nititur; nempe, *non eſſe*
„ *niſi duos amores* (Prop. 44.) *Unde voli-*
„ *tiones, & actiones omnes noſtræ naſcun-*
„ *tur. amorem Dei, qui omnia agit pro-*
„ *pter Deum, quemque Deus remune-*
„ *rat; & amorem, quo nos ipſos, ac mun-*
„ *dum diligimus, qui, quod ad Deum re-*
„ *ferendum eſt, non refert, & propter*
„ *hoc ipſum fit malus*. Idem prop. 45. 46.
„ & 47. cujus poſtremæ hæc verba ſunt.
„ *Obedientia legis profluere debet ex fon-*
„ *te, & hic fons eſt charitas. Quando Dei*
„ *amor eſt illius principium interius, &*
„ *Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt*
„ *quod apparet exterius: alioquin non eſt*
„ *niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia* Et prop.
„ 49. *Ut nullum eſt peccatum ſine amore*
„ *noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine*
„ *amore Dei*.

Dicimus primo, Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem, ex motivo timoris pænæ æternæ conceptam, eſſe bonam, eſſe laudabilem, & eſſe donum Dei.

I. Probatur ex Scripturis: Exodi 2. *Ut probaret vos venit Dominus, & ut terror illius eſſet in vobis, & non peccetis*. Deuteronomii 6. *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies*. Proverbiorum 1. *Timor Domini principium ſapientiæ*. Et cap. 14. *Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis*. Eccli 1. *Corona Sapientiæ timor Domini repentes pacem & ſalutis fructum . . . . . Utraque autem ſunt dona Dei. Radix ſapientiæ eſt timere Dominum . . . Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poteſt juſtificari*. Et cap. 2. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplaci-*

ta ſunt ei . . . . . Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas . . . & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem ejus, dicentes; Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. En clare David Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis tuis timui.* Iſaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis in ardoribus ſempiternis?* Matthei 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

II. Probatur ex Pontificibus Romanis. Gregorius Magnus Homilia 22. in Ezechielem: *Quid eſt hoc, quod foris concremantur carnes, intus aromata? niſi hoc, quod quotidie videmus, quia duo ſunt compunctionis genera. Quia alii adhuc per timorem plangunt: alii vero jam ſe per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum ſuorum memores, dum ſupplicia æterna pertimeſcunt, quotidianis ſe lachrymis affligunt. Plangunt mala, quæ fecerunt, incendunt vitia igne compunctionis, quorum adhuc ſuggeſtiones in corde patiuntur,* Innocentius III. ad Pſal. primum Pœnitentialem. *Pœnitentia debet habere tres partes: Contritionem in corde: Confeſſionem in ore; & Satisfactionem in opere. In Contritione debet habere Pœnitens timorem de pœna, dolorem de culpa, & amorem de gratia.* Leo X. damnavit errorem illum Lutheri, quem diximus ſupra. Gregorius XIII. Sanctus Pius V., & Urbanus VIII. damnarunt pariter errores Baji, & Janſenii; Clemens XI. damnavit errores Queuellii. Alexander VIII. has propoſitiones damnavit; nimirum decimam: *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.* Decimam tertiam: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.* Et decimam quintam *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Arauſicanum ſecundum, requirit gratiam Dei, ſeu inſpirationem Spiritus Sancti ad actum Attritionis, de quo loquimur, eliciendum; ergo hic actus eſt bonus, laudabilis, utilis. Et dem Can. 4. docet: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendat; non autem ut etiam purgari velimus per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos non fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: præparatur voluntas a Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Et Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, ſive ſalvari; ideſt evagelizanti prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: ſine me nihil poteſtis facere; & illud Apoſtoli: nunquid idonei ſumus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap 4. *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ; declarat non ſolum non facere hominem hyppocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere Peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidem calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono metu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit. Sed, & falſo docent, Contritionem eſſe extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.*

In

In eadem ſeſſime Can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuerum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, cum propoſito melioris vitæ, non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demum illam eſſe dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium; anathema ſit*. Et ſeſſ.6. Can.8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quam ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere: anathema ſit*.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Clemens Alexandrinus lib.2.Stromatum, ante medium: *fides*, inquit, *eſt prima ad ſalutem inclinatio, poſt quam timor, & ſpes, & Pænitentia*. Et infra: *Qui timorem damnant, it legem etiam inſectantur: quod ſi legem, clarum eſt, quod & eum, qui legem tulit*. Sanctus Baſilius orat: in Pſal. 33. *Timor*, inquit, *Salutaris, qui ad ſanctitatem deducit, & animæ divinitus inſitus eſt, qualis exiſtat, ſi cupis audire, attende: quando forte te ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile mandatum, & Chriſti judicium cogita*. Sanctus Joannes Chryſoſtomus in I. libro de compunctione cordis, extremo; *Hoc ſolum eſt, quod expoſcitur a nobis, ut ſemper recordemur mala noſtra, & ad animum revocemus, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, ut pro his ſupplicemus Deo, ut Gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & Angelos, qui in die Judicii ubique diſcurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi ſunt in gehennam ignis, ac ſuppliciis tradendi &c.* Et ad Populum Antiochenum Homil. 15. *Vides quantum ex timore lucri factum eſt: niſi bonus eſſet timor, filiis patres, pædagogos non præponerent, non legiſlatores Civitatibus ullos magiſtratus. Quid gehenna gravius? Sed hujus metu nil utilius. Gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Ubi timor eſt, & levior non eſt: ubi timor eſt, pecuniarum amor non vexat: ubi timor eſt, extinctus furor eſt, cupiditas improba correpta. omnis irrationabilis paſſio exterminata. Et ſicut in domo, ſtante milite ſemper arma, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere proprius audebit: ſic, & metu animas noſtras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis ſubrepit, ſed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio undique exacta. Nec hoc ſolum eſt, quod ex timore lucramur, verum & aliud hoc multo majus. Non enim improbas tantum noſtras expellit paſſiones, ſed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Ubi timor eſt, ibi & eleemoſinæ ſtudium, & orationis intenſio, & lacrymæ ferventes, & continuæ, & gemitus, multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem conſumit, virtutem vero creſcere facit, & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea, qui non vivit in timore, recte illum agere, non eſt facile: ſicut viciſſim cum timore viventem, eſt impoſſibile peccare*.

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertullianus in lib: de Pænitentia: *Si ex Exomologeſi*, inquit, *retractus. Gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguit: & pœnæ magnitudinem prius imaginare, ut de remedii adeptione non dubites*. Sanctus Cyprianus in ſermone de lapſis, cum ad timorem lapſos hortaretur: *Deus*, inquit, *quantum pietate patris indulgens ſemper & bonus eſt: tantum judicis majeſtate timendus eſt*. Sanctus Pacianus in Parenæſi ad pænitentiam, fere extrema: *Timete*, inquit, *dilectiſſimi juſta judicia, omittite errorem, damnate delicias: properat jam tempus extremum: Tartarus, & gehenna lavatos impiiſſimus pandunt: poſt animarum tempeſtiva ſupplicia, redivivis quoque corporis pœna ſervatur &c.* Sanctus Hieronymus in commentario ad caput primum Malachiæ: *Vult*, inquit, *Deus, ut primum ejus filii ſimus. & bonum voluntate faciamus: ſi hoc conſequi nolumus; ut ſaltem nos ſervos habeat, a malis per ſuppliciorum formidinem recedamus, ut de timore ſervorum ad gratiam filiorum tranſeamus*. Et in Cap.2. Micheæ: *Ut qui pondere*, inquit, *vel verecundia non tenentur, agant pænitentiam ſaltem comminatione pænarum*. Sanctus Auguſtinus in Pſal.127. in illud: *Beati omnes, qui timent Domi-*

num, *Ille*, inquit, *timor non dum caſtus*, *præſentiam Domini*, *& pœnas timent*, *timore facit quidquid boni facit*, *non timore amittendi bonum illud*, *ſed timore patiendi illud malum*: *non timet*, *ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi*, *ſed timet*, *ne mittatur in gehennam*. *Bonus eſt & iſte timor*, *utilis eſt*. Et tract. 9. in Epiſt. Joannis: *Simulat*, inquit, *timor*, *ſed noli timere*, *intrat charitas*, *quæ ſanat quod vulnerat*, *quomodo medici ferramentum putredinem tollit*: *opus eſt ergo*, *ut intret timor primo*, *per quem veniat charitas*, *timor medicamentum*, *charitas ſanitas*, Sanctus Gregorius hom. 34. in Evangelio. *Prava mens*, inquit, *ſi non prius per timorem evertitur*, *ab aſſuetis vitiis non emundatur*.

V. Probatur rationibus I. Quod reprimit vitia, & ad virtutes diſponit, laudabile eſt, honeſtum, ac bonum; ſed ita eſt timor etiam ſervilis, ergo laudabilis eſt, honeſtus, & bonus. Minor eſt S. Auguſtini lib. 2. cont. epiſt. Petiliani cap. 83. num. 184. *Timor cupiditatem reprimit*, *ſaltem intra clauſtra cogitationis*: *&* in Pſal. 127. *Fit conſuetudo juſtitiæ*, *& incipit amari*, *durum erat*, *& dulceſcit Deus*, *& jam incipit homo juſte vivere*. II. Quod ad charitatem diſponit, non eſt malum, nec reprehenſibile; ſed ita eſt timor etiam ſervilis: ergo &c. Minor pariter eſt Auguſtini epiſt. 140. ad Honoratum cap. 18. *Timor pellit conſuetudinem malorum operum*, *& ſervat charitati locum*: & lib. 2. *de adulterinis Conjugiis*. *Timor facit*, *ut quod erat neceſſitate cœptum fiat charitate perfectum*. Et tract. 9. in epiſtolam Joannis. *Timor locum præparat charitati*; *quum autem cœperit charitas habitare*, *pellitur timor*, *qui ei præparaverat locum*; *quantum ille creſcit*, *ille decreſcit* .... *Major charitas*, *minor timor* .... *Si autem nullus timor*, *non eſt quo intret charitas*. III. Quod eſt Spiritus Sancti donum, nequit eſſe malum, & deteſtabile; ſed ex ſententia Scholaſticorum plurium, timor ſervilis eſt Spiritus Sancti donum: ergo non eſt malus & deteſtabilis. Minor docetur ab Alexandro de Ales in tertia parte quæſt. 76.; a S. Bonaventura in 3. diſt. 34. par. 2. art. 1. quæſt. 1., qui citant Auguſtinum, & Gregorium, & timorem hunc inter ſeptem Spiritus Sancti dona adnumerant. IV. Quod eſt initium Sapientiæ, eſt bonum, & gratum Deo; ſed timor ſervilis ex Patribus eſt initium Sapientiæ: ergo &c. Minor eſt S. Auguſtini tract. 9. in Joannem; Baſilii in oratione ad Proverbia, Bedæ in caput 1. Proverbior. Bernardi homil. 23. in Cantica, & epiſt. 9. ad Epiſcopum Colonienſem. V. Quod laudatur, non ſolum in Incipientibus, & Proficientibus, ſed etiam in Perfectis, eſt bonum; ſed ita eſt timor ſervilis ex Auguſtino in Pſal. 68, Concione 1., qui inducit Martyres ſic loquentes: *majore timore*, *minora contemnimus* ..... *quis non bibat tribulationis temporalis poculum*, *metuens ignem gehennarum*? Ergo &c. Quod idem Auguſtinus confirmabat lib. 8. *Confeſſion.* cap. 11. *Tenebar*, *& inſtabas tu Domine in occultis meis ſevera miſericordia*, *flagella ingeminans timoris & pudoris*, *ne rurſus ceſſarem*, *& non abrumperetur id ipſum exiguum*, *ac tenue*, *quod remanſerat*, *& revaleſceret iterum*, *& me robuſtius alligaret*; VI. Idem principium dictat amare, quod eſt bonum, & timere quod eſt malum; ſed amare quod eſt bonum reprobari nequit: ergo nec reprobari poteſt timere quod eſt malum. Major eſt doctrina pariter Auguſtini lib. 83. *Quæſtionum*, quæſt. 33. *Nulli dubium eſt*, *nullam aliam eſſe metuendi cauſam*, *niſi id*, *quod amamus*. VII. Diſtinguit Auguſtinus tres timores, & de unoquoque ſuam profert ſententiam; ſed timorem ſervilem nō reprobat, immo laudat, & commendat, ob rationes, quas addit, & nos hic exponimus; ponit nimirum primum timorem, qui eſt timor malorum temporalium; ſecundum, qui eſt timor Gehennæ, & pœnarum æternarum; tertium qui eſt timor caſtus; & ait in Pſal. 127. *Aliqui propterea tantum timent*, *ne aliquid mali in terra patiantur*, *ne illis ægritudo accidat*, *ne damnum*, *ne orbitas*, *ne alicujus amiſſio chari*, *ne auxilium*, *ne damnatio*, *ne carcer*, *ne aliqua tribulatio*; *propterea timent*, *& tremunt*. *Adhuc timor iſte non eſt caſtus*. *Alii non in hac terra pati timent*, *ſed gehennam timent*; *unde terruit & Dominus*: *audiſtis cum Evangelium legeretur*, *ubi vermis eorum non morietur*, *& ignis non extinguetur*. *Audiunt hæc homines*, *& quia vere futura ſunt impiis*, *timent*,

&

Digitized by Google

& continent ſe a peccato, timent quidem, ſed non amant juſtitiam. Cum autem per timorem continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit, quod durum erat, amari, & dulceſcit Deus; & jam incipit homo juſte vivere, propterea non quia timet pænas, ſed quia amat æternitatem. Excluſus eſt ergo timor a charitate, ſed ſucceſſit timor caſtus. Quis eſt iſte timor caſtus? Secundum quem debemus, fratres mei, intelligere, quod dictum eſt Pſal. 18. *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Inſuper explicat timorem caſtum per comparationem uxoris caſtæ cum adultera, dicens: *caſta timet, ne diſcedat vir, adultera ne veniat: quid ſi ambo abſentes ſunt? Illa ne veniat, iſta ne tardet.* Et denique concludit. „ Caſtus ergo
„ timor, fratres mei, hoc habet, quia
„ venit de amore; ille autem timor
„ nondum caſtus, præſentiam Domi-
„ ni, & pænas timet; timore facit,
„ quicquid boni facit, non timore
„ amittendi bonum illud, ſed timore
„ patiendi illud malum. Non timet,
„ ne perdat amplexus pulcherrimi ſpon-
„ ſi, ſed timet ne mittatur in gehen-
„ nam. Bonus eſt & iſte timor; utilis
„ eſt, non quidem permanebit in ſecu-
„ lum ſeculi, ſed nondum eſt iſte ca-
„ ſtus permanens in ſeculum ſeculi,
„ In quo eſt caſtus? Jam iterum ali-
„ quid interrogo, quod voſmetipſos
„ interrogetis. Si Deus veniens voce
„ propria loqueretur nobis, quan-
„ quam non taceat loqui per literas
„ ſuas, & diceret homini: peccare
„ vis? pecca: fac quicquid delectat:
„ quicquid amaveris in terra tuum fiat;
„ cui fueris iratus, intereat: quem rape-
„ re volueris, rapiatur: quem cædere,
„ cædatur: quem damnare, damnetur:
„ quem poſſidere, poſſideas. Nemo
„ tibi reſiſtat, nemo tibi dicat: quid
„ facis? nemo: noli facere quod velis:
„ nemo quare feciſti? abundent tibi
„ omnia iſta terrena, quæ concupiſti,
„ & vive in illis non uſque ad tempus,
„ ſed ſemper, faciem tantum meam
„ nunquam videbis. Fratres mei unde
„ ingemuiſtis, niſi quia jam natus eſt
„ timor caſtus permanens in ſeculum
„ ſeculi? Quare percuſſum eſt cor ve-
„ ſtrum, ſi diceret Deus, faciem meam
„ nunquam videbis? Ecce omni iſta
„ terrena felicitate, omnibus rebus
„ abundabis, circumfluent in te bona
„ temporalia, non illa amittes, non
„ illa deſeres, quid vis amplius? Fleret
„ quidem, gemeret timor caſtus, &
„ diceret: *Deus virtutum converte nos,*
„ *& oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.*
„ Timor caſtus exclamaret de Pſalmo,
„ diceret: *Unam petii a Domino.* Vide
„ quomodo audeat timor caſtus eſſe, ve-
„ rus timor, timor ſincerus, *Unam petii*
„ *a Domino, hanc requiram.* Quid? *Ut*
„ *inhabitē in domo Domini omnibus diebus*
„ *vitæ meæ.*„ VIII. Fuga gehennæ eſt actus conformis naturæ rationali, ut rationali; ſed hic actus habetur per attritionem ex metu gehennæ conceptam: ergo hæc attritio eſt naturæ rationali, ut rationali, conformis. Probatur major. Gehenna eſt magnum malum naturæ rationalis, ut rationalis: ergo fuga Gehennæ eſt actus conformis naturæ rationali, ut rationali. IX. Fugere malum, quod torquet naturam ſenſitivam, eſt conforme naturæ, ut ſenſitivæ: ergo fugere malum quod torquet naturam rationalem, eſt conforme naturæ, ut rationali. X. Eſt conforme naturæ, ut rationali, amare ſalutem, ſcientiam, & alia bona temporalia, ſecundum rectam rationem; ergo pariter eſt conforme naturæ, ut rationali, fugere oppoſita mala, ſecundum rectam rationem: ergo multo conformius eſt fugere, & timere gehennam, quæ eſt malum omnibus malis majus.

Obſtant I. Fur, qui non furatur, eo quia videtur, furti eſt reus: ergo qui de peccato dolet, & definit peccare, ex eo ſolum, quod timeat gehennam; peccati pariter eſt Reus II. Dolor de peccato ex metu gehennæ potius eſt dolor de pæna quam de culpa: ergo non eſt actus bonus, ſed vitioſus. III. Pura attritio ex metu gehennæ includit virtualiter hanc conditionalem: *de peccato non dolerem, ſi nulla ei eſſet impoſita pæna*: ergo hæc attritio non eſt bona, ſed vitioſa. IV. Dolor ex timore mundano non eſt honeſtus: ergo neque dolor ex timore ſervili; ſed attritio ex metu gehennæ eſt ex timore ſervili: ergo non eſt honeſtus. V. Attritio non eſt actus virtutis: ergo neque eſt actus honeſtus. VI. Peccator, qui dolet de peccato propter metum gehennæ, ab Auguſtino tract. 9. in Joannem comparatur Adulteræ,

quæ abſtinet ab adulterio, quia timet, no a marito deprehendatur, & puniatur, & quæ nihilominus non deponit animum adulterandi; ſed timor hujuſce Adulteræ eſt malus: ergo pariter in peccatore, qui de peccato dolet propter gehennæ metum. VIII. Qui operatur ex metu, non voluntarie operatur: ergo non meritorie. Antecedens patet, quia quæ ex puro metu fiunt, hunc actum includunt: *Nollem hoc facere, niſi mali impendentis metu cogerer*: ergo pariter, qui ex puro metu gehennæ dolet, & proponit non peccare, hunc animum includit: *non dolerem, necnon peccarem, ſi infernus non eſſet, vel niſi metus inferni cogeret*; ſed hic actus eſt malus: ergo &c. VIII. Timor gehennæ opponitur charitati, quia a charitate expellitur, ut legitur in 1. epiſtola Joannis cap. 4. *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*: ergo timor nequit eſſe donum Dei. IX. Qui non vult peccare propter pænã, magis conſulit bono proprio, quam Dei honori; adeoque ſeipſum præfert Deo; ſed hoc eſt malum: ergo malum quoque eſt non velle peccare propter pænam. X. Plus timenda eſt culpa, quam pæna, quia deterius malum eſt culpa, quam pæna; ſed qui dolet de peccato propter timorem pænæ, plus timet pænam, quam culpam: ergo inordinate agit: ergo male agit. XI. Ille eſt verus dolor, qui ſuccedit amori; ſed dolor ex timore gehennæ non includit odium, quod ſuccedat amori: ergo non eſt verum odium; ergo non eſt verus dolor. Et ratio argumenti eſt, quia nemo poteſt perfecte odio habere aliquid, cujus contrarium prius non dilexerit; amor enim eſt prior odio, & odium naturaliter naſcitur ex amore: igitur non eſt verum odium peccatorum illud, quod oritur ex timore pænarum, ſed illud, quod naſcitur ex juſtitiæ amore. XII. Quodcunque non fit ex corde, fit per ſimulationem, & per hypocriſim; ſed fit ex corde, quod fit per charitatem: ergo quod non fit per charitatem, fit per ſimulationem, & hypocriſim; ſed dolor de peccatis propter timorem gehennæ non fit per charitatem: ergo non fit ex corde ergo fit per ſimulationem, & per hypocriſim.

Reſpondemus ad I. negando paritatem; & ratio diſparitatis eſt, quia ideo fur, qui deſinit furari, ex eo quod videtur, eſt peccati reus, quia ſupponitur, quod hujuſmodi fur habeat efficacem intentionem furandi, & ſolum retineatur ab externa executione furandi, quia alii eum vident; qui quidem, ſi non viderent, furaretur. Qui vero dolet de peccato propter gehennæ pænam, non retinet amplius voluntatem peccandi, immo potius habet propoſitum efficax, quantum ex ſe eſt, non peccandi de cætero; & ratio eſt, quia ad fugiendum infernum coram Deo, *qui ſcrutator eſt cordium*, non ſufficit abſtinere ab opere externo, ſi adſit voluntas illa peccandi: unde attritio, de qua loquimur, eſt incompoſſibililis, & cum peccato externo, & cum peccato etiam interno; & proinde excludit omnem voluntatem peccandi.

Ad II. diſtinguitur antecedens: potius eſt dolor de pæna, quam de culpa, appretiative, ſive præferendo malum pænę malo culpæ, negatur; non appretiative, ſed per affectum rectum compoſſibilem cum actu, quo magis doleat de culpa, quam de pæna, tranſeat antecedens, & negatur conſequentia. Et ratio eſt, quia hujuſmodi actus, non eſt vitioſus, ſed virtuoſus.

Ad III. negatur antecedens, quia attritio, quæ excludit omnem voluntatem peccandi, & eſt compoſſibilis cum contritione perfecta, cujuſmodi eſt hæc, de qua loquimur, nunquam continere poteſt illam conditionalem peccandi, ſi non eſſet pæna, immo potius illam excludit, ut alias eſt dictum.

Ad IV. negatur paritas, & ratio diſparitatis aſſignatur a Gormaz dicente „ „ quia pro timore mundano intelligitur timor creaturæ, cujus affectu non „ veretur homo offendere Deum, qui „ quidem timor non tollit affectum „ peccandi, ſed potius eſt cauſſa pec„ cati, adeoque eſt malus; timor vero „ ſervilis, quem attritio vera præſefert, „ eſt timor Dei, quem homo timet of„ fendere metu pænæ, quam Deus pec„ catis infligit; qui cum peccato, & affe„ ctu peccandi, incompoſſibilis eſt, „ adeoque non eſt pravus, ſed hone„ ſtus. „.

Ad

Ad V. diſtinguitur antecedens: attritio
ex ſe ſola non eſt actus virtutis, exi-
gentis formalem charitatem, concedi-
tur; non eſt actus virtutis diſponentis
ad habendam charitatem, negatur.
Ex quo fit, quod ex intrinſecis ſuis
ſit conformis naturæ, ut rationali;
adeoque ſit actus virtutis.

Ad VI. Auguſtinus comparat Adulteræ
peccatores, qni timent peccare pro-
pter metum Judicis humani, qui ſe-
creta cordis non noſcit; non vero
peccatores, qni timent peccare, pro-
pter metum Judicis divini, qui ſecre-
ta cordis explorat. Quod ex eo patet,
quia Auguſtinus duplicem agnoſcit
timorem ſervilem, unum, qui eſt bo-
nus, & eſt timor veræ attritionis, &
eſt quando homo abſtinet a peccato,
ne incurrat pænam infligendam a
Deo, qui ſecreta cordis videt; & hnnc
hominem fatetur recte timere, illiuſ-
que timorem eſſe bonum, & exclu-
dere omnem voluntatem peccandi;
alium vero timorem ſervilem dicit
eſſe malum, & aſſerit eſſe in eo, qui
abſtinet ab opere externo, ne incur-
rat pænam ab hominibus; nt ait Gor-
maz, qui & hæc addit, „ Quum au-
„ tem propter peccatnm internum ta-
„ lem pænam non incurrat, ea de cau-
„ ſa retinet affectum pravum inter-
„ num, & ille timor eſt malus; ſed quid
„ exinde ad rem præſentem? Plane hu-
„ juſmodi argumentatio non ſolum
„ contra Auguſtinum, & contra teſti-
„ monia Scripturæ, & Conciliorum ad-
„ ducta, militat, verum etiam contra
„ ipſum lumen naturæ; timor nanque
„ efficax pænæ neceſſario apponit me-
„ dia, quibus pæna vitatur; adeoque
„ carentiam actionum, ob quas pæna
„ incurritur; cum autem vitatio peccati
„ externi ſit medium ad non incurren-
„ dam pænam infligendam ab homine,
„ ſecus autem vitatio peccati interni,
„ ea de cauſa talis ſervilis mundanus ti-
„ mor ſolum removet peccata externa,
„ ſecus autem interna; ad fugiendam
„ vero pænam infligendam a Deo non
„ ſolum requiritur vitatio peccati ex-
„ terni, ſed etiam interni; adeoque
„ talis timor ſervilis Dei non ſolum
„ vult vitare peccata externa, ſed etiam
„ interna. „.

Ad VII. negatur antecedens, ad cujus
probationem diſtinguitur major: in-
cludit actum illum conditionatum,
aliquando omittitur; ſemper, aut in
noſtro caſu, negatur. Solutio ſic ex-
plicatur a citato Gormaz. „. Quan-
„ do intervenit metus libertatem non
„ evertens, poteſt homo operari, vel
„ contra metum, vel juxta metum: v.g.
„ poteſt committere peccatum, non
„ obſtante metu inferni, & hoc eſt ope-
„ rari contra metum, vel poteſt abſti-
„ nere ratione metus a peccato, & hoc
„ eſt operari juxta metum. Aliquando
„ vero evenit, ut intercedente metu,
„ velit homo efficaciter id, ad qnod
„ inclinat metus; licet habeat volitio-
„ nem inefficacem oppoſitam. V.G.
„ quando Mercator projicit merces in
„ mare, propter metnm ſubmerſionis
„ in tempeſtate, habet volitionem effi-
„ cacem projiciendi merces, & ineffi-
„ cacem retinendi, & tunc projectio a
„ voluntate efficaci projiciendi dicitur
„ ſimpliciter voluntaria; & ab inefficaci
„ ci oppoſita dicitur ſecundum quid in-
„ voluntaria; adeoque mixta ex volun-
„ tario, & involuntario; pariter, qui
„ non obſtante metu inferni efficaciter
„ peccat, quãvis ratione metus inefficaci-
„ citer diſpliceat ei eſſe in pecca to, eli-
„ cit peccatũ ſimpliciter voluntarium,
„ & ſecundum qnid involuntarium, ac
„ proinde mixtum ex voluntario, & in-
„ voluntario. Cæterum ſi volitio illa
„ inefficax ſit abſoluta libera, ſimulque
„ ſit actus conditionatus faciendi oppo-
„ ſitum, ſi non eſſet metus, ſi illud op-
„ poſitum ſit peccatum, talis volitio re
„ ipſa eſt formale peccatum. „.

Ad VIII. Diſtinguitur propoſitio illa a
Tournely: *Charitas mittit foras timo-
rem*, ſicut magis perfectum excludit
minus perfectum, conceditur; tan-
quam contrarium excludit contra-
rium, negatur. In primo ſenſu viſio
Dei beata excludit fidem, & ſpem,
ſed ei fides & ſpes non opponuntur,
nec contrariantur. In ſecundo vero
ſenſu, dicitur, quod charitas mittit
foras timorem, tanquam contrarium
& malum, timorem ſcilicet munda-
num, & ſerviliter ſervilem, non vero
timorem ſimpliciter ſervilem, modo
jam pluries explicato.

Ad IX. dicitur, quod ex laudabili timo-
re pænæ poteſt quis fugere peccatum,
& qui ita fugit, non ſpectat fugam
pænæ, ut finem poſitive ultimum, a
quo abſtrahit, ut ait Tournely, ſed ut
finem proximum, qui rectus, ac lau-
da-

dabilis eſt. Si autem in pura pæna ultimo poſitive inhæreret, (*verba ſunt ejuſdem*), atque ita eſſet actu animo affectus, ut ſi poſſet impune, peccatum committeret, profecto culpandus ille foret, ac inordinate omnino timeret, quanvis inordinatio illa, ſeu ſervilitas, non eſſet timoris vitium, ſed hominis timentis; & adducit verba S. Thomæ, quæ hæc ſunt in 2. 2. quæſt.19. art.4. in corp. *Si enim ſervilitas eſſet de ratione timoris ſervilis, oporteret, quod timor ſervilis ſimpliciter eſſet malus, ſicut adulterium ſimpliciter eſt malum, quia id, ex quo contrariatur charitati, pertinet ad adulterii ſpeciem; ſed prædicta ſervilitas non pertinet ad ſpeciem timoris ſervilis, ſicut nec informitas ad ſpeciem fidei informis; ſpecies enim moralis habitus, vel actus ex objecto accipitur; objectum autem timoris ſervilis eſt pæna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pæna, ametur tanquam finis ultimus; & per conſequens pæna timeatur, tanquam principale malum.*

Ad X. negatur minor; & ratio negationis eſt, quia ſicut non bene quis argueret, ſi diceret: *Servus diligit Dominum propter cibum, quem ab eo expectat*: ergo magis diligit cibum, quam Dominum: ita nec pariter bene inferret dicendo: *Fideles diligunt Deum propter retributionem*: ergo diligunt retributionem magis, quam Deum: eodem prorſus modo nec bene argumentaretur: Pænitens deteſtatur culpam propter pænam: ergo magis deteſtatur pænam, quam culpam. Et ratio eſt ex Sylvio apud Tournely, quia licet pæna ſit finis proximus, non tamen excludit finem ultimum, qui eſt Deus, ad cujus gloriam culpæ deteſtatio, ac metus pænæ eſt referibilis, & quandiu non excluditur ex ſe, in illum tendit, ac refertur.

Ad XI. dicit Bellarminus, quod adhuc admiſſo, quod Lutherus aſſumit, nihil inde ſequitur, quam, quod dolor de peccatis ob timorem pænæ non ſit perfectum odium peccatorum. Et hoc a nobis non negatur, quia fatemur plane, perfectum odium peccati eſſe illud, quod procedit ex amore Dei; & hinc eſt, quod hoc odium nominamus *contritionem perfectam*; odium vero ex timore pænæ conceptum dicimus *contritionem imperfectam*, vel attritionem. Subdit ulterius laudatus Cardinalis, quod negandum ſit principium illud Lutheri, non poſſe videlicet aliquod vere perfecteque odio haberi, cujus contrarium prius non diligatur. Hoc enim dicit habere locum in iis rebus, quæ propter ſe odio habentur; & hæc verba ſubdit. „ nam ſi quid alterius „ rei gratia odio habeatur, vere ac per„ fecte odio haberi poterit, ſi res illa „ diligatur, cujus cauſa iſtud odio habe„ tur. Hoc modo ſæpe cibum ſuavem „ deteſtamur, non quod ejus contra„ rium, ideſt cibum inſuavem diliga„ mus, ſed quia diligimus ſanitatem, cui „ cibus ille ſuavis creditur obſuturus: „ ſic igitur peccata veriſſimo vehemen„ tiſſimoque odio proſequi poſſumus, „ etiamſi contrarias illi virtutes mini„ me diligamus, quia diligimus felici„ tatem, a qua peccando nos excludi, „ atque excidere perſuaſi ſumus. Porro „ cohortatio illa Lutheri, ut Pænitën„ tiam acturus, non in ea damna, quæ „ gignit peccatum, ſed in ſpeciem vir„ tutis oculos mentis intendat, prorſus „ intempeſtiva eſt. Qui enim ſordibus „ peccatorum aſſuetus eſt, non movetur „ ad ſpeciem virtutis, neque fieri po„ teſt, ut avaro liberalitas, luxurioſo „ caſtitas, ſuperbo humilitas repente „ placere incipiat, niſi Deus ſingulari „ miraculo in momento hominem ali„ quem divinitus illuſtrare, & immuta„ re voluerit. At ſupplicia, quæ Deus „ peccatoribus comminatur, facile poſ„ ſunt cujuslibet hominis, quanvis im„ pii, & nefarii, animum permovere; „ & idcirco ordinarie divina providen„ tia a timore pænarum incipere ſolet, „ cum peccatorem ad Pænitentiam „ ducit. „.

Ad XII. Idem Bellarminus reſpondet, quod non ſit meritorium vitæ æternæ quodcunque ex charitate non ſit; poſſe tamen eſſe verum, ſincerum, & utile. Et exemplum adducit, quia peccator, qui orat pro remiſſione peccatorum, & pro charitate a Deo obtinenda, non agit ex charitate, quam nondum accepit, & nihilominus non fruſtra laborat. Ita pariter, qui peccatum odit, quia ducit ad infernum, vere & ſerio odit peccatum, ſicut vere & ſerio odit infernum; attamen non per hoc odit peccatum ex charitate. Cæterum Apoſtolus l. ad

Co-

Corinth. 13. non ſcripſit, omne quod ſit ſine charitate, eſſe nihil, eſſe vanum, eſſe falſum; inſuper ſine charitate & fidem, & linguas, & prophetias, & ſcientiam, & miracula, aut nihil eſſe, aut vana, & falſa eſſe; ſcripſit tamen, hominem, qui illa omnia ſine charitate habet, nihil eſſe, quia non eſt amicus Dei; nec illa omnia, ſi abſit charitas, illum unquam beatum facient.

Pro altera vero Diſſertationis parte, antequam Theologorum ſententias afferamus, quæ quidem poſt Concilium Tridentinum ſine fidei præjudicio a ſuis Auctoribus defendûtur, operæ pretium ducimus Alexandri ſeptimi decretum afferre, quod Natalis Alexander in Theologia dogmatica morali tomo 1. lib. 2. *de Sacram. Pœnitent.* art. 3. prop. 6. refert; & hæc ſunt ejus verba. „. Poſt Synodum Tridentinam Theologi hanc, vel illam partem libere propugnarunt. Denique contentione ea de re in Belgio fervente, & ad Sedem apoſtolicam relata, ſummus Pontifex Alexander VII. decreto edito die quinta Maii anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi ſeptimi, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſanctæ Sedis arbitrio reſervatæ; aliiſque pœnis ejuſdem ſanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcepit cunctis, & ſingulis Fidelibus, quocunque gradu, & dignitate Epiſcopali, & majori, immo & cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel libros edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, *ſive negantem neceſſitatẽ aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* „.

Igitur ſenſus quæſtionis eſt, utrum in attritione perfecta ſit neceſſarius aliquis amor Dei, & qualis, adhoc ut Pœnitens dicatur ſufficienter diſpoſitus ad gratiam Sacramenti percipiendam?

Prima ſententia eſt, perfectam contritionem eſſe neceſſariam, ad valorem Sacramenti; adeoque neceſſarium quoque eſſe amorem Dei ſuper omnia ex vera & perfecta charitate provenientem. Hujus ſententiæ dicitur Magiſter ſententiarum, & alii quo que ex veteribus Theologis eundem ſequuti ſunt; & hanc perfectam contritionem voluerunt Sacramento Pœnitentiæ præire debere, ita ut Pœnitens Deo ſit juſtificatus antequam a Sacerdote abſolvatur.

Secunda ſententia eſt aliorum Theologorum, qui deſeruerunt Magiſtri ſententiam in illa parte, qua contendit Magiſter eſſe neceſſariam omnino Contritionem, quæ prius hominem Deo reconciliet, antequam ad Sacramentum Pœnitentiæ accedat; retinuerunt tamen neceſſitatem contritionis ex motivo veræ, ac propriæ charitatis, quæ ex ſe hominem non juſtificat, niſi fuerit in certo quodam intenſionis gradu, qui ſoli Deo eſt cognitus. In ſententia horum Theologorum contritio perfecta, & imperfecta non differunt ſpecie, quia non differunt ex diverſo motivo, ſed differunt tantum ratione intenſionis, vel remiſſionis graduum; ita ut contritio perfecta ſit, quæ eſt intenſa, imperfecta vero, quæ eſt remiſſa. Et hujus ſententiæ eſt Jueninus, Natalis Alexander, pluresque Sorbonici Doctores.

Tertia ſententia eſt illorum, qui docent ſufficere attritionem, qualem Concilium Tridentinum deſcribit, conceptam ſcilicet vel ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ ac pœnarum metu, ſi tamen peccandi voluntatem excludat. Et hanc ſententiam in præfato decreto Alexander ſeptimus dixit inter Scholaſticos eſſe cõmuniorem. De hac eadem ſententia ſubdit Tournely. „. inter Theologos, qui ſententiam hanc propugnavere, tres ſunt maxime conſpicui, Concilio Tridentino ſuppares, quique & ipſi præſentes interfuere, ſcilicet Melchior Canus, Dominicus Soto, & Andreas Vega, Franciſcanus. Soto, & Vega contendunt, attritionem hanc, ut ſufficiat debere bona fide exiſtimari eſſe contritionem: Canus vero etiam cognitam ut ſimplicem attritionem, tanquam ſufficientem admittit: quo vero ſenſu iidem Theologi fateantur, do-

„ doctrinam hanc nec antiquam eſſe,
„ nec ſatis tutam, exponemus inferius
„ in ſolutione objectionum. „. Theologorum, qui hanc ſententiam defendunt, Elenchum contexuit Gormaz in parte prima *de Pœnitentia* circa finem.

Quarta ſententia eſt Theologorum, qui volunt, attritionem ex ſolo metu pœnarum, ſine ullo Dei amore, ſaltem inchoato, & initiali, non ſufficere, ſed requiri aliquem Dei amorem in ea, ut ſit diſpoſitio ſufficiens ad Sacramentum Pœniteotiæ rite, ac utiliter percipiendum, non eum tamen, qui eſt veræ charitatis, & hominem juſtificat ante Sacramentum, ſed eum, qui naſcitur ex ſpe. Pro hac ſententia melius explıcanda adducimus Adverſarios, quos habet, & ſunt primo illi, qui exigunt propriam & veram charitatem, ſcilicet amorem Dei propter ſemetipſum. Secundo illi, qui damnant amorem ſpei, quo Deus diligitur propter mercedem, & eundem perverſum, illicitum, & ioordinatum dicunt. Tertio illi, qui hunc ipſum amorem ad charitatem proprie dictam revocant, taoquam ſecundarium, ac minus principalem illius effectum. Unde ad rem optime obſervat citatus Tournely. „. unum hic obſervatio-
„ ne dignum maxime arbitror, oempe
„ Theologos illos, qui poſt Concilium
„ Tridentinum ſententiam attritionis
„ vel defendunt, vel impetunt, om-
„ nem Dei amorem ab attritione non
„ excludere, ſed eum ſolum, qui vere
„ ac proprie charitatis eſt, ac juſtificat
„ hominem ante Sacramentum actu
„ perceptum. Et vero non alia ipſis
„ meus videtur fuiſſe, quam ut exclu-
„ ſa hujus amoris, ſeu charitatis juſti-
„ ficantis neceſſitate, ſuam Sacramen-
„ to vim, & efficaciam ſervarent, &
„ adverſus Magiſtrum, ejuſque Diſci-
„ pulos oſtenderent, abſolutionem ſa-
„ cramentalem noo tantum declarare
„ dimiſſa, ſed etiam vere dimittere
„ peccata. Porro etiam excluſa illa
„ charitatis juſtificantis neceſſitate, non
„ ne datur alicui vero Dei amori lo-
„ cus, illi ſcilicet, quo Deus ut nobis
„ bonus, ſeu ut noſtra fœlicitas æterna
„ in ipſo conſequenda diligitur? Qua-
„ propter cum iidem Theologi aſſe-
„ runt ſolo pœnarum metu conceptam
„ attritionem ſufficere, illa excluſiva
„ *ſolo*, non omnem excludunt Dei amo-
„ rem, ſed i lum dumtaxat, qui veræ
„ charitatis eſt, hominemque Deo re-
„ conciliat ante Sacramentum re per-
„ ceptum. „.

Dicimus II. Contritionem imperfectam, ſeu attritionem perfectam, includere debere aliquem amorem Dei, ſaltē inchoatū & initialem; quem quidē amorem Dei eſſe illum, qui dicitur ſpei, quo Deus diligitur ut nobis boous, ut noſtra beatitudo, ac finis ultimus; & qui quanvis ad amorem charitatis comparatus ſit minus perfectus, in ſe tamen eſt caſtus, eſt gratuitus, eſt boous, & honeſtus.

Prima Concluſioois pars I. Probatur ex Scripturis. Deuteronomii 4. *Quum quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Iſajæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* I. Joannis cap. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* I. Corinth. ult. *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema.* Quæ quidem ſacrarum Scripturarum teſtimonia non de perfecta charitate intelligenda ſunt in Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptione, ſed extra Sacramentum, ut ſuo loco a nobis dictum, & probatum ſuppooimus; in Sacramenti autem ſuſceptioue de imperfecta ſaltem charitate io Deum intelligenda eſſe, hoc ſufficienter ſuadere credimus, quia ſive extra Sacrameotum, ſive in Sacramento requiritur aliqua converſio ad Deum, & hæc converſio fieri non poteſt ſine imperfecta ſaltem charitate erga ipſum.

II. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib: de Pœniteotia cap. 3, ubi exigita Pœoitente, *ut intelligat quid boni ſit Deus*, cap. 4. *ut pœniteat errorum, reperta veritate, pœniteat amaſſe, quæ Deus non amat: quando ne nos quidem ipſi*, inquit, *ſervulis noſtris, ea quibus offendimur, non odiſſe permittimus. Obſequii enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.* S. Cyprianus tract. *de Lapſis*. ab iis, qui lapſi fuerunt

runt in perſecutione, & a Sacerdotibus reconciliari poſtulabant, exigit, *ut ſinguli delictum ſuum confiteantur, & ad Dominum toto corde convertantur, & redeant*. S. Chryſoſtomus hom. 14. in 2. Corinth. *Cum peccaveris, ingemiſce, non quod pænas daturus ſis, nihil enim hoc eſt, ſed quod Dominum tuum offenderis tam benignum, tam te amantem, tam denique ſaluti tuæ appenſum̃, ut filium quoque ſuum tua cauſa tradiderit*. S. Auguſtinus ſerm. 7. *de tempore*, ait. *Pænitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei*. Serm. 278. alias 34. *de diverſis* cap. 12. *Omnia præterita Converſis dimittuntur. Cæterum hujus vitæ ſunt quædam gravia, & mortifera, quæ niſi per vehementiſſimam moleſtiam humiliationis cordis, & contritionis ſpiritus, & tribulationis pænitentiæ, non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Eccleſiæ*. Alia ſunt innumera Patrum teſtimonia, ſed quia non determinant, an ſit neceſſaria contritio in Sacramento, vel extra Sacramentum, ideo omiſimus illa, & præallata rantum recitavimus; quæ rem noſtram proprius facere videntur.

III. Probatur Rationibus. I. & quidem prima Concluſionis pars. Sacramenta novæ legis producunt gratiam ex opere operato; ſed ſi non ſufficeret attritio in Sacramento Pænitentiæ, & requireretur contritio, Sacramentum Pænitentiæ produceret gratiã ex opeoperantis: ergo &c. II. Sacramentũ Pænitentiæ eſt Sacramentũ mortuorum; Sed Sacramentum mortuorum debet ſupponere animã mortuam, & ex altera parte ſi non ſufficeret attritio, ſupponeret animam vivam: ergo ſufficit attritio. III. Sacramenta novæ legis ſunt efficaciora Sacramentis veteris legis; ſed ſi in Sacramento Pænitentiæ non ſufficeret attritio, nõ eſſent efficaciora Sacramẽtis veteris legis: ergo ad Sacramentũ Pænitentiæ ſufficiens eſt attritio. Probatur minor. In Sacramentis veteris legis requirebatur neceſſario contritio: ergo in Sacramentis novæ legis, & per conſequens in Pænitentia, ut eadem ſint efficaciora Sacramentis veteris legis, non requiritur in iiſdem contritio, ſed ſufficit attritio. IV. Si perfecta contritio eſſet neceſſaria in Sacramentis tam veteris, quam novæ legis, difficilior eſſet peccatorum remiſſio in Sacramentis novæ legis, quam veteris: ergo &c. Probatur minor. Ex una parte in utriſque Sacramentis eſſet neceſſaria contritio perfecta; ex altera vero parte in Sacramentis novæ lgis requireretur ulterius Confeſſio omnium peccatorum, quæ non requirebatur in Sacramentis veteris legis: & hoc eſt onus grave: ergo &c.

Secunda Concluſionis pars probatur Rationibus I. Requiritur in Sacramento Pænitentiæ aliquis amor Dei, ſaltem inchoatus & initialis; ſed hic non poteſt eſſe niſi ſpei: ergo requiritur amor ſpei. Probatur major. Si ſufficiens eſſet ſolus timor pænarum, hic deberet eſſe ſupernaturalis, non naturalis; ſed ut ſit ſupernaturalis includit amorem ſpei: ergo includit amorem inchoatum, & initialem; qui eſt amor ſpei. II. Extra Sacramentum juſtificat amor Dei, qui eſt charitatis, & ingreditur contritionem perfectam: ergo in Sacramento debet ingredi attritionem amor ſpei, qui debet coſtituere contritionem imperfectam. III. Ab amore ſpei non expellitur timor pænarum, ſed componitur cum illo; ab amore autem Charitatis expellitur timor pænarum, & non componitur cum illo: ergo ut ſit differentia inter amorem charitatis, & amorem ſpei, non debet in illo habere locum timor pænarum, & in hoc debet habere locum: ergo ſi in Sacramento Pænitentiæ neceſſarius eſt timor pænarum, & ſufficiens eſt ſine amore charitatis, non debet dici ſufficiens ſine amore ſpei. IV. Amor ſpei eſt diſpoſitio ad amorem charitatis: ergo ad hoc ut Pænitens fiat in Sacramento ex attrito contritus, debet accedere ad Sacramentum cum amore ſpei, ut deinde in Sacramento acquirat amorem charitatis.

Objiciunt I. Quotieſcunque Scripturæ requirunt in Sacrmentis amorem Dei, intelligendæ ſunt de amore charitatis; ergo nequeunt intelligi de amore ſpei. Probatur antecedens. Apoſtolus I. ad Corinth. 13. dicit: *ſi linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam . . . . . Nihil ſum*: ergo Scripturæ loquuntur de amore charitatis proprie dictæ. II. Patres etiam intelligi debent

de amore perfectæ charitatis ; ergo non de amore ſpei. Probatur antecedens ex Auguſtino lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas?* Et lib. *de gratia Chriſti* cap. 26. poſtquam dixit: *ubi non eſt dilectio, nullum opus bonum imputari, nec recte opus bonum vocari*, ſtatim ſubdit, *quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt; & fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, ſic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſet, non dubitet.* III. In peccato, quod eſt contra fidem, & ſpem, neceſſarius eſt actus fidei, & ſpei: ergo pariter in peccato, quod eſt contra charitatem; ſed omne peccatum eſt contra charitatem : ergo in omni peccato expiando in Sacramento Pænitentiæ neceſſarius eſt actus perfectæ charitatis. IV. Theologi, qui docent, ſufficere attritionem in Sacramento ex metu pænarum, conſulunt pariter mortis tempore neceſſariam eſſe contritionem, ſeu amorem Dei ſuper omnia; & quidem hi ſunt, prout enumerantur a Tournely, Dominicus Soto, Melchior Canus, Franciſcus Suarez, Martinus Becanus Comitolus, Sanchez &c, V. Requiritur in Sacramento Pænitentiæ converſio ad Deum ex toto corde; ſed converſio ad Deum ex toto corde non poteſt fieri ſine charitate: ergo ad Sacramentum Pænitentiæ neceſſarius eſt amor charitatis. Probatur minor. In converſione ex toto corde neceſſe eſt ut cor anteponat Deum Creaturæ; ſed anteponere Deum Creaturæ eſt amare Deum amore perfectæ charitatis; ergo &c. VI, qui operatur intuitu ſpei, operatur intuitu mercedis; ſed qui operatur intuitu mercedis, non operatur ex motivo veræ & propriæ charitatis; ergo qui operatur intuitu ſpei non operatur ex motivo propriæ & veræ charitatis. VII. Hic amor ſpei improbatur a S. Bernardo ſcribente ad Guigonem, Priorem Cartuſienſem, epiſt. 11. num. 3. per hæc verba, *Qui magis, aut certe ſolum, diligit ſuum, convincitur non caſte diligere bonum, quod utique propter ſe diligit, non propter ipſum. Et hic talis non poteſt obedire Prophetæ, qui ait: Confitemini Domino, quoniam bonus: confitetur quidem, quia fortaſſe bonus eſt ſibi, non quia bonus eſt in ſe.* VIII. Pænitentia, quæ fit ex metu pænarum, & propter ſpem premii, non eſt ſimpliciter voluntaria: ergo non eſt ſufficiens ad producendam gratiam in Sacramento. Antecedens patet, quia eſt Pænitentia hypothetica, quatenus ſcilicet peccator ideo dolet de peccatis, quia peccata inducunt inferni pænas, & Paradiſi gaudiis privant. X. Amor ſpei dicitur amor concupiſcentiæ; ſed amor concupiſcentiæ eſt malus: ergo amor ſpei non eſt bonus. X. Moyſes, & Paulus renunciabant amori ſpei: ergo intelligebant amorem ſpei non eſſe bonum. Probatur antecedens. Moyſes, & Paulus optabant privari æterna beatitudine propter ſalutem Fratrum ſuorum; ergo renunciabant amori ſpei.

Reſpondemus ad I. Scripturas loqui de amore charitatis proprie dictæ, quando intelligendæ ſunt de juſtificatione extra Sacramentum, ad quam certe requiritur amor amicitiæ, & benevolentiæ, qui includitur in perfecta contritione, ut ſuo loco diximus. At quando loquuntur de juſtificatione in Sacramento intelligendæ ſunt de amore concupiſcentiæ, ſeu ſpei, ut in noſtris Probationibus ex Scriptura deſumptis pariter vidimus, & obſervavimus.

Ad II. Eadem eſt reſponſio, quia Patres & commendant amorē charitatis, & commendant amorem ſpei; & hoc precipue obſervatur in Auguſtino, cujus verba deſuper allata demonſtrant. Cæterum ejuſdem Auguſtini verba, quæ in objectione recitantur, vel intelliguntur de gratia ſupernaturali, quæ etiam charitatis nomine appellatur; vel accipiuntur de juſtificatione ex charitate perfecta, quæ fit extra Sacramentum.

Ad III. dicitur, quod diſparitas eſt, quia fides & ſpes ſunt initium & fundamentum juſtificationis noſtræ, unde debent præcedere ipſam, tanquam media, & diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem; charitas vero eſt finis. Et ideo extra Sacramentum neceſſarius eſt actus charitatis, quia extra Sacramentum nulla datur cauſa,

quæ

Digitized by Google

quæ moveat divinam miſericordiam, & excitet ad gratiam ſanctificantem liberaliter & gratis concedendam, ut docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. In Sacramento vero non ſic.

Ad IV. dicitur, quod *Dominicus Soto* loquitur de attritione, quæ concipitur ex ſolo metu pænarum, ſine ullo reſpectu ad Deum offenſum, & hanc ſententiam ipſe rejicit; unde in 4. diſt. 17. q. 2. art. 6. diſtinguit contritionem ab attritione ex parte objecti, quia contritio, *eſt dolor de offenſa Dei, attritio vero dolor peccati ob timorem inferni, aut aliorum nocumentorum temporalium*; Proinde per ipſum diſt. 18. q. 3. art. 2. requiritur *deteſtatio peccati, quatenus eſt offenſa Dei*. *Canus* pariter par. 2. *de Pænit.* aſſerit, attritionem efficacem ex timore pænarum ſupernaturalium eſſe idoneam diſpoſitionem ad percipiendam gratiam Baptiſmi, & Pænitentiæ. *Suarez* loquitur in ſententia aliorum, non in ſua. *Comitolus* intelligitur de illa attritione, qua quis deteſtatur peccatum pure & ſimpliciter propter metum gehennæ, non quia eſt offenſa Dei. *Becanus* conſulit *ad melius eſſe* ut excitetur Pænitens ad contritionem, non ad *ſimpliciter eſſe*. Demum *Sanchez* convenit cum Suarez & intelligendus eſt, ut Suarez intelligitur.

Ad V. conceditur propoſitio, ſi attritio ſit extra Sacramentum; negatur vero, ſi ſit in Sacramento; quia & Deus mutat cor Pænitentis, & facit ut ipſe toto corde ad Deum convertatur, & hoc eſt quod dicitur, Pænitentem in Sacramento ex attrito fieri contritum.

Ad VI. conceditur pariter propoſitio, quando quis operatur intuitu mercedis temporalis, quæ ſit a Deo diſtincta; quando vero operatur intuitu mercedis æternæ, quæ refertur ad nos, tanquam ad finem *qui*, ſeu ultimum, conceditur; quando ad nos refertur tantum tanquam ad finem *cui*, negatur. Audiatur S. Thomas 2. 2. q. 19. art. 6. *Amor ſui tripliciter ſe poteſt habere ad charitatem; uno enim modo contrariatur charitati ſecundum quod aliquis in amore proprii boni finem conſtituit: alio vero modo in charitate includitur, ſecundum quod homo ſe propter Deum, & in Deo diligit: tertio modo a charitate quidem diſtinguitur, ſed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit ſe ipſum, ſecundum rationem proprii boni; ita tamen, quod in hoc proprio bono non conſtituat finem. Sicut etiam & ad proximum poteſt eſſe aliqua alia ſpecialis dilectio præter dilectionem charitatis, quæ fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, conſanguinitatis, vel alicujus alterius conditionis humanæ, quæ tamen referibilis ſit ad charitatem.*

Ad VII. Bernardus non approbat amorem ſpei, qui reſpicit Deum, tanquam bonorum naturalium datorem, ſed approbat amorem ſpei, qui reſpicit Deum, ut datorem bonorum ſupernaturalium. Quod patet ex ejus verbis in ſerm. 9. in Pſalm. 90. num. 8. *Sunt forte nonnulli, quia Domino obtinere temporalia, ſeu ſpiritualia qualibet concupiſcunt; ſed perfecta charitas ſolum ſitit, quod ſummum eſt, tota deſiderii vehementia clamans*: quid enim mihi eſt in Cælo, & a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum ..... *Singularis eſt puritatis, ſingularis gratiæ, ſingularis perfectionis, non modo nihil ſperare niſi a Deo, ſed nihil quærere niſi Deum.*

Ad VIII. Objectio habet locum in involuntario, quod nihil omnino habet de voluntario, non vero in eo, quod plus habet de voluntario, quam de involuntario; nec pariter de eo, quod fit independenter ab omni circumſtantia, quæ actum impediret. Quod fit ex metu, quanvis non ſit ſimpliciter voluntarium primo modo, eſt tamen voluntarium ſecundo, & tertio modo.

Ad IX. Verum eſt, quod amor concupiſcentiæ carnalis eſt malus, amor tamen concupiſcentiæ ſpiritualis eſt bonus, atque laudabilis. Unde Pſalm. 83. regius Pſaltes dicebat: *quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.*

Ad X. dicitur, quod Nazianzenus, & Hieronymus intelligunt, Moyſen, & Paulum renunciaſſe vitæ temporali, non autem vitæ æternæ. Chryſoſtomus vero, & Auguſtinus illos intelligunt de pio & abbundanti charitatis exceſſu, & ſub conditione, quam impoſſibilem eſſe judicabant. Ait enim Auguſtinus in Quæſtionibus ad Exodum cap. 147. *Securus hoc dixit* (Moy-

ſes)

Google

ſes) *ut a conſequentibus ratiocinatio concludatur; id eſt, ut quia Deus Moyſen non deleret de libro ſuo, populo peccatum illud remitteret.*

Pro tertia tandem Diſſertationis parte, in qua quæritur, qualis fuerit in hac præſenti controverſia Sacroſancti Concilii Tridentini mens? Præſcire oportet, Theologos in hoc eſſe diviſos; quidam enim volunt, quod Concilium definierit, contritionem ex charitate perfectam eſſe diſpoſitionem neceſſariam ad Sacramentum Pænitentiæ. Alii vero tuentur, Concilium adeo expreſſe ſtatuiſſe, attritionem, quæ non vivificat animam, quæque ſupponitur eſſe ſine amore Dei, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronunciaverit contra expreſſe negantes. Alii vero communius volunt, Concilium nihil definiſſe adverſus ſententias Theologorum, qui pugnant, vel pro neceſſitate contritionis perfectæ, vel pro ſufficientia contritionis imperfectæ, ex ſolo pænarum metu conceptæ. Et cum his.

Dicimus III. Concilium Tridentinum nihil definiſſe adverſus ſententias Theologorum, qui pugnant, vel pro neceſſitate contritionis perfectæ, vel pro ſufficientia contritionis imperfectæ, ex ſolo pænarum metu conceptæ.

I. probatur. In quæſtionibus theologicis, quæ inter Theologos ſcholaſticos ſalva fide agitantur, Patres Concilii Tridentini nullum ediderunt decretum, quod aut uni, aut alteri parti vel faveret, vel adverſaretur; ſed præſens hæc controverſia, de qua agimus, inter Theologos Scholaſticos ſalva fide agitatur: ergo in illa Patres Concilii Tridentini nullum ediderunt decretum, quod aut uni, aut alteri parti, vel faveret, vel adverſaretur. Major eſt Cardinalis Pallavicini lib. 4. Hiſt. Concilii Tridentini cap. 10. *Nec enim collecta fuerat Synodus ad decidendas opiniones, ſed ad errores reſcindendos.* Et lib. 12. cap. 10. *Quantum ex actis conjicio, Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem; non item, ut ferret ſententiam de ſcholaſtica quæſtione, an hujuſmodi timor non ſolum abſque contritione animi perfecta (de quo controverſia vix fuit, ſicut patebit,) ſed etiam abſque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad remiſſionem peccatorum. In Patrum Conventu id pauci attigerunt. Aliquod dumtoxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem amoris, in iis, quæ Granatenſis diſputavit: at vero Joannes Æmilianus, Hiſpanienſis Sudetanus Antiſtes, extremum oppoſitæ ſententiæ tenuit; hoc eſt opus eſſe contritione perfecta.*

II. probatur. Si quid in Concilio Tridentino decretum fuiſſet vel pro una, vel pro alia parte, præſentis hujus controverſiæ, Theologi, qui eidem Concilio Tridentino interfuerunt, non abiiſſent in diverſas & contrarias opiniones circa eandem, ſed omnes unanimiter decreto in Concilio edito ſubſcripſiſſent; atqui Theologi, qui Concilio Tridentino interfuerunt, in varias ſententias abierunt: ergo nullum in Concilio Tridentino circa præſentem controverſiam editum fuit decretum. Probatur minor. Fridericus Nauſea, Viennenſis in Auſtria Epiſcopus, in Catechiſmo, & Franciſcus Somnius, Antuerpienſis tractatu 4. de Pænit. cap. 6. docuerunt neceſſitatem inchoatæ charitatis in Pænitentiæ Sacramento: ſufficientiam vero attritionis docuerunt Franciſcus Victoria, Andreas Vega, Dominicus Soto, Melchior Canus, qui Concilio Tridentino interfuerunt: ergo &c.

III. probatur. Nec poterat, nec debebat Concilium Tridentinum hanc præſentem controverſiam per decretum ſuum dirimere, ac definire, niſi antecedenter de illa fuiſſet inter Patres diſputatum; ſed in hiſtoria ejuſdem non legimus de hac controverſia fuiſſe inter Patres diſputatum, vel aliquo modo tractatum: ergo vere Concilium Tridentinum nihil de hac controverſia determinavit, ac definivit. Minor conſtat & ex teſtimonio præfati hiſtorici Cardinalis, & pariter ex ſilentio Auctorum, qui pares Concilio Tridentino fuerunt, vel qui eidem interfuerunt.

IV. probatur. Alexander Septimus, ut pacem inter Theologos contraria ſentientes in hac controverſia firmaret, non edidiſſet decretum illud, quod edidit anno 1667. die 5. Maii, ſi in Tridentino editum fuiſſet decretum, pro altera ex illis parte; atqui vere Alexander Septimus decretum

illud

illud edidit, quod nos retulimus ſupra, & modo hic denuo recitamus: ergo vere Concilium Tridentinum decretum illud non edidit. Major eſt certa, quia ſaltem Alexander Septimus mentionem definitionis tridentinæ in ſuo decreto feciſſet, quam non fecit. Verba autem præfati decreti Alexandrini ſunt hæc. *Ne quis audeat alicujus theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

Opponunt I. Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. requirit inter diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ amorem Dei; ſcilicet, ut qui *diſponuntur ad juſtitiam, Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant; ac propterea moveantur adverſus peccata per odium aliquod & deteſtationem*: ergo Concilium requirit amorem Dei. II. ſeſſ. 6. cap. 14. idem Concilium requirit *cor contritum & humiliatum*; ſed cor contritum eſſe non poteſt per ſolam attritionem: ergo ſi Concilium requirit contritionem in Sacramento Pœnitentiæ, requirit etiam amorem Dei. III. Idem Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. promiſit, *ſe exactiorem & pleniorem definitionem de Sacramento Pœnitentiæ traditurum, in qua demoſtratis & convulſis, Spiritus Sancti præſidio, univerſis erroribus, catholica veritas perſpicua & illuſtris fieret*; ſed hæc doctrina eſſe non poterat, niſi aliquid aliud ſupra attritionem in Sacramento Pœnitentiæ præcipiſſet: ergo &c. IV. Concilium Tridentinum requirit in Sacramento Pœnitentiæ, quod Peccator incipiat diligere Deum *tanquam fontem omnis juſtitiæ*; ſed diligere Deum tanquam fontem omnis juſtitiæ ſpectat ad charitatem, non ad ſpem: ergo de mente Concilii Tridentini in Sacramento Pœnitentiæ requiritur amor Charitatis, & non ſufficit amor ſpei V. Ex Concilio Tridentino in Catechumenis adultis, ut gratiam in baptiſmo recipiant, requiritur inchoata ſaltem charitas Dei ſuper omnia: ergo pariter in Peccatoribus. Majorem probant ex ſeſſ. 6. Can. 3. ubi dicitur: *ſi quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*. VI. Concilium Tridentinum requirit in Pœnitente anteactæ vitæ odium, propoſitum non peccandi, & contritionem, quæ fuit quovis tempore neceſſaria; atqui hæc tria includunt charitatem Dei ſuper omnia, ſaltem inchoatam; ergo &c. Probatur minor, Non poteſt quis odio habere peccatum, niſi amet bonum, quod illi opponitur; hoc autem eſt Deus. Inſuper non poteſt quis habere propoſitum non peccandi, niſi efficaciter ſtatuat, ſervare omnia Dei mandata; atqui primum Dei mandatum eſt diligere Deum ex toto corde: ergo &c. Denique contritio, quæ quovis tempore fuit neceſſaria, eſt contritio concepta ex motivo veræ & propriæ charitatis; & hoc probatur; quia nec tempore legis naturæ, nec tempore legis moſaycæ quiſquam recuperavit juſtitiam amiſſam, quin pœnituiſſet eum peccatorum ſuorum ex motivo veræ & propriæ charitatis.

Reſpondemus ad I. quod non conſtat, qualem amorem Concilium exigat in eo, qui ſe ad juſtitiam præparat; & quanvis dicat *diligi tanquam fontem omnis juſtitiæ*, tamen non ſe explicat, an motivum illius dilectionis ſit Deus, quatenus eſt fons omnis noſtræ juſtitiæ, an quatenus eſt in ſe abſolute juſtus. Andreas Vega huic ſeſſioni interfuit, & præfata Concilii verba ſic explicat lib. 6. cap. 29. *Synodus non ſtatuit hoc loco, an dilectio Dei, quæ diſponit ad juſtitiam, ſit dilectio Dei ſuper omnia. Temperatum prorſus a verbo ſuper omnia, tantumque eſt definitum dilectione Dei diſponi Peccatores ad juſtitiam*. Inſuper nec Theologi conveniunt, an Concilium loquatur de diſpoſitione neceſſaria ad juſtitiam habendam in Sacramento, vel extra Sacramentum; unde plures Theologi docent, Concilium intelligendum eſſe de diſpoſitione neceſſaria ad juſtiſtitiam extra Sacramentum. Ulterius Concilium in citatis verbis requirit aliquod odium adverſus peccata, non autem exigit odium perfectum, quod eſt ex charitate perfecta; unde ſignum eſt

eſt evidens, quod Concilium renuit quæſtionem inter Theologos dirimere. Denique definitiones Concilii continentur in Canonibus, non in Capitulis, in quibus exponitur doctrina Eccleſiæ, non definitur; præfata autem verba continentur in capite, & non in canone.

Ad II. dicitur, quod cor contritum intelligitur per contritionem imperfectam, quæ eſt attritio, & quod deinde per Pænitentiæ Sacramentum fit cor contritum. Unde ſubdit citatus Vega lib. 13. cap. 17. *Quamvis hic mentis affectus, quo mentem a peccatis admiſſis revocamus deteſtatio peccatorum hoc loco appelletur, tamen deſpiciendum non eſt communius in ſchola contritionis vocabulum. . . . Ea verò ratione communiori hoc deteſtationis nomine uſi videntur (Patres Tridentini) ne attritionem, quæ imperfectus eſt dolor de peccatis, a partibus Pænitentiæ viderentur excludere.*

Ad III. dicitur, quod revera nihil aliud Concilium in ſuis Canonibus præcepit, quod indicet Adverſariorum intentum. Legimus quidem in ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit*: at citatus Vega lib. 6. cap. 29. inquit: *ex qua definitione colligi non poteſt, dilectionem Dei ſupra omnia antecedere juſtificationis gratiam, ſed ſolum inde colligitur, ad quancumque ſufficientem dilectionem opus eſſe auxilio Spiritus Sancti ſpeciali*. Inſuper Concilium Tridentinum Can. 4. definivit *tres actus Pænitentis, videlicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem, eſſe quaſi materiã Sacramenti Pænitentiæ*; ſed non explicavit, de qua contritione volebat intelligi.

Ad IV. dicitur, quod non ſe explicat Concilium, an verba illa *omnis juſtitiæ* intelligenda ſint de juſtitia Dei, & tunc eſſet amor charitatis perfectæ; an de juſtitia noſtra, quatenus Deus eſt fons & cauſa omnis juſtitiæ noſtræ, & tunc eſſet amor Charitatis imperfectæ, ſeu amor ſpei, ut nuper dictum eſt.

Ad V. Nec ſatis ſe explicat Concilium in laudati Canonis verba; nihil enim prohibet, ut ad opinionem extendantur, quam quiſque ſequitur, dummodo verificetur, quod homo credat, ſperet, diligat, ac pæniteat; quæ omnia verificari poſſunt tam in Contritione perfecta, qui includit amorem charitatis proprie dictæ, quam in charitate imperfecta, quæ includit amorem ſpei.

Ad VI. Concilium Tridentinum de contritione imperfecta, ſeu attritione, quatuor docet; quorum primum eſt, quod hæc attritio non faciat hominem hypocritam, & magis peccatorem, ut inſaniendo Lutherus aſſerebat, ſed eſſe donum Dei; ſecundum eſt, quod ſit impulſus Spiritus Sancti; tertium eſt, quod Pænitens per ipſam ſibi præparet viam ad juſtitiam; quartum, quod quanvis nequeat per ſe peccatorem perducere ad juſtificationem, eum tamen diſponit ad Dei gratiam in Sacramento recipiendam. His ſpoſitis, dicimus ad argumentum, quod per attritionem hoc modo explicatam, & ut a nobis pariter intelligitur, ſatis ſuperque habemus, & peccati odium, & Dei amorem, prout in primo Decalogi præcepto continetur, & contritionem, quæ fuit omni tempore neceſſaria, contritionem ſcilicet veram ex amore Dei ſuper omnia, præſcindendo an fuerit perfecta, vel imperfecta, prout in noſtra hypotheſi explicavimus.

DISSERTATIO CCCLXXIII.

De Confeſſione Sacramentali. Quotupliciter in Scripturis Confeſſionis vox uſurpetur? Quotupliciter pariter intelligatur Confeſſio ſacramentalis? Quænam ſit ejus eſſentia? Et an ſit eadem ac Exomologeſis, apud Veteres Scriptores, præcipue Græcos, commemorata?

VOX *Confeſſionis* idem importat ac *declaratio*, ſeu *manifeſtatio* alicujus rei alicui facta; quæ quidem res ſit vel ſecreta, vel incognita; & declaratio, ſeu manifeſtatio ſit, aut privata, aut publica, aut ſpontanea, aut coacta. Et hæc eadem vox tripliciter legitur in Scripturis uſurpata, nimirum Confeſſio Fidei, ſeu Profeſſionis; Confeſſio laudis, ſeu gratiarum actionis; & Confeſſio accuſationis.

Primo modo *Confeſſio Fidei*, ſeu *Profeſſionis* eſt illa, qua quis publice ac conſtanter profitetur aliquam veritatem, maxime quæ ſpectet ad Dei gloriam, qualis eſt *Confeſſio fidei*, vel *Religionis*; unde Chriſtus Dominus Matth. 10. dicebat: *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: & Apoſtolus ad Romanos 10. *corde creditur ad juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad ſalutem*: ubi pro *Confeſſione* intelligit Fidei *Profeſſionem*; & antiquitus qui fidem Chriſti libere profitebantur *Confeſſores* dicebantur.

Secundo modo accipitur pro laude, ſeu pro gratiarum actione; & hoc pacto idem eſt *confiteri Deum* ac *ipſum laudare*; hinc Pſalm. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Pſalm. 34. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te*: Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & terræ; quia abſcondiſti hæc a Sapientibus & Prudentibus, & revelaſti ea Porvulis.* Et Lucæ 10. *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli, & Terræ, quod abſcondiſti hæc a Sapientibus, & Prudentibus, & revelaſti ea Parvulis: etiam Pater; quoniam ſic placuit ante te*. Unde Eſtius in 4. diſt. 17. §. 4. *Confeſſio laudis ea eſt, qua Deum ut ſumme bonum, ſummeque laudabilem, ejus beneficia, atque judicia cum gratiarum actione cognoſcimus & prædicamus*. Et antea ſcripſerat Auguſtinus ſerm. 8. de Geſtis Domini, explicans verba illa Chriſti Domini: *Confiteor ſibi Pater &c.* & dicens. *Si Confiteor, Chriſtus dixit, a quo longe eſt omne peccatum, non ſolius eſt confiteri Peccatoris, ſed etiam aliquando laudatoris. Confitemur ergo ſive laudantes Deum, ſive accuſantes noſmetipſos. Pia eſt utraque Confeſſio, ſive cum te reprehendis, qui non es ſine peccato, ſive cum illum laudas, qui non poteſt habere peccatum*.

Tertio modo eſt *Confeſſio accuſotionis*, & per eam intelligitur *moniſeſtatio & declaratio peccatorum* facta vel Deo ſoli, vel Deo, ejuſque Miniſtro. Et de hac dicitur Pſal. 31. *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino*. Et Matth. 30. *Omnis Regio circa Jordanem exbibat, & baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata ſua.* Et 1. Joannis I. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat*

Digitized by Google

nobis peccata noſtra. Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Et de hac loquebatur Auguſtinus in Pſal. 29. *Confeſſio gemina eſt, aut peccati, aut laudis. Quando nobis male eſt, in tribulationibus confiteamur peccata noſtra. Quando bene, in exultatione juſtitiæ confiteamur laudem Deo. Sine confeſſione non ſimus*. Et in Pſal. 94. *Confeſſio quidem duobus modis accipitur in Scripturis. Eſt Confeſſio laudis, quæ pertinet ad hominem, eſt Confeſſio gementis, quæ ad Pænitentiam pertinet ejus, qui confitetur. Confitentur enim homines, qui laudant Deum, confitentur cum accuſant ſe, & nihil dignius facit lingua. Vere puto, quod ipſa ſint vota, de quibus dicitur in Pſalmo, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea*. Confeſſio peccatorum Deo facta ſemper habita eſt neceſſaria ad eorundem veniam a Deo impetrandam. At Confeſſio peccatorum, quæ fit homini, multiplex etiam renunciatur. Et quidem prima, quæ dicitur *civilis*, eſt, per quam Reus coram Judicibus ſuum crimen fatetur: ſecundá, quæ dicitur *ſatisfactoria*, eſt, quæ fit ad proximum placandum, & eundem nobis reconciliandum: tertia, quæ eſt conſolatoria, dicitur illa, per quam viro docto, & prudenti peccata noſtra aperimus, ut ab eo percipiamus conſolationem, conſilium, atque remedium, & de hac intelliguntur verba Proverbior. 28. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur*. Quarta *Legalis*, quæ a lege moſayca præcipiebatur illis, qui erant rei, & mundari volebant; ut legitur Levitici 5. & Numerorū 5. & ut invenitur apud Morinum lib. 9. de Pænitentia cap. 33. 34. 35. & 36. Ad hanc peccatorum confeſſionem tenebantur Judæi; & ut pariter legitur apud Huetium lib. 2. Quæſtionum Alnectarum cap. 20. Sacerdotes Gentilium, etiam quando initiabantur, hanc confeſſionem præmittebant; & probat exemplo in Antalcida apud Plutarchum in apophtegmatis: Quinta denique eſt *Confeſſio ſacramentalis*, de qua nos in præſentiarum tractamus, & quam Hæretici negant, quanvis omnes alias prædictas confiteantur, & admittant. Et uſque modo primam, & ſecundam Diſſertationis partem explevimus;

Pro tertia autem, in qua quæritur ſacramentalis Confeſſionis eſſentia; ſic ipſa definitur: *eſt ſacramentalis accuſatio peccatorum ſuorum, quæ poſt baptiſmum commiſſa ſunt, facta Sacerdoti a Pænitente, ad eorum veniam virtute clavium Eccleſiæ obtinendam*. Explicatur definitio; & quidem primo dicitur *accuſatio*, hoc eſt, non *ſola declaratio*, non *mera hiſtorica narratio*, non *excuſatio*, vel *oſtentatio*; ſed *accuſatio*; quia, ut docet Catechiſmus Romanus *de Pænitentia* per 2. num. 51. *quod peccata ita commemoranda non ſunt, quaſi ſcelera noſtra oſtendemus, ut ii faciant, qui lætantur, cum male fecerint; aut ſic enarranda, ut ſi rem aliquam geſtam otioſis auditoribus delectandi cauſa exponamus. Verum accuſatoria animo ita ſunt enumeranda, ut ea etiam in nobis vindicare cupiamus*. Secundo dicitur *ſacramentalis accuſatio*, quia accuſatio hæc dicit ordinem ad Sacramentum Pænitentiæ, cujus eſt pars eſſentialis, & quem ordinem non dicunt aliæ Confeſſiones, quæ non ſunt Sacramentales, quanvis ſint accuſationes. Tertio dicitur *peccatorum ſuorum*, hoc eſt, *non aliorum*, ſed illorum, qui eadem peccata confitentur, & per hæc peccata intelligitur propria materia Confeſſionis, ut ſuo loco explicavimus. Quarto dicitur, *quæ ſunt commiſſa poſt baptiſmum*, quia peccata, quæ præcedunt baptiſmum, per receptionem ipſius, ſine miniſterio Clavium perfecte condonantur. Quinto dicitur *facta Sacerdoti*, ad denotandum, quod ſolus Sacerdos ſit Sacramenti Pænitentiæ Miniſter. Sexto dicitur *ad obtinendam peccatorum veniam virtute Clavium Eccleſiæ*, & per hæc verba indicatur Confeſſionis Sacramentalis finis, ejuſque efficacia. Inſuper, & diſtinguitur a Confeſſionibus, quæ fiunt in Tribunalibus civilibus, & forenſibus, in quibus datur Pænitentibus pæna, non venia, unde Catechiſmus romanus loco citato nu: 52. docet. *Ac per hoc diſtinguitur a confeſſione, quæ fit in judicio civili, ac forenſi, ubi pæna & ſupplicium, non culpæ venia conſtituta eſt confitentibus*.

Pro ultima tandem diſſertationis parte, in qua quæritur, an ſit eadem apud Latinos Confeſſio ſacramentalis, ac erat apud Græcos Exomologeſis? Hoc, quod nos dicere poſſumus

in

in eo conſiſtit, quod eadem eſt, ut plurimum apud Scripturas, & antiquos Paires, ſed non ſemper; quia quandoque *Exomologeſis* accipitur pro *tota illa actione, qua fiebat laborioſa, & publica Pænitentia*; & quandoque pariter extenſa eſt vox illa *ad Litanias* ſignificandas, ut accidit tempore S. Iſidori circa ſeptimum ſeculum, qui lib. 6. Origin. cap. 19. ſcripſit. *Inter litanias, & exomologeſes hoc differt, quod exomologeſes pro ſola peccatorum confeſſione agantur; Litaniæ vero indicantur propter rogandum Deum, & impetrandũ in aliquo miſericordiam ejus. Sed nunc jam utrunque vocabulum ſub una deſignatione habetur; nec diſtot vulgo, utrum Litaniæ, an exomologeſes dicantur.*

Verum, ut hæc omnia recto ordine explicemus, primo obſervandum venit, quod Græci apud Scripturas vocant *exomologeſim* actionem illam, quam Latini dicunt *Peccatorum Confeſſionem*; ut videre eſt in illo Matth: *Confitentes peccata ſua*, quod in græco legitur *exomologeſis*; ut pariter fit in illo Joannis I. *Si confiteamur peccata noſtra*: & pariter fit in illo Jacobi 5. *Confitemini alii aliis Confeſſionem*: & in Actis Apoſtolorum: *Confitentes & annunciantes actus ſuos*.

Secundo obſervandum venit, quod pariter Patres Græci confeſſionis actionem per *exomologeſis* vocabulum expreſſere, ut videre eſt in S. Epiphanio, qui refert Marci Præſtigiatoris crimina; & in S. Irenæo, qui mulierum converſionem memorat, quæ fuerant ab ipſo Marco corruptæ, & quæ deinde crimen ſuum in Eccleſia confeſſæ fuerant, ut legitur in hæreſi 14.

Tertio obſervandum venit, quod deinde ad Latinos *exomologeſis* vox tranſivit; unde Tertullianus lib: *de Pænit.* cap. 9. cum dixiſſet; *tantum relevat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exagerat: confeſſio enim ſatisfactionis conſilium, diſſimulatio contumaciæ*; deinde ſubdit. *Iſ actus* (Confeſſio), *qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pænitentia naſcitur, pænitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, conjungens converſionem miſericordiæ in illum. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco, & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animi mæroribus dejicere, illa, quæ peccavit, triſti tractatione mutare: cæterum paſtum, & potum purum noſſe, non ventris, ſcilicet, ſed animæ cauſa; plerumque vero jeiunii preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere. Hæc omnia exomologeſis, ut Pænitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in Peccatorem ipſa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia, non dico fruſtretur, ſed expugnet.*

Obſervandum denique eſt, aliquot etiam fuiſſe Patres, qui *Exomologeſim* intellexerunt pro univerſa Pænitentiæ actione, ſcilicet non ſolum pro Confeſſione, ſed etiam pro ſatisfactione. Ita fuit Baſilius in epiſt. Canonica cap. 2., ubi per verbum *Exomologeſim* explicat hanc ſententiam: *non oportet autem uſque ad obitum confeſſionem eorum extendere; ſed eam poſt decennium admittere*; ita pariter Tertullianus, ut in illis, quæ dicta ſunt nuper, apparet. Cyprianus lib: de lapſis, ubi ait: *quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Et epiſt. 55. ad Cornelium. *Sublata pænitentia nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur.* Et Pacianus in Paræneſi ad Pænitentiam, contra Novatianos loquens; *Tertio de his erit ſermo, qui confeſſis bene, apertiſque criminibus remedia Pænitentiæ, actuſque ipſos exomologeſis adminiſtrandæ, aut neſciunt, aut recuſant.* Quod autem recte ſcienda ſit hæc diverſa exomologeſis ſignificatio, hanc reddit rationem Jueninus in Commentario diſſert. 6. *de Pænitentia* quæſt. 5. *de Confeſſ.* nimirum „ ut ex ſubjecta materia
„ occurrentibuſque circumſtantiis ju-
„ dicent Theologi, quandonam autho-

„ ritate Patrum, apud quos frequens „ eſt exomologeſis nomen, uti debeant, „ ut contra Calviniſtas Confeſſionis ne„ ceſſitatem adſtruant. „.

Tandem pro Diſſertationis Coronide, & ad majorem Confeſſionis ſacramentalis eſſentiæ cognitionem; has alias afferimus ejuſdē definitiones, quas Patres, & vetuſtiores Theologi tradiderunt. S. Auguſtinus eam definivit. *Confeſſio eſt, per quam morbus latens, ſpe veniæ aperitur*. Quæ definitio habetur ex eius enarratione in Pſalm. 66. ad illa verba: *Confiteantur tibi populi Deus*: quæ ita commentatur; *Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere: te accuſa: illum glorifica: te reprehende: illum lauda: ut & ipſe veniens, inveniat te punitorem tuum, & exhibeat tibi Salvatorem tuum.... Confiteri times Deo, ne confeſſum damnet? Si non confeſſus lates, confeſſus damnaverit? Times confiteri, qui non confitendo eſſe non potes occultus: damnaberis tacitus, qui poſſes liberari confeſſus. Et quia iſta confeſſio non ad ſupplicium ducit, ſequitur, & dicit*, lætentur, & exultent gentes. *Si plangunt ante hominem confeſſi latrones, lætentur ante Deum confeſſi fideles: Si homo judicet, exigit a lotrone confeſsionem tortor, & timor, immo aliquando confeſſionem premit timor, exigit dolor: & ille, qui plangit in tormentis, timet autem occidi confeſſus: portat tormenta quantum poteſt, & ſi victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem ſuam. Nuſquam ergo lætus, nuſquam exultans: antequam confiteatur, exarat ungula; cum confeſſus fuerit, damnatum carnifex ducit: miſer ubique. Sed lætentur, & exultent gentes. Unde? Per ipſam confeſſionem. Quare? Quia bonus eſt, cui confitentur: ad hoc exigit confeſſionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat ſuperbum. Ergo triſtis eſto, antequam confitearis, confeſſus exulta, iam ſanaberis. Conſcientia tua ſaniem collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquande ſecat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis: tu cognoſce Medici manum; confitere: exeat in Confeſſione, & defluat omnis ſanies; jam exulta, iam lætare, quod reliquum eſt facile ſanabitur..... Advocatum miſit tibi* (*Deus*). *Propter illum, & per illum confitere: age cauſam tuam, & defenſor eſto Pœnitentis, & petitor veniæ confitentis, & judex innocentis*.

A S. Gregorio ſic pariter definitur: *Confeſſio eſt peccatorum detectio, & ruptio vulneris*. Et colligitur ex homilia 40. in Evangelia, ubi ait. *Quid eſt peccatorum confeſſio, niſi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus ſalubriter aperitur in Confeſſione, quod peſtifere latebat in mente*. Pariter a S. Raymundo lib. 3. tit. *de Pœnitentiis & Remiſſionibus* §. 3. definitur. *Confeſſio eſt coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio*. Et denique ab Alberto Magno in 4. ſententiar. diſt. 16., & ab antiquioribus Theologis. *Confeſſio, eſt ſacramentalis delinqaentis accuſatio ex erubeſcientia, & per claves Eccleſiæ ſatisfactoria, obligans ad perogendam Pœnitentiam injunctam*.

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCLXXIV.

De Confeſſione Sacramentali. De erroribus contra eandem, & de illorum Auctoribus. De Scriptoribus pro eadem, qui quovis ſeculo floruerunt?

PRimo, apud Coccium in Theſauro catholico Tomo 2.lib.7.*de Pænitentia* ar. 3. qui enumerat Catalogū Hæreticorum, qui peccatorum coram Sacerdote confeſſionem improbarunt, ponuntur primo loco *Montaniſtæ*, de quibus dicit, quod *erubeſcebant confiteri peccata*; & teſtem perhibet Hieronymum epiſt. 54. ad Marcellam. Coccium ſequitur Bellarminus, qui lib.3. *de Pænitent.* cap.3. ſeribit. *Primi. qui confeſſionem ſuſtulerunt, veteres illi hæretici cenſendi ſunt, qui poteſtatem abſolvendi ſuſtulerunt, Montaniſtæ videlicet, & Novatiani: neque enim ulla neceſſitas Confeſſionis eſt, ſi nulla ſequitur abſolutio.* Aliter autem putat Jueninus in Cōmentario diſſert. 6: *de Pænit.* q. 5. *de Confeſſione* cap. 1. art. 1., volens, quod quanvis Montaniſtæ dixerint, quædam peccata eſſe irremiſſibilia ab Eccleſia, alia autem minora volebant poſſe ab Eccleſia remitti, & de his Confeſſionem non improbabant. Addit, quod Confeſſionem pariter admittebant illorum peccatorum, quæ negabant poſſe ab Eccleſia remitti, & teſtem adducit Ambroſium lib.2. *de Pænit.* cap.5., in quo ſic alloquitur Novatianos, qui eundem errorem cum Montaniſtis defendebant; & de quibus mox dicetur. Hæc autem ſunt verba Ambroſii, quibus Novatianos alloquitur. *Quid mirum ſi ſalutem negatis aliis, qui veſtram recuſatis? Licet illi nihil deferant, quia vobis pænitentiam petunt. Arbitror enim, quod etiam Judas potuiſſet tanta Dei miſeratione excludi a venia, ſi pænitentiam non apud Judæos, ſed apud Chriſtum egiſſet. Peccavi, inquit, quod tradiderim ſanguinem juſtum. Reſponderunt? Quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia veſtra eſt, cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur. Quid reſpondetis aliud, niſi hoc? Quid ad nos? Tu videris. Hunc ſermonem laqueus ſequitur. Eo feralior eſt pæna, quo culpa eſt minor.*

Secundo, ab eodem Coccio ponuntur *Novatiani*, de quibus dicit, quod. ,,
,, oris confeſſionem, & Sacerdotis ſa-
,, cramentalem abſolutionem penitus
,, ſuſtulerunt; velut ſolus Deus pote-
,, ſtatem remittendi peccata ſibi perpe-
,, tuo retinuiſſet, nec illam a Miniſtris
,, Chriſti ad ædificationem Eccleſiæ un-
,, quam voluiſſet diſpenſari ,,. Et teſtes adhibet Cyprianum lib.4. epiſt. 2. Lactantium, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Pacianum, & alios; & eundem pariter ſequitur Bellarminus, ut dictum eſt. Verum Jueninus idem ac de Montaniſtis judicium profert, dicens citato loco. ,,.
,, Propterea & Montaniſtæ, & Nova-
,, tiani lapſis in peccata, quæ apud eos
,, irremiſſibilia dicebantur, Epiſcopi
,, pænitentiam imponebant, licet ea pe-
,, racta nunquam impenderent abſolu-
,, tionem. Apud eos nimirum hujuſmo-
,, di lapſi intra templum quidem, ſed
,, pro foribus ſtabant, poſtulantes cum
,, lacrymis, non admiſſionem ad myſte-
,, ria, cum ſcirent eis ſe perpetuo in-
,, terdictos, ſed unam Dei miſericor-
,, diam, (ut hiſce Tertulliani verbis
,, lib. *de Pudicitia*. cap. 3. docemur).
,, *Adſiſtit enim pro foribus ejus (Eccleſiæ)*
,, *& de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet,*

„ *net, & lacrymat Fratrum ſibi quoque*
„ *advocat, & reddit plus negotiata, com-*
„ *paſſionem ſcilicet, quam communicatio-*
„ *nem. Et ſi pacem hic non metit, apud*
„ *Dominum ſeminat: nec admittit, ſed*
„ *præparat fructum*. Neceſſe igitur erat,
„ ut lapſi prius confiterentur peccata
„ irremiſſibilia: neque enim Eccleſia
„ caſtigat crimen, quod eam latue-
„ rat.„.

Tertio, ponuntur ab eodem Coccio
Audiani, qui (ut ipſe dicit) „ pecca-
„ torum quidem Confeſſionem facere
„ jubebant, & abſolutionem largieban-
„ tur, ſed nullam injungebant Pœni-
„ tentibus mulctam. Ideo Pœnitentes,
„ quia per jocum & ludum confeſſio-
„ nem a ſe exigi intelligebant, gravia
„ peccata cœlabant, & ſolum pauca
„ quædam ac levia fatebantur.„. Te-
ſtem adhibet Theodoretum lib. 4. *hæ-
reticar. fabular.* & ejuſdem judicii eſt
Bellarminus, qui tomo 3. *Controver-
ſiar.* lib. 3. *de Pœnitent.* cap. 1. hæc ſcri-
bit. *Fuit alia hæreſis Audianorum tem-
poribus Valentiniani ſenioris, quæ (ut ex
Theodoreto lib. 4. de fabulis Hæretico-
rum intelligi poteſt) Confeſſionem qui-
dem peccatorum jubebat, & abſolutio-
nem largiebatur, ſed nullam injungebat
Pœnitentibus mulctam, & ideo Pœni-
tentes, quia per jocum, ac ludum con-
feſsionem a ſe exigi intelligebant, gravia
peccata cœlabant, & ſolum pauca quæ-
dam ac levia fatebantur, plane ad eum
modum, quo nunc Lutherani confiteri
peccata coram ſuis Miniſtris ſolent*. Et
de his pariter citato loco ſcribit Jue-
ninus.„. Nonnulli Scriptores inter
Confeſſionis hoſtes numerant Audia-
no, qui tempore Valentiniani ſenioris
vexarant Eccleſiam; ſed immerito.
Quanvis enim nullam ſatisfactionem
lapſis imponerent, excipiebant tamen
factam ab eis peccatorum confeſſio-
nem: *hi autem* (inquit Theodoretus
de iis agens lib. 4. hæreticarum fabu-
larum cap. 10.) *peccatorum remiſſio-
nem dare ſe jactant.. Duas enim in par-
tes libros ſacros cum adulterinis divi-
dentes, (hos enim eximie arcanos &
myſticos exſtimant) & ordine hinc inde
collocantes, inter hos jubent tranſire
unumquemque, & peccata ſua confiteri;
deinde confeſsis dant veniam, non tem-
pus ad pœnitentiam definientes, ſicut
Eccleſiæ leges præcipiunt, ſed poteſtate
condonantes*.

Quarto, ſcribuntur ab eodem Coccio
Maſſaliani, qui *peccata dimittebant,
nulla habita ratione Pœnitentiæ, &
Canonum Eccleſiæ*; producens teſtem
Damaſcenum de Hæreſibus. Et Bel-
larminus pariter de iiſdem ſcribit.
*Maſſaliani quoque iiſdem temporibus
exorti (Damaſceno teſte in libro de cen-
tum hæreſibus) peccata dimittebant,
nulla habita ratione Pœnitentiæ & Ca-
nonum Eccleſiæ*.

Quinto, *Jacobitæ*, de quibus Coccius
ſcribit.„. Dicunt non eſſe neceſſa-
„ rium confiteri Sacerdoti, ſed ſuffice-
„ re ſoli Deo peccata ſua confiteri.
„ Unde juxta ſe ponunt ignem, & in-
„ cenſum, quando faciunt confeſſio-
„ nem Deo: in ſignum, quod Deus in
„ tali confeſſione conſumit peccata eo-
„ rum. Guido de Jacobitis cap. 2. Mi-
„ chael Cuchingverus in Eccleſiaſtica
„ hiſtoria, Mattheus Pariſius in Hen-
„ rico tertio, Jacobus Vitriacus hiſto-
„ riæ orientalis cap. 76.„. De his nihil
aſſerit Bellarminus.

Sexto, ponuntur *Armenii*, qui, eodem
Coccio referente, dicunt, *quædam
peccata a nullo Sacerdote remitti poſſe:
generalem Confeſsionem abſque ſpeciali
ſufficere ad remiſsionem omnium pecca-
torum, nec oportere ſpecialiter confiteri*.
Citatur Guido *de Armeniis*. De his
pariter ſilet Bellarminus.

Septimo, novi *Manichæi* dicunt, *Con-
feſsionem peccatorum, quæ ſit Sacerdoti-
bus Romanæ Eccleſiæ, nihil valere pe-
nitus ad ſalutem, nec Papam, nec ali-
quem alium de romana Eccleſia habere
poteſtatem abſolvendi aliquem a pecca-
tis*. Teſtatur Nicolaus Eymericus
parte 1. q. 13.

Octavo, *Albigenſes* aſſerebant *peccata
non eſſe confitenda*; Coccius producit
teſtem S. Antoninum par. 4. tit. 11. cap.
7. §. 5.

Nono, *Flagellantes* aſſerebant, *iutile
eſſe confiteri Sacerdoti mortalia crimi-
na*. Idem Coccius teſtem producit
Bernardum Lutzenburgum. De iiſ-
dem Flagellantibus aſſerit Tourne-
ly.„. Flagellantes negabant Confeſ-
„ ſionem ſibi eſſe neceſſariam, quam
„ ſanguine per flagella excuſſo abunde
„ ſuppleri arbitrabantur. Ita refert Ger-
„ ſonius tomo 1. par. 1. pag. 36.„ Idem
Scriptor inter hos ponit illos, de qui-
bus loquitur Concilium Cabilonenſe
II. anno 813. Can. 33. & Magiſter ſen-
ten-

Digitized by Google

tentiarum in 4. diſt. 17. ubi ait, *quidam dicunt, Deo ſolummodo confiteri debere peccota.*

Decimo *Joannes, Wicleſus* art. 7. dicebat, *ſi homo debite fuerit contritus, confeſſio exterior eſt ſuperflua & inutilis*; teſtatur Coccius, loco citato; & Bellarminus etiam de eodem ſcribit. *Poſtmodum Joannes Wicleſus* (*teſte Thom. Waldenſi tom.* 2. *de Sacram. cap.* 135.) *Confeſſionem ſacramentalem aperte oppugnare cæpit, aſſerens, eam neque in Scripturis fundari, & ex ſola inſtitutione papali introductam eſſe*. Inſuper Fraſſen dicit, quod in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. fuit damnatus hic ſeptimus Wiclefi articulus; & ſeſſ. 5. damnatur liber ejuſdem Wichefi, & Joannis Hus, ubi legitur: *grave eſt & formidabile, Prečbyterum audire Confeſſionem Populi modo, quo Latini utuntur*. Idem aſſerit de Wicheſo Tournely, qui art. 2. ſcribit.,,. Inter articulos Wichefi pro-
„ ſcriptos a Concilio Conſtantienſi
,, an. 1415. ſeſſ. 8. hic numero ſeptimus
„ legitur. *Si homo debite fuerit contri-*
„ *tus, omnis confeſſio exterior eſt ſuper-*
„ *flua & inutilis*.,,.

Undecimo, ponit Coccius *Waldenſes*, ſeu potius *Piccardos*, qui dicebant, *Confeſſionem auricularem nugacem eſſe, & ſufficere ſua quenque Deo in cubiculo confiteri peccota*; & teſtem profert Æneam Sylvium hiſtoriæ Bohemicæ cap. 39., Ioannem Schechta epiſt. ad Eraſmum. Jueninus vero de his hoc profert judicium.„. Aliqui ex Hæ-
„ reticis recentioribus, ut ſuum erro-
„ rem nonnulla antiquitate commen-
„ dent, Waldenſes laudant inter eos, a
„ quibus Confeſſionis uſus alias ablega-
„ tus fuerit. Sed incaſſum id tentant,
„ quippe quod ex authoribus, qui Wal-
„ denſium, ſeu Pauperum de Lugduno,
„ errorum catalogum texuerunt, aper-
„ te conſtet, confeſſionis uſum apud
„ eos obtinuiſſe.„. Deinde profert teſtimonium Reinerii in libro, quem ſcripſit contra Waldenſes anno 1250, ubi enumerans ipſorum errores nullam hujus, de quo loquimur, mentionem feciſſe, ait; Ft hæc ſunt verba Reinerii cap. 5.„. De Sacramento Pæ-
„ nitentiæ dicunt, quod nullus poſſit
„ abſolvi a malo Sacerdote. Item, quod
„ bonus Laicus pcteſtatem habeat ab-
„ ſolvendi. Item, quod ipſi per ma-
,, nuum impoſitionem peccata dimit-
„ tant, & `dent Spiritum Sanctum.
„ Item, quod confitendum ſit potius bo-
„ no laico, quam malo Sacerdoti.
„ Item, quod non gravis Pænitentia ſit
„ imponenda, exemplo Chriſti: vade,
„ & jam amplius noli peccare. Item
„ publicas pænitentias, ut carenas re-
„ probant, maxime in fæminis. Item,
„ quod generalis confeſſio non ſit ſin-
„ gulis annis facienda.„. Aliis etiam teſtimoniis Jueninus hoc ſuum de Waldenſibus judicium probare contendit, quæ apud ipſum videnda relinquimus.

Duodecimo, ponitur *Petrus de Oſma*, ſeu *Oxonienſis*, Doctor Salmaticenſis, qui docuit, ut aſſerit Tournely, *Confeſſionem peccatorum in ſpecie ex Eccleſiæ univerſalis ſtatuto, non divino jure, compertam eſſe, & peccata mortalia, quoad culpam & pænam alterius ſeculi, abſque confeſſione, ſola cordis contritione, pravas vero cogitationes, ſola diſplicentia, deleri*: vel, ut dicit Coccius. „ peccatorum confeſſionem in
„ ſpecie affirmabat non eſſe de jure di-
,, vino, ſed ex aliquo ſtatuto univerſa-
„ lis Eccleſiæ „. *Summa Conciliorum in Decretis Sixti IV.* vel ut Bellarminus ſcribit: *extitit etiam, ante annos circiter centum, quidam Petrus Oxonienſis, qui Confeſſionem peccatorum in ſpecie affirmabat non eſſe de jure divino, ſed ex aliquo ſtatuto univerſalis Eccleſiæ: de quo vide ſummam Conciliorum in Decretis Sixti, Papæ IV.* Et revera anno 1478, Sixtus IV. errorem ejus damnavit; & Nos pariter in Eccleſiaſticis diſſertationibus noſtris tomo 1. diſſert. 4. §. 1. memoriam fecimus.

Decimo tertio, ponitur Eraſmus Roterodamus, qui (referente Coccio) in epiſtola Hieronymi ad Oceanum, item ad caput. 19. Actorum Apoſtolicorum, Et in Methodo Theologiæ docuit, *Confeſſionem ſecretam ſingulorum peccatorum non modo non eſſe jure divino inſtitutam, aut imperatam, ſed neque in uſu antiquæ Eccleſiæ fuiſſe*. Inſuper Bellarminus hæc ſcribit. *Noſtro ſeculo in eodem errore verſati ſunt Eraſmus Roterodamus, & B. Rhenanus. Ille in annot. ad epiſt. S. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, & in notat. cap*: 19. *Actor, & in methodo Theologiæ; Hic in annotat. ad librum Tertul-*

lia-

liani de Pænitent.Uterque enim docet, Confeſſionem ſecretam ſingulorum peccatorum non modo non eſſe jure divino inſtitutam,out imperatam,ſed neque in uſu antiquæ Eccleſiæ fuiſſe.

Decimo quarto. Lutherus apud Coccium *in aſſertionibus* art. 9. ait. *Dum volumus omnia peccata pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum*. Et contra Latomum. *Nego, in totum confeſſionem eſſe exigendam*. In Poſtillam ad Dominicam Reminiſcere *Nolo confiteri, ob id ſolum, quia Papa præcipit, & fieri vult. Qui habet fortem & firmam fidem, quod dimiſſa ſunt ſibi peccata ſua, is poteſt confeſſionem hanc omittere, & ſibi ſoli confiteri*. Alii aliter de Luthero ſentiunt ac ſcribunt; & quidem Fraſſen ait tomo 4. tract. 1. diſp. 2. ſect. 2. ait, ,, Idem Lutherus lib: de captivit.
,, babyl. hæc habet.. *Confeſsio, & ſa-*
,, *tisfactio egregia facta ſunt officina lucri*.
,, Et infra: *occulta confeſsio, quæ modo*
,, *celebratur, & ſi probari ex Scriptura*
,, *non poſsit, miro tamen modo placet, &*
,, *utilis, imo neceſſaria eſt, nec vellem*
,, *eam non eſſe, imo gaudeo eam eſſe in*
,, *Eccleſia Chriſti, cum ſit ipſa afflictis*
,, *conſcientiis unicum remedium. Hoc ſo-*
,, *lum deteſtor, eam Confeſsionem eſſe in*
,, *tyrannidem, & expoſitionem Pontifi-*
,, *cum redactam*. In aſſertione octavæ
,, Propoſitionis, inquit. *Dic mihi, ubi*
,, *præceptum eſt de venialibus confitendis*
,, *Sacerdoti, quo jure, qua ſcripturæ aut-*
,, *horitate* Papa *præcipere poteſt venialia*
,, *ad Confeſsionem pertinere?.... Impoſ-*
,, *ſibile eſſe ut omnia peccata mortalia co-*
,, *gnoſcas, evidentiſsimum eſt*. In aſſer-
,, tione nonæ Propoſitionis. *Ita eſt*
,, *cruentiſsima, qua hactenus tot miſeras*
,, *conſcientias torſerunt, omnium & ſin-*
,, *golorum peccatorum diſcuſsionibus, cum*
,, *pro ſe non habeant, nec tota quidem il-*
,, *lius Scripturæ tyramnide propria, hæc*
,, *onera importabilia hominibus imponen-*
,, *tes*. Confeſſio Auguſtana docet, ab-
,, ſolutionem privatam in Eccleſiis re-
,, tinendam eſſe, quanquam in Confeſ-
,, ſione non ſit neceſſario delictorum
,, facienda enumeratio; eſt enim, ut
,, illi placet, impoſſibilis enumeratio
,, omnium delictorum, juxta illud: de-
,, licta quis intelligit? ,,. Jueninus citato loco hæc de Luthero, & de Lutheranis ſcribit. ,,. Apud Illuſtriſſimum
,, Epiſcopum Meldenſem *Variationum*
,, lib.3.Lutherani Confeſſionis auricula-
,, ris praxim admittunt. In illius facti
,, confirmatione duo argumenta a do-
,, ctiſſimo Præſule proferuntur. I. Lau-
,, datur Apologia Confeſſionis Augu-
,, ſtanæ, inqua aſſeritur privatim a pec-
,, catis abſolutionem in confeſſionis uſu
,, retineri debere. 2. Laudatur editus a
,, Luthero brevis Catechiſmus, quo
,, definitur, teneri unumquemque pec-
,, cata etiam occulta confiteri, non co-
,, ram illius miniſtro, qui iis auditis,
,, pænitenti abſolutionem his ut verbis
,, impertiatur: *ego ex Chriſti mandato re-*
,, *mitto tibi peccata tua in nomine Patris,*
,, *& Filii & Spiritus Sancti*. Sed, in-
,, quies, ſi quæ ſcribit mox laudatus
,, Epiſcopus veritate nitantur, in quo
,, circa confeſſionem Lutherus erravit?
,, Reſpondent Catholici omnes, erraſſe
,, Lutherum I.quod crediderit peccato-
,, rum confeſſionem non eſſe neceſſita-
,, te medii neceſſariã,ut impius juſtitiam
,, conſequatur; contendit nempe, eum
,, juſtificari per actum fidei, miſericor-
,, diæ ſpecialis; unde inter illius arti-
,, culos damnatos a Leone Papa X. ſic
,, habet undecimus: *Nullo modo confi-*
,, *das abſolvi propter tuam contritionem,*
,, *ſed propter verbum Chriſti: quodcun-*
,, *que ſolveris &c. Hac (inquam) confi-*
,, *de, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutio-*
,, *nem, & crede fortiter te abſolutum,*
,, *& abſolutus vere eris, quicquid ſit de*
,, *Contritione*. Erravit 2. quod cenſue-
,, rit, neminem debere confiteri pec-
,, cata venialia; *nullo modo præſumas*,
,, (verba ſunt articuli VIII. inter eos,
,, quos Leo X. proſcripſit.) *confiteri*
,, *peccata venialia*. Bellarminus aſſerit,
,, Lutherum erraſſe 3., quod docuerit,
,, neceſſariam non eſſe omnium, ac ſin-
,, gulorum peccatorum mortalium
,, enumerationem; id vero probat, tum
,, ex articulo. 8. ubi poſt errorem de
,, peccatis venialibus, hunc alium de
,, mortalibus ſubjungit; *ſed nec omnia*
,, *mortalia*. Verum, reponit Illuſtriſſi-
,, mus Epiſcopus Meldenſis, Lutherus
,, eo loci non loquitur de peccatis mor-
,, talibus, quorum impius ſibi conſcius
,, eſt, ſed de iis tantum, quæ illius co-
,, gnitionem poſt examen diligens fugi-
,, tent; unde hæc ſubdit in eodem ar-
,, ticulo: *quia impoſſibile eſt, ut omnia*
,, *mortalia cognoſcat; unde in primitiva*
,, *Eccleſia, ſolum manifeſta, hoc eſt pa-*

ni-

,, *nitenti cognita, mortalia confitebantur;*
,, Confirmatur ea reſponſio ex eo, quod
,, Lutherus in brevi catechiſmo, de
,, quo mox dictum eſt, aſſerat, pæni-
,, tentiam ea peccata mortalia debere
,, confiteri, quæ ſibi in corde nota ſunt.
,, At, urget Bellarminus, ſi ita eſt, cur
,, Lutherus uſurpatam a Catholicis
,, Confeſſionis praxim, animarum car-
,, nificinam appellavit? Reſpondeo,
,, Lutherum ut in hoc Eccleſiam Ca-
,, tholicam poſſet calumniari, impoſuiſſe
,, illi, quod exigeret Confeſſionem eo-
,, rū etiam peccatorum mortalium, quæ
,, menti poſt examen diligens non oc-
,, currunt; unde Concilium Trident.
,, ſeſſ. 14. cap. 5. eam calumniam depel-
,, lit. Quod de Luthero circa Confeſ-
,, ſionem dictum eſt, admiſſum non
,, fuit ab omnibus Eccleſiiis, quæ illius
,, reformationem amplexæ ſunt. Joan-
,, ni Brentio in Confeſſione Wittem-
,, bergenſi art. 11: de Confeſſione, vi-
,, ſum non eſt, requiri ſpecialem ſpe-
,, ctatorum Confeſſionem; contendit
,, nempe ſatis eſſe generalem ſeu, quæ
,, fiat abſque ſpeciali peccatorum oc-
,, cultorum enumeratione. Martinus
,, Kemnitius in 2. parte exam cap. 5.
,, *de Pænit.* idem dogma his verbis &
,, explicat, & probat. *Privatæ Confeſ-*
,, *ſionis uſus apud nos ſervatur, ut gene-*
,, *rali profeſſione peccati, & ſignificatione*
,, *pænitentiæ petatur abſolutio. Cumque*
,, *non ſine judicio uſurpanda ſit clavis, vel*
,, *ſolvens, vel ligans, in privato illo col-*
,, *loquio Paſtores explorant Auditorum ju-*
,, *dicia, an recte intelligant doctrinam de*
,, *peccatoribus exterioribus, & interio-*
,, *ribus, de gradibus peccatorum, de ſti-*
,, *pendio peccati, de fide in Chriſtum:*
,, *deducuntur, ad conſiderationem pecca-*
,, *torum: explorantur, an ſerio doleant de*
,, *peccatis, an iram Dei timeant, & cu-*
,, *piant illam effugere; an habeant propo-*
,, *ſitum emendationis? interrogantur etiam,*
,, *ſi in certis quibuſdam peccatis hærere*
,, *exiſtimentur, traditur illis doctrina &*
,, *exhortatio de emendatione: quæritur*
,, *vel conſilium, vel conſolatio in grava-*
,, *minibus Conſcientiæ, & tali Confeſſio-*
,, *ni impertitur abſolutio*. Ex quibus ver-
,, bis patet, Kemnitio ſatis eſſe genera-
,, lem confeſſionem & inſtructionem
,, Pænitentis. ,,. Bellarminus loco ci-
tato de eodem Luthero pariter ſic
ſcribit. ,,. Martinus Lutherus *in lib:*
,, *de captivit. babylon.* cap. *de Pænitent.*

,, ſcribit quidem, Confeſſionem ſecre-
,, tam, quæ modo celebratur, ſibi val-
,, de placere, & eſſe utilem, vel potius
,, neceſſariam; tamen addit tres erro-
,, res: primo, non poſſe eam probari
,, ex Scripturis; ſecundo, non eſſe ne-
,, ceſſarium confiteri omnia Sacerdoti-
,, bus. Si quis enim correptus a Fratre,
,, quem forte læſit, agnoſcat coram il-
,, lo peccatum ſuum, & veniam petat,
,, docet Lutherus, eum non teneri pec-
,, catum illud Sacerdotibus aperire:
,, tertio, damnat omnino eos, qui do-
,, cent, circumſtantias peccatorum in
,, Confeſſione eſſe detegendas: *ego*, in-
,, quit, *quicquid eſt circumſtantiarum*
,, *conſulerem penitus contemnere*. Item
,, *in ſerm. de Pænit.* docet, *non eſſe con-*
,, *fitenda venialia, nec omnia mortalia,*
,, *ſed ea tantum, quæ ſunt manifeſte mor-*
,, *talia*. Ex quo loco deprompti ſunt
,, articuli, quos Leo X. damnavit; nam
,, art. 8. negat, omnia peccata morta-
,, lia eſſe confitenda, & addit, in anti-
,, qua Eccleſia ſola peccata manifeſte
,, mortalia ad Confeſſionem adduci
,, conſueviſſe: & art. 9. ſcribit, *dum vo-*
,, *lumus pure omnia confiteri, nos nihil*
,, *aliud facere, niſi ut miſericordiæ Do-*
,, *mini nihil ignoſcendum relinquamus*:
,, & in aſſertione ejuſdem articuli, car-
,, nificinam cruentiſſimam appellat, *Si*
,, *quis a Pænitentibus omnium & ſingu-*
,, *lorum peccatorum confeſſionem exigat*.
,, Dubitari ſolet, quid per manifeſta
,, peccata, quæ ſola ad Confeſſionem
,, pertinere voluit Lutherus, intelle-
,, xerit; non enim defuerunt olim, qui
,, eum excuſare vellent. Aut igitur ma-
,, nifeſta peccata occultis oppoſuit, aut
,, dubiis, aut omnino incognitis, etiam
,, ipſi peccatori. De omnino incogni-
,, tis non poteſt eſſe loquutus; ea ſi qui-
,, dem ne Catholici quidem volunt eſſe
,, confitenda; neque carnificinam Lu-
,, therus appellaſſet ſententiam Catho-
,, licorum, ſi in eadem ſententia etiam
,, ipſe fuiſſet. De occultis non ſe etiam
,, loquutum teſtatur ipſe in aſſert. art. 8.
,, quare id ſolum reſtat, ut de dubiis in-
,, tellexerit; qui certe non parvus eſt
,, error. Idem *in ſerm. de Confeſſ. &*
,, *Eucbariſt.* edito anno 1519. dicit,
,, Confeſſionem, quæ fit coram Sacer-
,, dote, non eſſe præceptam a Deo, ſed
,, a Papa. Item in libro *de ratione confi-*
,, *tendi* cap. 6. valde dubitat, *an peccata*
,, *cordis ſint confitenda*. Item in libro

„ contra Latomum anno 1521. *Nego*,
„ inquit, *in totum Confeſſionem eſſe exi-*
„ *gendam*; & in ſermone de Euchariſtia
„ anno 1526. *neminem vult cogi ad Con-*
„ *feſsionem faciendam*. In viſitatione ſa-
„ xonica anno 1528. iterum repetit,
„ *Confeſsionem non eſſe præceptam, licet*
„ *ſit utilis*. Denique in articulis Smal-
„ chaldicis anno 1527. in articulo de
„ Confeſſione, dicit, *enumerationem*
„ *peccatorum debere eſſe liberam, ut*
„ *quiſque enumeret illa, quæ volue-*
„ *rit*.„.

Decimo quinto Calvinus lib.3. *Inſtitut.*
cap. 4. §. 19. apud eundem Coccium
hæc habet. *Nihil mirum, ſi auricula-*
rem iſtam Confeſsionem, rem adeo pe-
ſtilentem, totque nominibus Eccleſiæ
noxiam, damnamus, ac ſublatam ex Ec-
cleſia cupimus. Quod ſi per ſe res eſſet
indifferens, quando tamen nulli uſui eſt,
nec fructui, tot autem impietatibus ſa-
crilegiis, erroribus, cauſſam dedit, quis
non protinus abolendam cenſeat? Fraſ-
ſen hæc de Calvino ſcribit. „. Calvi-
„ nus lib. 3. *Inſtitut.* cap. 3. §.4. *de Con-*
„ *feſsione*, inquit, *Fuit ſemper ingens*
„ *pugna inter Canoniſtas & Theologos*
„ *Scholaſticos, his contendentibus manda-*
„ *ri divino præcepto Confeſsionem; illis re-*
„ *clamantibus, eccleſiaſticis tantum con-*
„ *ſtitutionibus præcipi; in eo vero certa-*
„ *mine inſignis Theologorum impudentia*
„ *apparuit, qui & locos Scripturæ depra-*
„ *varunt, & vi extorſerunt, quod in*
„ *rem ſuam citabant*. Addit §. 7. *Miror*
„ *autem, qua fronte auſi ſint contendere,*
„ *Confeſsionem, de qua loquuntur, juris*
„ *eſſe divini; cujus equidem vetuſtiſsimum*
„ *eſſe uſum fatemur; ſed quam facile evin-*
„ *cere poſsimus olim fuiſſe liberam, certe*
„ *nullam de ea ſtatutam fuiſſe legem, aut*
„ *conſtitutionem ante Innocentij tertij*
„ *tempora; eorum quoque annales nar-*
„ *rant*. Et §.17. *Hac carnificina pluſquam*
„ *crudeliter divexatæ ſunt eorum animæ,*
„ *qui aliquo Dei ſenſu afficiabantur*. Con-
„ feſſio Fidei Calviniſtarum art. 24. ha-
„ bet, Confeſſionem auricularem eſſe
„ inventum humanum, quo jugum im-
„ ponitur Conſcientiis. Conſentiunt
„ cæteri Calvini Sectatores. *Petrus*
„ *Martyr* in locis communibus, paragra-
„ phis 25.27.& 28., *Vuolphangus* autem
„ in locis communibus: papiſticam (*in-*
„ *quit*) confeſſionem, quam auricula-
„ rem vocant, aſſerimus nec eſſe juris
„ divini, nec fuiſſe in uſu eccleſiaſtico,
„ temporibus Apoſtolorum, & ſe-
„ quentium Patrum, nec facere ad re-
„ miſſionem peccatorum. *Antonius de*
„ *Dominis* lib. 5. reipub. Eccleſiaſt. cap.
„ 7. num. 43. multas Confeſſionis ſpe-
„ cies diſtinguit, docetque, aliquam eſſe,
„ per quam peccata ſubjiciuntur clavi-
„ bus Eccleſiæ, hanc eſſe homini libe-
„ ram, nec ulla lege divina, aut huma-
„ na juſtos ad ipſam adſtringi, cum re-
„ medium peccatum habeat in Pæni-
„ tentia interna, quæ ſola poteſt ſuffi-
„ cere ad remiſſionem a Deo obtinen-
„ dam. „. Jueninus hæc pariter de
Calvino ſcribit. „. Calvinus de Con-
„ feſſionis uſu docet 1. eum non eſſe ju-
„ ris divini: *miror* (inquit lib. Inſtit.
„ cap.4. §. 7.) *qua fronte auſi ſint conten-*
„ *dere, confeſsionem de qua loquuntur,*
„ *juris eſſe divini*. Docet 2. *antiquum*
„ *quidem fuiſſe, ſed liberum: cujus equi-*
„ *dem vetuſtiſsimum eſſe uſum fatemur*
„ (inquit ibidem) *ſed quam facile evin-*
„ *cere poſſumus olim fuiſſe liberum*. Do-
„ cet 3. expedire, ut Miniſter tum pro
„ ſe, tum pro populo, generalem edat
„ confeſſionem: conſulit quoque, ut
„ privata etiam ac ſpecialis conſulatur,
„ ubi quis maxime angitur peccatorum
„ ſuorum ſenſu. *Hinc ſequitur*, ait,
„ *ejuſmodi Confeſsionem liberam eſſe opor-*
„ *tere, ut non ab omnibus exigatur, ſed*
„ *iis tantum commendetur, qui ea ſe opus*
„ *habere intelligent. Deinde ne ii ipſi, qui*
„ *illa utuntur pro ſua neceſsitate, ad enu-*
„ *meranda omnia peccata vel præcepto ali-*
„ *quo cogantur, vel arte inducantur.*
„ *Sed quoad intereſſe ſua putabunt, ut*
„ *ſolidum Conſolationis fructum referant*.
„ Docet 4. Confeſſionem, ut editur in
„ Eccleſia Romana, tollendam eſſe e
„ medio, quod fidelibus magno ſit de-
„ trimento. *Nihil mirum* (inquit §.19.)
„ *Si auricularem illam Confeſsionem, rem*
„ *adeo peſtilentem, totque nominibus Ec-*
„ *cleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam*
„ *e medio cupimus*. Iis Calvini dogmatis
„ adhærent omnes Synagogæ, quæ ad
„ Calvini regulam reformatam paſſim
„ appellant. „. Denique Bellarminus
hæc de Calvino ſubdit. „. Joannes
„ Calvinus lib. 3. *Inſtitut.* cap. 4. §. 7.
„ *Mirior, qua fronte &c.* Deinde §. 11.
„ admittit Confeſſionem generalem,
„ quam Miniſter pro ſe & populo in
„ Eccleſia facit. Et §. 12. admittit etiam
„ Confeſſionem privatam coram Paſto-
„ re, quando quis ita angitur & afflicta-
tur

„ tur peccatorum ſenſu,ut ſe explicare „ niſi alieno adjutorio nequeat, ſed „ addit hanc moderationem: *hinc ſe-* „ *quitur ejuſmodi Confeſſionem liberam* „ *eſſe &c.* Denique §. 19. de Confeſ- „ ſione, qualis ſit apud Catholicos,ait: „ *nihil mirum &c.* ut ſupra jam ſcriptum „ eſt.„.

Venientes modo ad Secundam Diſſertationis partem, in qua afferre oportet Scriptores, qui pro Sacramentali Confeſſione quoquis ſeculo floruerunt, pro primo ſeculo P. Boucat ponit S. Clementem Papam, qui epiſtola ſecunda ad Cor. num.8.ſcribit: *Quondin ſumus in hoc Mundo,de malis,quæ in carne geſſimus, ex toto corde reſpiciamus, ut a Domino ſalvemur, dum habemus tempus pænitentiæ. Poſtquam enim e mundo exivimus, non amplius poſſumus ibi confiteri, aut pænitentiam adhuc agere.* Ponit inſuper S. Dionyſium Areopagitam, qui in epiſtola ad Demophilum Monachum ſcribit. *Tu autem ut litteræ tuæ declarant, enim etiam, qui ſe ad Sacerdotem ſumpſiſſet, & abjeciſſet ad ejus genua, impium, ut ais & peccatorem, haud ſcio, quomodo præſens ipſum calce detruſiſti. Deinde ille quidem rogabat, ſeque medicinæ peccatorum cauſa veniſſe fatebatur.Tu autē non modo exhorruiſti, verum etiam bonum Sacerdotem provectus audacia maledictis vexoſti.* Verum, quia Eruditi omnes norunt, quod præfatorum Auctorum libri genuini non ſunt,ideo ipſorū teſtimonio non hæremus,ſed potius pro hoc primo ſeculo ſacros libros novi teſtamenti, in quibus Sacramentalis Confeſſionis fit mentio, adhibemus, & ipſorum verba in ſubſequenti diſſertatione afferemus.

Pro Secundo ſeculo exhibemus Irenæum lib.1. adverſus hæreſes cap. 9. *Adhuc etiam, & amatoria, & allectantia efficit, ut corporibus ipſarum contumeliam irroget. Hic idem Marcus quibuſdam mulieribus, & ſi non univerſis, hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo velut Cupidine, & inflammatas valde illum ſe dilexiſſe.* Exhibemus pariter Tertul. lib. de Pænit. cap.9. *Tantum revelet confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exagerat; confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt: diſſimulatio contumaciæ. Hujus igitur Pænitentiæ ſecundæ,& unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia, ſed aliquo actu adminiſtretur. Item actus, qui magis græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio Confeſſione diſponitur, Confeſſione Pænitentia naſcitur, Pænitentia Deus mitigatur.*

Pro tertio ſeculo addimus S. Cyprianum Epiſt. 12. modo 17, & lib. de lapſis poſt medium. *Denique quanto fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter Confitentes, exomologeſim Conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt.* Et poſt plura ſubdit. *Minus plane peccaverit non videndo idola, nec ſub oculis circumſtantis, atque inſultantis populi, ſanctitatem fidei profanando, non polluenda manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit, ut ſit minor culpa, non ut innocens Conſcientia. Facilius poteſt ad veniam criminis pervenire, non eſt tamen immunis a crimine. Nec ceſſat in agenda pænitentia, atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Confiteantur ſinguli, quæſo, fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.* Addimus Origenē homil.2.in Leviticum.„.
„ Eſt adhuc ſeptima, licet dura, & laborioſa per Pænitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die, ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam,„. Et homil.3.in Levit,„ Si „ peccaverit unum aliquid de iſtis, pronuntiet peccatum, quod peccavit. „ Eſt aliquid in hoc mirabile ſecretum, „ quod jubet pronuntiare peccatum: „ Etenim omni genere pronuntianda „ ſunt, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus; ſi quid in occul-

„ to gerimus, ſi quid in ſermone ſolo,
„ vel etiam intra cogitationum ſecreta
„ commiſimus, cuncta neceſſe eſt pu-
„ blicari, cuncta proferri: Proferri
„ autem ab illo, qui & accuſator pec-
„ cati eſt, & incentor. Ipſe enim nunc
„ nos ut peccemus, inſtigat; ipſe etiam
„ cum peccaverimus, accuſat. Si ergo
„ in vita præveniamus eum, & ipſi no-
„ ſtri accuſatores ſimus, nequitiam
„ Diaboli inimici noſtri, & accuſatoris
„ effugimus. Sic enim alibi Propheta
„ dicit: *Dic tu iniquitates tuas prior, ut*
„ *juſtificeris.* Adduntur Lactantius lib.4.
divinarum inſtitutionum cap. 17. A-
thanaſius ſerm. ad illa Chriſti verba:
Invenietis pullum alligatum &c.

Pro quarto ſeculo adducimus Hilarium
Commment. in Matth. „. Ad terro-
„ rem autem metus maximi; quo veri-
„ tatis apoſtolicæ judicium præmiſit,
„ ut quos in terris ligaverint, ideſt pec-
„ catorum nodis innexos reliquerint,
„ & quos ſolverint, Confeſſione vide-
„ licet veniæ receperint in ſalutem, hi
„ apoſtolica conditione ſæntentiæ, in
„ Cælis quoque abſoluti ſint, aut ligati.
„ Et S. Ambroſium, qui lib.2.de Pænit.
„ cap.6. ait. Si vis juſtificari, fatere di-
„ lictum tuum: Solvit enim criminum
„ nexus verecunda confeſſio peccato-
„ rum. Rurſus c.10. An quiſquam ferat,
„ ut erubeſcas Deum rogare, qui non
„ erubeſcis rogare hominem? Et pu-
„ deat te Deum ſupplicare, quem non
„ lates, cum te non pudeat peccata tua
„ homini, quem lateas, confiteri? „.
Adduntur Baſilius in regulis breviori-
bus, ad interrogatum 229. Paulinus
in vita S. Ambroſii; Nyſſenus in Epi-
ſtola ad S. Latojum, Epiſcopum My-
tilenſem; Pacian. in paræneſi ad pæ-
nitentiam; Chriſoſtom. in hom. ad
Joan.

Pro quinto ſeculo producimus S. Inno-
centium primum, Romanum Ponti-
ficem, in epiſtola ad Decentium, Epi-
ſcopum Eugubinum, cap.7. ubi hæc ha-
bet: „. Cæterum de pondere æſtiman-
„ do delictorum, Sacerdotis eſt judi-
„ care, ut attendat ad Confeſſionem
„ Pænitentis, & ad fletus, atque la-
„ chrymas corrigentis, ac tum jubere
„ dimitti, cum viderit congruam ſatiſ-
„ ctionem. „. S. Leonem Magnum,
Summum Pontificem, epiſt. 136. ad
„ Epiſcopos Campaniæ. „. Cum reatus
„ Conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacer-
„ dotibus indicare confeſſione ſecreta,
„ ... Sufficit illa confeſſio, quæ pri-
„ mum Deo offertur, tum etiam Sa-
„ cerdoti. S. Hieron. in cap. 10 Eccle-
„ ſiaſt. Si erubeſcat ægrotus vulnus me-
„ dico confiteri, quod ignorat medici-
„ na non curat. „. Et comment in cap.
16. S. Matth. „. Legimus in Levitico
„ de leproſis, ubi jubentur, ut oſten-
„ dant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram
„ habuerint, tunc a Sacerdote immun-
„ di fiant: Non quo Sacerdotes lepro-
„ ſos faciant, & immundos, ſed quo
„ habeant notitiam leproſi, & poſſint
„ diſcernere qui mundus, quive im-
„ mundus ſit. Quomodo ergo ibi le-
„ proſum Sacerdos mundum, vel im-
„ mundum facit: Sic, & hic alligat, vel
„ ſolvit Epiſcopus, & Presbyter, non
„ eos, qui inſontes ſunt, vel noxii,
„ ſed pro officio ſuo, cum peccato-
„ rum audierit varietatem, ſcit qui li-
„ gandus ſit, quive ſolvendus. „. Et
S. Auguſtinum l. 50. Homiliarum ho-
mil. 18. Deus noſter, quia pius eſt,
& miſericors, vult, ut ea confiteamur
in hoc ſeculo, ne pro illis confun-
damur poſtmodum in futuro. Et ho-
mil. 27. c.3. „. Elevatus eſt Lazarus,
„ proceſſit de tumulo, & ligatus erat,
„ ſicut ſunt homines in confeſſione pec-
„ cati, agentes pænitentiam; jam pro-
„ ceſſerunt a morte; nam non confite-
„ rentur, niſi procederent. Ipſum confi-
„ teri ab occulto & tenebroſo, proce-
„ dere eſt: Sed quid Dominus Eccleſiæ
„ ſuæ? quæ ſolveritis in terra, ſoluta
„ erunt & in Cælo. „. Et hom. 41. „.
„ Non ſolum poſt Pænitentiam ab iſtis
„ vitiis ſe homo ſervare debet, ſed &
„ ante pænitentiam, dum ſanus eſt:
„ quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, ne-
„ ſcit ſi ipſam Pænitentiam accipere,
„ ac Deo, & Sacerdoti peccata ſua con-
„ fiteri poterit.

Pro Sexto ſeculo adduntur S. Gregorius
Magnus, Papa, homil. 26. „. Viden-
„ dum eſt, quæ culpa, aut quæ ſit pæ-
„ nitentia ſecuta poſt culpam; ut quos
„ omnipotens Deus, per compunctio-
„ nis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſen-
„ tentia abſolvat. Tunc enim vera eſt
„ abſolutio Præſidentis, cum æterni ar-
„ bitrium ſequitur Judicis. „. Et homil.
26. in c.20. „. Lazaro dicitur veni fo-
„ ras. Ac ſi aperte cuilibet mortuo in
„ culpa diceretur: Cur reatum tuum
„ intra conſcientiam abſcondis: Foras

jam

„ jam per Confeſſionem egredere, qui
„ apud te interius per negationem la-
„ tes. Veniat itaque foras mortuus,
„ ideſt culpam confiteatur Peccator:
„ venientem vero foras, ſolvant Diſ-
„ cipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei, pæ-
„ nam debeant amovere, quam me-
„ ruit, qui non erubuit confiteri, quod
„ fecit. „. Et homil. 40. Quia peccati
„ virus ſalubriter aperitur in Confeſſio-
„ ne, quod peſtifere latebat in men-
„ te, vulnera etenim cutis in ſuperfi-
„ ciem trahunt humorem putredinis,
„ & confitendo peccata, quid aliud
„ agimus, niſi malum, quod in nobis
„ latebat, aperimus? „. Subſcribit &
Ceſarius Arelatenſis homil. 14. tom.
8. „. Si vero peccata peccatis cœperit
„ addere, & animarum vulnera tegen-
„ do, vel defendendo, putreſcere, quæ
„ confitendo, & pænitentiam agendo
„ curare noluit, timendum, ne in illo
„ impleatur illud, quod Apoſtolus dixit:
„ An ignoras, quia benignitas Dei ad
„ pænitentiam te adducit? „.

Pro ſeculis ſubſequentibus proferuntur; hac eſt pro ſeptimo Beda comment. in cap. 5. epiſt. S. Jacobi: pro 8. Rabbanus lib. in Eccleſ. cap. 7. pro 9. S. Eligius, Epiſcopus Novionenſis, homil. 11. in illa Salomonis verba: *Qui abſcondita ſcelera ſua, non dirigetur*: Pro 10. Radulph. in bibliot. SS. PP. tom. 17. Pro 11. S. Petrus Damianus ſerm. 58. de S. Andrea; pro 12. Bernardus ſermone 17. in Cantic. Pro poſterioribus deinde ſeculis veniunt omnes Scholaſtici, quorum teſtimonia ſunt omnibus obvia.

Opponunt I. Confeſſio illa, da qua loquitur S. Irenæus, fuit ſpontanea confeſſio, non obligatoria, qualis eſt confeſſio ſacramentalis; Inſuper fuit occulti criminis declaratio extra Sacramentum facta; Denique fuit cuique fideli ultronee facta: ergo non fuit Confeſſio auricularis, quæ ſoli Sacerdoti fieri debet. II. Confeſſio, de qua loquitur Tertullianus, non eſt cōfeſſio, quæ fiat Sacerdoti, ſed quæ fiat ſoli Deo; Dicit enim Tertull. *Exomologeſis eſt, qua delictum Domino confitemur*; Et Confeſſio ſacramentalis fit homini, hoc eſt Sacerdoti: ergo Confeſsio, de qua loquitur Tertullianus, non eſt Cōfeſſio ſacramentalis. III. Confeſsio, de qua loquitur Tertullian., erat peccatorum, quæ erant publica, non vero peccatorum, quæ erant occulta; ergo non erat Confeſsio auricularis, de qua nos verba facimus. IV. Peccata, pro quibus Epiſcopi per S. Cyprianum pænas imponebant, erant peccata publica; ergo non erat opus, ut in eorum confeſsione detegerentur. V. Confeſsio, de qua loquitur Origenes, non eſt illa, quam nos defendimus: Origenes enim inducit hominem catholicum, ſic loquentem ante verba, quæ relata ſunt: *Sed fortaſſe dicent Auditores Eccleſiæ: Melius ſere agebatur cum antiquis, quam nobiſcum, ubi oblatis diverſo ritu ſacrificiis Peccantibus venia præſtolabatur. Apud nos* (de Chriſtianis loquitur) *uno tantum modo venia eſt peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiatis datur. Nulla poſt hæc peccanti miſericordia, nec venia ulla conceditur*. VI. Origenes non aſſerit, quod Confeſſio illa, de qua loquitur, continuerit cuncta, & ſingula peccata, quæ chriſtianus homo commiſiſſet: ergo non erat Confeſſio ſacramentalis. VII. Factum illud, quod narrat Euſebius, eſt dubiæ fidei, & a pleriſque Scriptoribus plane negatur. Inſuper Euſebius nomine Exomologeſis intelligit ſatisfactionem, qua lapſi olim damnabantur, & nunc etiam damnantur: ergo non intelligitur Confeſsio ſacramentalis. Denique Euſebius non narrat, quod Philippo injuncta fuerit omnium peccatorum Confeſsio, ſed tantummodo multorum: ergo non eſt intelligendus de Confeſsione ſacramentali, quæ modo in uſu eſt in Eccleſia Romana, & quæ eſſe debet omnium peccatorum. VIII. Baſilius agit de Confeſsione, quæ ſoli Deo fiat; atqui hæc non eſt Confeſsio ſacramentalis: ergo &c. Inſuper loquitur Baſilius de Confeſsione illorum tantummodo peccatorum, quæ manifeſta erant. ergo non erat Confeſsio auricularis: Denique loquitur Baſilius de Confeſſione ſpontanea: ergo non erat ex debito, qualis eſt Confeſsio ſacramentalis. IX. Hieronymus loquitur de Confeſsione ceremoniali, quæ coram Plebe fiebat, aut ſaltem apud hominem laicum, qui bonæ vitæ homo eſſet. X. Cæſarius loquitur de quibuſdem criminibus atrocioribus, ac manifeſtis, qualia erant idololatria, mæchia, & homicidium, non autem

de

de aliis peccatis mortalibus occultis, quæ minus gravia ſunt: ergo Mens ejus fuit, quod illa, non autem hæc fuerint ætate ſua Confeſsione ſubjecta.

Reſpondemus ad I. quod confeſſio illa mulierum fuit religioſa, quia ab Irenæo adſcribitur earundem converſioni, Ait enim: *Converſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ ſunt*; Ergo non fuit confeſſio ſpontanea, ſed ſacramentalis. Inſuper Irenæus deſcribens confeſſionem uxoris cujuſdam Diaconi, dicit: *Ut et Diaconus quidam eorum, qui ſunt in Aſia, ſuſcipiens eum in domum ſuam inciderit in hujuſmodi calamitatem. Nam cum eſſet uxor ejus ſpecioſa, & ſententia, & corpore corrupta eſſet a Mago iſto, & ſecuta eum eſſet multo tempore, poſt deinde cum magno labore fratres eam convertiſſent, omne tempus exomologeſi conſummavit, plangens, & lamentans ob hanc, quam paſſa eſt ab hoc Mago, corruptelam.* Nec obſtat, quod confeſſio illa facta fuerit non ſolum coram Sacerdote, ſed etiam coram toto populo fideli: Quia, ut ait Juveninus, per quatuor priora ſecula, & amplius, quando Pænitens occulta peccata ſecreto Sacerdoti aperiebat, ſæpius jubebatur ea publicis in Synaxibus palam confiteri: Unde fit, quod publica illa confeſſio mulierum, quas Marcus corruperat, fuit pænitentia, quam Sacerdos illis privatim injunxerat.

Ad II. dicitur, quod in confeſſione illa Tertullianus narrat fuiſſe pudorem, & verecundiam; Qui quidem locum habere non potuiſſent, ſi fuiſſet confeſſio facta Deo, & non hominibus. Ait namque Tertullian. cit. loco: *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumunt, pudoris magis memores, quam ſalutis.* Et ſubdit: *Velut illi, qui in portibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam merentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.*

Ad III. dicitur, quod Tertull. loquitur de confeſſione illorum peccatorum, de quibus Pænitens erubeſcentiam habebat; erubeſcentiam autem quis non habet de peccatis, quæ ſunt publica, ſed de peccatis, quæ ſunt ſecreta; Ergo non loquebatur Tertull. de confeſſione peccatorum publicorum, ſed ſecretorum. Inſuper Tertull. aſſert ſimilitudinem illorum hominum, qui in ſecretioribus corporis partibus vulnera habent, & illa peritis Medicis oſtendunt, ut ab iiſdem ſanentur: Ergo loquitur de confeſſione peccatorum ſecretorum, aliter paritas non valeret. Denique idem Tertull. in lib. de pæniten. peccata non diſtinguit, ſed de peccatis omnibus aſſerit incumbere peccatori onus eadem confitendi. Et hæc ſunt ejus verba. *Cui præminiſtrans pænitentiam deſtinabat purgandis mentibus propoſitam, uti quidquid error vetus inquinaſſet, quidquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pænitentia vertens, & radens, & foris abijciens, mundans pectoris domum ſuperventuro Spiritui Sancto paret, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat.* Et cap. 4. *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pænam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pænitentiam ſpopondit, dicens ad populum: Pænitere, & ſalvum faciam te.*

Ad IV. dicitur, quod Cyprianus loquebatur de homicidio, & mæchia, eorumque ſpeciebus, quæ erant peccata occulta, & non publica, alias a Judicibus ſecularibus Rei pænas deportaſſent. Ulterius idem Cyprianus ſatis ſe explicat, dicens: *Derideri, & circumveniri Deus non poteſt, nec aſtutia aliquo fallente deludi. Plus immo delinquit, qui ſecundum hominem Deum cogitans, evadere ſe pænam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in præceptis ſuis dicit, qui confeſſus me fuerit, confundet cum filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur?*

Ad V. Origenes in præfatis verbis non loquitur in propria ſententia, ſed in ſententia Montaniſtarum, quorum error ejus tempore nondum evanuerat, ſed aduc in aliquibus perſeverabat. Et tantum abeſt, quod ipſe illorum ſenſu loqueretur, ut potius illorum inſaniam apertis verbis impugnaret; ut in progreſſu ſermonis videre eſt.

Ad VI. Licet confeſſio, quæ erat publica, non eſſet de ſingulis peccatis, confeſſio tamen, quæ erat ſecreta, de omnibus, & ſingulis erat. Origenes intelligendus eſt de prima, non de ſecunda.

Ad VII. Euſebius confeſſionem a ſatiſ-

facto-

factoriis pænis aperte diſtinguit per hæc verba : *Non prius illi aditum permiſiſſe, quam confeſſionem feciſſet iis, qui humanitus lapſi fuerant, & in pænitentium ordine ſtabant, ſe ſe adjunxiſſet.* Addimus quod loquitur de peccatorum confeſſione, quæ Philippus commiſerat : igitur loquitur de peccatis omnibus Philippi : Quod ſatis eſt ad firmandum noſtrum intentum.

Ad VIII. Baſilius non loquitur de confeſſione, quæ ſoli Deo fiat, quia expreſſe aſſerit fieri debere iis, quibus in terris conceſſa eſt ligandi atque ſolvendi poteſtas. Nec loquitur de confeſſione peccatorum, quæ manifeſta erant, quia prohibet, ne ſit Antitiſta, cum Monialis confitetur. Denique nec dici poteſt confeſſionem, de qua loquitur Baſilius, fuiſſe ſpontaneam, & non ex debito, quia Baſilius manifeſte dicit, confeſſionem illam neceſſario fieri debuiſſe.

Ad IX. Hieronymus in præfato loco nunquam meminit plebis, ſed loquitur expreſſe de Eccleſiæ Magiſtro; Dicit enim : *Nec vulnus ſuum fratri, & Magiſtro voluerit confiteri.* Nomine Magiſtri, quod intelligat Sacerdotem, eruitur ex ejuſdem Hieronymi epiſtola ad Nepotianum. Cæterum idem Hieron. exponens verba illa Evangelii : *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum*: hæc ſcribit lib.3.comm.in cap.16. Matt. : *Iſtum locum Epiſcopi, & Preſbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur* : Cum *apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de lepreſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus; Et ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant : Non quo Sacerdotes leproſos faciant, & immundos; Sed quo habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ergo ibi leproſum Sacerdos mundum, vel immundum facit : ſic & hic alligat, vel ſolvit Epiſcopus, & Presbyter, non eos, qui inſontes ſunt, vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus sit, vel ſolvendus.*

Ad X. dicitur, quod ex Cæſarii textu ſatis intelligitur nomine Criminum Capitalium intelligi quælibet mortalia crimina, per quæ Dei templum violatur. Dicit enim Sanctus Scriptor : *Et si forte aliquis ex vobis capitalibus criminibus involutus ſecundum quod ait Apoſtolus: Si quis templum Dei in ſe violando deſtruxerit.*

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCLXXV.

De Confeſſione Sacramentali. An ſit neceſſaria in Eccleſia? Qua neceſſitate? Et an variæ Scholaſticorum opiniones ejusdem neceſſitati adverſentur?

DICIMUS I. Neceſſitatem ſacramentalis confeſſionis conſtare ex Divinis Scripturis, ex Patribus, & ab Exemplis.

I. Concluſionis pars probatur. Matth. 18. Chriſtus promiſit Apoſtolis poteſtatem ſolvendi homines a peccatis, dicens: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in* Cælo; *& quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta & in* Cælo. Deinde Joannis 20. hanc eandem poteſtatem iisdem Apoſtolis de facto tradidit, dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata; remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta ſunt;* Atqui nequit ſtare hæc poteſtas, ſi non admittatur neceſſitas confeſſionis Sacramentalis: ergo ex quo capite habetur ex Scripturis poteſtas a Chriſto tradita abſolvendi homines a peccatis, ex eodem habetur, neceſſitas confeſſionis ſacramentalis. Efficaciam hujus argumentationis enervare contendit Calvinus, negans Sacerdotibus fuiſſe a Chriſto traditam hanc poteſtatem; ſed ejus error fuse proprio loco fuit impugnatus.

II. Concluſionis pars I. probatur ex Patribus, qui inſuper probant, quanta ſit vis probationis a nobis factæ ex Scripturis. Hilarius Can. 18. in Matt. ſcribit: *Ad terrorem metus maximi &c.* Quæ verba in præterita diſſertatione retulimus. Et Hieronymus ſcribit in Matt. 16. *legimus in Levit. de Leproſis* &c. Et Auguſtinus lib. homiliarum 50. homil. 49. cap. 3. ait: *Si præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago; ergo sine cauſa dictum eſt: Quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cælo: ſine cauſa ſunt claves datæ Ecclesiæ Dei, fruſtramus Evangelium; fruſtramus verba Chriſti, promittimus vobis, quod ipſe negat, nonne vos decipimus? &c.* Et tract. 49. in Joan. ait: *Quomodo proceſſit ligatis pedibus, miraris; Et non miraris, quia ſurrexit quatriduanus: in utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Proceſſit, & adhuc ligatus eſt, adhuc involutus; tamen jam foras proceſſit; quid significat? quando contemnis, mortuus jaces: quando confiteris, procedis: quid enim eſt procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifeſtari? ſed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, ideſt, magna gratia vocando; ideo cum proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus, confitens, & adhuc reus, ut abſolverentur peccata ejus; Miniſtris hoc dixit Dominus:* Solvite illum, *& ſinite abire; quid eſt ſolvite, & ſinite eum abire, quam quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta, & in* Cælo?

II. Probatur. Patres docent, aperienda eſſe Sacerdotibus occulta peccata: Unde pariter docent, ſacramentalis confeſsionis neceſsitatem. Et quidem Origenes Pſal. 37. *Non celanda intrinſecus, ſi quid in occulto gerimus, si quod in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe*

Digitized by Google

ceſſe eſt publicari , cuncta proferri . Nyſſenus in homil. in alios, qui acerbe judicant : *Audacter oſtende illi , quæ ſunt recondita . Animi arcana tanquam occulta vulnera Medico detege . Ipſe honoris , & valitudinis tuæ rationem habebit* . Inſuper Patres docent, regulam imponendæ pænitentiæ peccatis occultis fuiſſe ſecretam Confeſſionem . Origenes homil. 2. in pſal. 17. *Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum ; proba prius medicum , cui debeas cauſam languoris exponere , qui ſciat infirmari cum infirmante , flere cum flente* . Et paulo poſt ſubdit: *Si quid ille dixerit , qui ſe prius , & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem , ſi quid conſilii dederit , facias , & ſequaris . Si intellexerit , & præviderit talem eſſe languorem tuum , qui Conventu totius Eccleſiæ exponi debeat , & curari , ex quo fortaſſis, & cæteri ædificari poterunt , & tu ipſe facile ſanari , multa hac deliberatione & ſatis periti medici illius conſilio, procurandum eſt* . Ulterius, Patres docent, Sacerdotes eſſe veros judices , quorum judicio remittuntur peccata : Ac proinde adſtruunt pariter ſacramentalis confeſſionis neceſſitatem. Auguſtinus ſerm. 392. alias 49. Inter quinquaginta cap. 3. *Agite pænitentiam, qualis agitur in Eccleſia , ut oret pro vobis Eccleſia . Nemo ſibi dicat , occulta ago , apud Deum ago : Novit Deus , qui mihi ignoſcat , quia in corde meo ago . . . . Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei ? Fruſtramus Evangelium Dei ? fruſtramus verba Chriſti?* Leo Magnus epiſt. 83. ad Theodorum Foroljulienſem, alias 91. *Multiplex miſericordia Dei ita lapſis ſubvenit humanis , ut non ſolum per baptiſmi gratiam , ſed etiam per Pænitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ ; ut qui regenerationis dona violaſſent , proprio ſe judicio condemnantes , ad remiſſionem criminum pervenirent : Sic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis , ut indulgentia Dei non niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri . Mediator enim Dei & hominum I. C. hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem , ut & confitentibus actionem pænitentiæ darent , & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos , ad communionem Sacramentorum per januam , reconciliationis admitterent* . Et infra . . . *Multum utile , ac neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur.* Gregorius Magnus *homil. 16. in Evangelia: Apoſtoli principatum ſuperni judicii ſortiuntur , ut vice Dei quibuſdam peccata retineant , quibuſdam relaxent . . . . Ecce qui diſtrictum Dei judicium metuunt , animarum Judices fiunt.*

III. Concluſionis pars probatur . Habemus exemplum Mulierum , quæ fuerunt a Marco Hæreſiarca vitiatæ , & quæ deinde ſuum crimen confeſſæ fuerunt ; Et hoc exemplum narrat Irenæus, in præterita diſſertatione citatus . Inſuper S. Cyprianus narrat exemplum plurimorum , qui peccata cogitationum Sacerdotibus confitebantur . De S. Ambroſio narrat Paulinus, quod Pænitentium Confeſſionem excipiebat , & cauſſas criminum, quas illi confitebantur , nulli , niſi Domino ſoli loquebatur . Alia exempla videri poſſunt apud Scriptores , & præcipue apud Tournely .

IV. Probatur tota Concluſio ex Conciliis. Synodus Trullenſis can. 103. *Oportet eos , qui ſolvendi , ac ligandi poteſtatem a Deo accepere , peccati qualitatem conſiderare , & ejus , qui peccavit, ad eam converſationem promptum ſtudium , & ſic morbo convenientem afferre medicinam : ne ſi in utroque immoderatione utatur , ab eius , qui laborat , ſalute excidat. Alii legunt : Ne ſi de peccato ſive crimine ſtatuant , aberrent in ægroti ſalute : Non enim ſimplex eſt peccati morbus , verum gravis , & multiformis , plurimiſque propaginibus ſubpullulatus , ob quas malum longe lateque diffunditur , ac ſerpit , quouſque tandem virtus medicamentis reſiſtat* . Concilium Laodicæn. can. 4. *His, qui diverſorum peccatorum lapſus incurrerunt , & orationi , confeſſioni, Pænitentiæ inſtant , malorum ſuorum perfectam converſionem demonſtrantes , pro qualitate peccati , tempore Pænitentiæ tribuendum eſt.* Et Carthaginenſe III. *cap. 31. Ut Pænitentibus ſecundum peccatorum differentiam Epiſcopi arbitrio Pænitentiæ tempora diſcernantur* . Et Cabilonenſe *can. 8. Ut Pænitentibus a Sacerdotibus , facta confeſſione videretur Pænitentia , univerſitas Sacerdotum noſcitur convenire . Et* II. Cabalonenſe *Can. 32.* circa annum 813. *Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus , quod quidam dum confiterentur*

peccata ſua Sacerdotibus non plene id faciunt: quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri peccata, ut ex utriſque ſit plena confeſſio, ſcilicet ut confiteantur, & ea, quæ per corpus geſta ſunt, & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur. Et Turonenſe Can. 22. *Epiſcopis, & Presbyteris, diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus ſibi ſua delicta confitentibus tempus abſtinendi relinquitur.* Et Maguntinum Can. 26. *Ab infirmis in mortis periculo poſitis per Presbyteros pura inquirenda eſt Confeſſio; non tamen iis imponenda qualitas Pænitentiæ, ſed innoteſcenda.* Wormocenſe cap. 25. *Pænitentibus, ſecundum differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio Pænitentiæ decernantur.* Et Lateranenſe can. 21. Conſtant. ſeſſ. 3. Florent. in Inſtitut. Armenorum. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. *Quoadmodum confitendi ſecreta apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit; Non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte repellitur inanis eorum calumnia, quæ eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.* Et can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Salvatoris Domini, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt; non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pænitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad authoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.* Et can. 6. *Si quis negaverit, Confeſſionem ſacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant: ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum pænitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatiſfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.* Et can. 8. *Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam, a piis abolendam: aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles, juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.*

V. Probatur Rationibus I. Sacramentum Pænitentiæ eſt neceſſarium poſt lapſum ad ſalutem conſequendam: ergo pariter eſt neceſſaria ſacramentalis confeſſio. Conſequentia ſequitur; tum quia ſacramentalis confeſſio eſt pars eſſentialis Sacramenti pænitentiæ, ut dictum eſt: Tum etiam, quia qui finem aliquem, aut officium aliquod inſtituit, cenſetur etiam inſtituiſſe media, quæ ad finem obtinendum, & ad officium exequendum, ſunt neceſſaria; Proinde quia Chriſtus inſtituit Sacramentum pænitentiæ, ordinavit Sacerdotes, quos conſtituit Judices; Atqui non poſſunt judicare peccata abſque ſacramentali confeſſione: ergo &c. II. Sine ſacramentali confeſſione nequit a Deo obtineri peccatorum remiſſio; ſed peccatorum remiſſio eſt neceſſaria homini lapſo: ergo pariter eſt neceſſaria ſacramentalis confeſſio. Argumentum fundatur in ver-

verbis S. Leonis Magni in epiſtola 91. quæ ſunt : *Multiplex miſericordia Dei ita lapſis ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ repararetur æternæ : ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Jeſus Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* III. Chriſtus compatiens humanæ infirmitati voluit hominem ſanare remedio, quod illi fuiſſet facile ſimul ac proficuum ; Atqui hujuſmodi eſt confeſſio ſacramentalis auricularis : ergo hæc eſt neceſſaria. Ratio habet vim in verbis pariter S. Leonis Magni in epiſt. 80. *Ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur : cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem erubeſcere non veretur : tamen quia non omnium ejuſmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum ad pœnitentiam plures poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* IV. Reus in judicio humano, qui negat, vel qui ſe excuſat poſtquam deliquerit, non eſt condemnabilis ; ergo in iudicio divino! reus, qui non negat, & qui ſe non excuſat, ſed confitetur peccatum ſuum, dignus eſt abſolutione, & venia ; Atqui hoc fieri non poteſt, niſi per confeſſionem ſacramentalem auricularem : ergo hujuſmodi confeſſio neceſſaria eſt. Et hoc pacto argumentatur Gregorius Magnus homil. 26. ſuper Evangelia : *Omnis peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur : ſed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur : veni foras : ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per Confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, ideſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.* V. Qui vulneratus eſt, nequit a Medico ſanari, niſi eidem vulnus oſtendat : ergo pariter qui vulneratus eſt, nequit a ſpirituali Medico, qui eſt Confeſſarius, ſanari, niſi eidem vulnus, hoc eſt peccatum ſuum, oſtendat : Sed hoc fieri non poteſt, niſi per ſacramentalem auricularem confeſſionem : ergo hæc neceſſaria eſt : Ita pariter argumentatur Thomas Argentinas in 4. diſtin. 17. q. 2. art. 1. *Vulnus non ſanatur, niſi Medico manifeſtetur. Sed ſine confeſſione non oſtenditur vulnus ſpirituale Sacerdoti, quem Deus conſtituit medicum hujus vulneris. Et hanc rationem videtur annuere Boetius, libro de Conſolatione dicens : Si opem medicantis expectas, neceſſe eſt, ut vulnus detegas. Propterea ordo ſecularis judicii requirit alteram eſſe perſonam rei, & alteram judicis : ergo hoc idem requirit ordo judicii ſpiritualis, & per conſequens in foro conſcientiæ unus homo debet alium judicare, quod ordinate fieri non poteſt ſine ejus, qui eſt judicandus, confeſſione.* VI. Ad hoc ut judicium quodlibet ſuum ſortiatur effectum, neceſſe eſt, ut in eo conſtituatur reus, & Judex : ille, ut confiteatur, ſi peccavit ; iſte, ut abſolvat, ſi reus dignus eſt venia ; ſed hoc totum importat confeſſio ſacramentalis auricularis ; ergo eſt neceſſaria. Proinde S. Antonius Patavinus Dominica 14. poſt Trinitatem hæc Concionando dicebat: *ibi eſt vera Confeſſio, ubi ſit percuſſio, ideſt peccatorum reprehenſio, quæ annuntiet omne, quod intus latet.*

Arguunt I. Ex teſtimonio Joannis XX. quo nos probamus ſacramentalis Confeſſionis neceſſitatem, nihil omnino eruitur, quo eiuſdem neceſſitas ad-

a diſtruatur : ergo tota noſtra conc uſſio corruit. II. Sacerdotes in Sacramento pœnitentiæ non ſunt veri Judices, ut nos in probationibus ſupponimus, ſed ſunt tantum miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei : ergo non eſt, ex quo probetur in Sacramento pœnitentiæ judicialis poteſtatis efercitium : ergo non eſt neceſſaria ſacramentalis reorum confeſſio. III. Ex Chriſti verbis Joannis 20. æque probari poteſt, Sacerdotes eſſe Judices, ac eſſe reges, & monarchas ; ſed hoc per nos non probatur ; ergo neque illud. IV. Si Sacerdotes dicuntur Judices eo, quod a Chriſto acceperint poteſtatem remittendi, vel retinendi peccata, poſſunt etiam dici Servatores hominum ex hoc, quod aliquando in Scripturis dicantur, quod homines ſervaverint ; ut patet in epiſtola ad Roman. 11., & in I. ad Timoth. cap. 4. ſed hoc dici non poteſt : ergo neque illud. V. Quanvis a regibus deputentur Judices, ut ſubditorum hominum lites dirimant, non per hoc tollitur ipſis ſubditis facultas ad regem recurrendi, ut ipſos componat : ergo pariter quanvis Chriſtus conſtituerit Judices Sacerdotes, ut peccatores judicent, non per hoc tollitur facultas peccatoribus, ut ad Chriſtum ipſum recurrant, ut eis peccata condonet : ergo non eſt neceſſaria ſacramentalis confeſſio. VI. Quanvis Sacerdotes poſſint dimittere peccata venialia, non per hoc eſt aliqua neceſſitas, ut quis conſiteatur iisdem ipſa peccata venialia ; ergo quanvis Sacerdotes poſsint dimittere peccata mortalia, non per hoc tamen ſit, quod teneantur homines iiſdem peccata mortalia conſiteri. VII. In Sacramento baptiſmi poteſt Miniſter dignos admittere, & repellere indignos, & non per hoc requiritur, ut Miniſtro aperiat baptizandus ſingula peccata ſua, ſed ſufficit tantum generalis confeſsio omnium peccatorum : ergo pariter in Sacramento pœnitentiæ ſufficere debet generalis confeſsio omnium peccatorum, & non eſt exigenda ſingulorum peccatorum confeſsio a Peccatoribus. VIII. Apoſtoli, non legitur in novi teſtamenti libris, quod a Pœnitentibus exegerint ſacramentalem confeſsionem : ergo hæc non eſt neceſſaria fidelibus. IX. In dominica Oratione nos rogamus Deum, ut dimittat nobis peccata noſtra, ſicut nos dimittimus fratribus noſtris peccata ipſorum : ſed nos non dimittimus fratribus peccata per auricularem confeſsionem : ergo neque Deus per auricularem confeſsionem dimittit nobis peccata noſtra. X. Peccatorum confeſsio inſtituta eſt ab Eccleſia propter Novatianos, & deinde abrogata eſt propter damna, quæ ex ipſa oriebantur : ergo peccatorum confeſſio non eſt ex inſtitutione divina, ſed humana. Probatur antecedens, ex Socrate lib. 5. hiſtoriæ cap. 19. *Poſtquam Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxiſſent, eo quod cum illis, qui perſecutione decima lapſi fuerant, communicare noluiſſent, ex illo tempore Epiſcopi Pœnitentiarium Presbyterum albo eccleſiaſtico adjecerunt, ut qui poſt baptiſmum lapſi eſſent, coram Presbytero ad eam rem conſtituto delicta ſua confiterentur*. Et poſtmodum: *Nectorii Epiſcopi temporibus abrogarunt, ob facinus quoddam, quod in Eccleſia commiſſum fuerat. Mulier quædam nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta poſt baptiſmum a ſe perpatrata ſigillatim confeſſa erat. Presbyter vero præcepiit mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuis conveniens oſtenderet. Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ videlicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cum dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt; populus vero graviter commoveri cœpit. Neque enim ſolum ob ſcelus, quod patratum fuerat indignabantur, verum etiam eo quod labes haud mediocris, atque infamia hoc facto adſperſa videbatur Eccleſiæ. Cum igitur eam ob cauſam eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam, Eccleſiæ Presbyter, Epiſcopo Nectario ſuaſit, ut Pœnitentiarium Presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia, ad Sacramentorum communionem ſineret accedere*. XI. Ab initio Eccleſiæ non legitur, quod fideles, quando quolibet die communicabant, quod etiam quolibet die confiterentur : ergo ab initio naſcentis Eccleſiæ non fuit in uſu ſacramentalis confeſſio.

Reſpondemus ad I. quod ita eſt connexa Confeſſio peccatorum cum poteſtate abſolvendi, Sacerdotibus tradita Joan-

nis

Digitized by Google

nis 20. ſicut eſt connexa in judiciis humanis rei confeſſio cum Judicis poteſtate; Ita ut ſicut una admiſſa, altera negari non poteſt, ita pariter altera ſublata, nec illa poteſt integra remanere. Unde ſatis eſt, quod ex verbis Joannis adſtruatur in Sacerdotibus judicialis poteſtas abſolvendi, vel retinendi peccata, ut pariter in Pænitentibus probetur neceſſitas peccata ſua per ſacramentalem confeſſionem iiſdem aperiendi.

Ad II. Utique Sacerdotes ſunt Miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, at non pugnat cum hoc, quod ſint etiam Judices. Judices quidem ſunt, qui non ſuprema & independenti authoritate peccata dimittunt, vel retinent. ſed legibus adſtricti ea faciunt, quæ ſibi a Chriſto præſcripta agnoſcunt. Unde Gregorius Magnus homil. 16. in Evangelia ſcribebat: *Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſolvendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit: & quæ pænitentia ſecuta eſt poſt culpam: Ut quos Omnipotens Dei per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat.* Sunt igitur Sacerdotes Miniſtri ſimul. & Judices, qui dependent a primo & ſupremo Judice Chriſto, a quo conſtituuntur, & authoritatem dimittendi, vel retinendi peccata accipiunt.

Ad III. Poſſet quidem ex verbis Joannis 20. utrumque probari, quando neceſſitas eſſet illud utrumque probandi; attamen probatur potius id, quod ad judicium pertinet, non vero illud, quod ſpectat ad regimen, quia verba illa propius reſpiciunt poteſtatem judicandi, quam poteſtatem regendi; quia continent authoritatem remittendi, vel retinendi peccata; quæ proprie Judicum, non Regum, eſt.

Ad IV. Utique Sacerdotes non poſſunt dici Servatores hominum, ſcilicet redemptione, ſatisfactione, & pretii ſolutione, qua ſolus Chriſtus eſt mediator inter Deum, & homines; qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, ut dicitur prima ad Timoth. cap. 2. At poſſunt dici Servatores miniſterio, quatenus pretium ſanguinis Chriſti applicant nobis, tanquam veri miniſtri, & Judices a Chriſto Domino inſtituti.

Ad V. Diſparitas in eo conſiſtit, quod non ſupponitur a rege inſtituta lex, ut lites omnes per judices dirimantur, abſque eo quod ad ipſum recurſus habeatur: Sicut nos legem habemus, ut a Sacerdotibus in ſacramentali confeſsione judicemur, abſque eo quod ad Chriſtum recurſum habeamus. Hæc autem lex obſervari omnimode debet; adeoque quanvis a Chriſto inſtitui potuiſſet, ut peccata dimitterentur ſolo ad ipſum habito recurſu, & hoc quidem eſſet de poſſibili; quia tamen de facto conſtituit, ut peccata dimittantur vel retineantur per judices a ſeipſo conſtitutos; hæc lex omnino obſervanda eſt, abſque ullo reſpectu ad illud, quod aliter de poſsibili facere potuiſſet.

Ad VI. Diſparitas quoque eſt, quia quum peccata venialia non extinguant charitatem, nec amicitiam cum Deo violent; poſſunt aliis modis, quam per ſacramentalem confeſsionem deleri: At peccata mortalia, quia extinguunt charitatem, & amicitiam cum Deo ſolvunt, inde eſt quod Deus inſtituit, ut per ſolam ſacramentalem confeſſionem ſecundũ præſentem providentiã deleantur, ac dimittantur. Et hæc lex omnino ab omnibus ſervari debet.

Ad VII. Diſparitas inſuper eſt, quia Sacramentum baptiſmi non adminiſtratur per modum judicii, ſicut adminiſtratur Sacramentum pænitentiæ; Unde in illo non exiguntur formalitates judiciales, inter quas eſt reorum Confeſsio, quæ exiguntur in Sacramento pænitentiæ.

Ad VIII. Ipſimet Calviniſtæ multa admittunt, & obſervant, quæ expreſſe in novi teſtamenti libris non inveniuntur, & nihilominus argumento negativo, quo contra nos utuntur, ſeipſos premi, abſolute negant. Et revera baptizant infantes; baptiſmum ab Hæreticis datũ habet ratum; Et tamen hæc in Scripturis expreſſe non inveniuntur. Dico igitur, quod ſicut pro his ſufficit ipſis traditio, ita nobis traditio ſatis eſt pro ſacramentali Confeſſione, ſi nullum Scripturæ teſtimonium extaret: Unde merito contra eoſdem uſurpare poſſumus Tertulliani verba lib. de corona militis cap. 4. *Si legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.*

Ad

Ad IX. verbum illud *ſicut* non reſpicit dimiſſionis modum, ſed ſubſtantiam; ſcilicet, ut Deus dimittat nobis peccata, quæ contra ipſum fecimus, quemadmodum nos condonamus fratribus noſtris peccata, quæ contra nos perpatrarunt. Cæterum ſi de modo intelligi deberent verba illa, non pauca ſequerentur inconvenientia; ſequeretur enim, quod ſicut Deus dimittit nobis peccata noſtra per gratiæ infuſionem, ita & nos per gratiæ infuſionem deberemus remittere peccata contra nos facta: Deus dimittit peccata diligentibus ſe, & nos debemus dimittere etiã illis qui nos non diligunt, ſed qui odio nos proſequuntur: Deus prævenit nos gratia ſua, ut nos peccatorum remiſsionem deprecemur; & hæc præventio gratiæ erga oſſendentes nos locum omnino non habet: igitur non mirum, ſi Deus pariter vult nobis dimittere peccata per ſacramentalem confeſſionem, & nos per eandem fratribus noſtris peccata non dimittimus.

Ad X. Sunt, qui dicunt Nectarium abſtuliſſe uſum confeſſionis publicæ, non vero ſecretæ; Ita Bellarminus, Baronius Petavius, & Roſſenſis. Alii dicunt abſtuliſſe confeſſionem etiam ſecretam, ſed in hoc graviter peccaſſe; Ita alii poſt Thomam Marbenſem. Alii autem putant abſtuliſſe Presbyterum Pænitentiarium; qui nuper in Conſtantinopolitana Eccleſia inſtitutus fuerat. Ex his, eligant Legentes reſponſionem, quam maluerint. De hoc facto fuſiſsime tractant Jueninus, Fraſſen, Tournely, aliique recentiores.

Pro altera Diſſertationis parte, in qua quæritur, qua neceſsitate ſacramentalis confeſsio ſi neceſſaria, dependet hoc quæſitum ab altero, in quo quæritur, quo jure ſit præcepta ſacramentalis confeſsio? Et quidem non eſt præcepta jure naturæ, quia ſi fuiſſet præcepta jure naturæ, fuiſſet neceſſaria in omni lege; ſed non fuit neceſſaria in lege naturæ, neque in lege moſaica: ergo &c. Et ſane San. Iſidorus lib. 5. originum cap. 4. docet. *Ius naturale eſt idem apud omnes, & eſt commune nationum omnium, eo quod non aliqua conſtitutione, ſed inſtinctu naturæ ubique habetur*. Illa autem, quæ obiici poſſunt ex exemplis Adæ, Cain, & Job: Item ex Lege Levitici 16. ubi præcipiebatur, quod filii Iſrael confiterentur peccata ſua; Nihil faciunt ad rem; Tum quia Adam, Cain, & Job, tenebantur confiteri peccata ſua, non homini per ſacramentalem confeſsionem, ſed coram Deo, cum animi dimiſsione, & contritione. In lege autem veteri quanvis præciperetur peccati confeſsio aliquo modo, non tamen præcipiebatur modo illo, quo in lege evangelica præcipitur. Proinde docet Scotus apud cit: Fraſſen. *In tota lege moſayca non fiebat iſta Confeſſio, de qua loquimur; ſed de peccatis occultis tantum fiebat Deo Confeſſio, de quibuſdam tamen defectibus publicis, & inobſervantia legalium fiebat Confeſſio, & uniuſcujuſque, quando ſcilicet offerebat pro tali delicto ſacrificium, ut generalis confeſſio Sacerdotis pro populo erat iſta: Injuſte egimus, peccavimus, & hujuſmodi. Et iſto modo publica Confeſſio Sacerdotis erat quædam diſpoſitio ad petendam miſericordiam Dei populo; ſicut & modo in eccleſia; non Confeſſione iſta, de qua loquimur, confitemur nos peccaſſe, & petimus miſericordiam, & nobis, & toti populo.*

Dicimus II. Confeſsionem ſacramentalem mortalium omnium peccatorum non eſſe neceſſariam de jure naturæ, ſed quia præcepta eſt jure divino.

Prima Concluſionis pars probatur I. Si Confeſsio ſacramentalis fuiſſet neceſſaria de jure naturæ, in quacunque lege neceſſaria fuiſſet; ſed non fuit neceſſaria in quacunque lege: ergo non eſt neceſſaria de jure naturæ. Major eſt certa, quia quod naturaliter eſt præceptum, ſub omni lege ſervandum eſt; Lex enim non deſtruit naturam, ſed perficit. Minor probatur, quia non fuit obligatio ad ſacramentalem confeſsionem in ſtatu innocentiæ, nec pariter fuit in ſtatu legis naturæ, nec denique in ſtatu legis moſaycæ, ut ab omnibus admittitur.

II. Probatur. Si jus naturale dictaret confeſsionem ſacramentalem, omnes Nationes tenerentur ad illam; ſed non omnes Nationes, neque omnes homines tenebantur ad illã: ergo non erat per jus naturale præcepta. Major, ut dictum eſt, S. Iſidori eſt lib. 5. orig. cap. 4. ubi ait: *Jus naturale eſt idem apud omnes, & eſt commune Nationum omnium, eo quod non aliqua conſtitutione. ſed* in-

Digitized by Google

inſtinctu naturæ ubique habetur. Minor probatur : Quia non tenebantur ad ad ſacramentalem confeſsionem, qui ante legem moſaycam vivebant, nec tenebantur pariter, qui eidem legi obtemperabant : ergo &c.

III. Probatur. Non eſt naturæ dictamen, quod homo debeat occulta ſua crimina alteri homini manifeſtare, quod homo ſit alterius hominis Judex, & quod homo poteſtatem habeat condonandi, & retinendi cæteris hominibus peccata ſua; atqui hoc totum per ſacramentalem confeſsionem importatur : ergo nullo modo dici poteſt, quod ſacramentalis confeſsio per naturæ lumen habeatur.

II. Concluſionis pars probatur I. ex illis Scriptutæ locis, quibus probavimus ipſius ſacramentalis confeſsionis neceſsitatem, & exiſtentiam, & quibus modo addimus hæc ſequentia Trid. Conc. teſtimonia. Et quidem ſeſſ. 14. Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum, neceſsarium non eſse jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur; etiam occulta . . . Anathema ſit.* Et cap. 5. *Ex inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ jam explicata univerſa eccleſia ſemper intellexit, etiam inſtitutam eſse a Deo integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſsariam exiſtere; Quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus a terris adſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam Præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, qui pro poteſtate Clavium, remiſſionis, & retentionis peccatorum ſententiam pronuntient. Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſse, neque æquitatem quidem illos in pænis injungendis ſervare potuiſse, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſsent.* Et in fine hujus cap. ſubdit : *Neque per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſsarium, & inſtitutum eſse intellexerat: ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniṫur, impleretur &c.* Et tandem ſeſſ. 14. cap. 5. de modo confitendi peccata, ſive publica ſive ſecreta ſic habet: *Quoad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem & ſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit; non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.*

Ex his autem Concilii verbis Eſtius in 4. diſtin. 17. §. 8. quaſi eadem explicans, deducit ſimul, & ſcribit : „ Confeſſio-
„ nem ſecretam, ſive ut loquuntur, au-
„ ricularem, ideo hæretici toto ſtudio
„ oppugnant, quod putent primis Ec-
„ cleſiæ temporibus non aliam quam
„ publicam pænitentiam ſimul & con-
„ feſſionem in uſu fuiſſe, quam dicunt
„ temporis lapſu mutatam eſſe in eam,
„ quæ nunc frequentatur, confeſſionem
„ ſecretam. Contra quos ſicut alibi
„ monſtratum eſt tam privatam, quam
„ publicam pænitentiam primis Eccle-
„ ſiæ temporibus in uſu fuiſſe : Ita quo-
„ que tenendum præter publicam illam
„ criminum etiam ſecretorum apud
„ populum manifeſtationem, aliquando,
„ & quibusdam in locis fieri ſolitam,
„ ſemper ac potiſſimum in Eccleſiis fre-
„ quentatam fuiſſe ſecretam apud ſo-
„ lum Sacerdotem peccatorum confeſ-
„ ſionem. Qua de re Tridentina Syno-
„ dus cap. 5. ſeſſ. 14. ita docet. Cæterum
„ quoad modum confitendi ſecreto
„ apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus
„ non vetuerit quin aliquis in vindi-
„ ctam ſuorum ſcelerum, & ſui humi-
„ liationem, cum ob aliorum exem-
„ plum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædifi-
„ cationem, delicta ſua publicè confi-
„ teri poſſit, non eſt tamen hoc præ-
„ cepto divino mandatum, nec ſatis
„ conſultè humana aliqua lege præcipe-
„ retur, ut delicta præſertim ſecreta

pu-

„ publica eſſent confeſſione aperienda.
„ Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſ-
„ ſimis Patribus magno unanimique
„ conſenſu ſecreta confeſſio ſacramen-
„ talis, qua ab initio Sancta Eccleſia uſa
„ eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſem-
„ per commendata; Manifeſte refelli-
„ tur inanis eorum calumnia, qui eam
„ a divino mandato alienam, & inven-
„ tum humanum eſſe, atque a Patribus
„ in Concilio Lateranenſi congregatis
„ initium habuiſſe, docere non verentur.
„ Hæc ibi. Ex qua Concilii doctrina
„ primum, colligitur non pertinere ad
„ eſſentiam confeſſionis ſacramentalis,
„ ut ſit ſecreta, quemadmodum etiam
„ ex definitionibus ejus ſuprà poſitis fa-
„ cile monſtratur. Deinde, nec præcepti
„ divini eſſe, ut ſecreto fiat, non enim
„ vetuit Chriſtus aliqua lege, quin pu-
„ blice aliquando fieri poſſit. Immo ſa-
„ tis declarant verba Concilii poſſe
„ etiam laudabiliter, & cum fructu eam
„ publice fieri. Tertio, publicam con-
„ feſſionem non eſſe præcepti divini.
„ Quarto, eamdem non eſſe humana
„ lege præcipiendam. Poſtremo, ſecre-
„ tam confeſſionem tanquam a Patri-
„ bus commendatam, & perpetuo uſu
„ Eccleſiæ comprobatam, omnino re-
„ tinendam eſſe. Quod autem Patres
„ Concilii tum in decreto, tum in can.
„ 6. ejusdem ſeſſ. aſſerunt, ac definiunt,
„ modum ſecrete confitendi ſoli Sacer-
„ doti non eſſe alienum ab inſtitutione,
„ & mandato Chriſti, non hoc ſentiunt,
„ quod modum illum Chriſtus præce-
„ perit. Si enim præcepiſſet, conſequen-
„ ter vetuiſſet confeſſionem publice
„ fieri; quod aperte negant Patres: ſed
„ tantum volunt, modum ſecrete con-
„ fitendi neque contrarium, neque diſ-
„ ſentaneum eſſe præcepto, & inſtitu-
„ tioni Chriſti, quin potius maxime cum
„ eo congruere. Cujus ratio eſt, quia
„ Lex naturæ monet, immo præcipit,
„ nequis occulta & pudenda crimina
„ ſua publicando, ſeipſum infamet, niſi
„ forte major aliqua vel ipſius peccato-
„ ris, vel aliorum hominum utilitas,
„ id expoſcat. Hanc autem naturæ le-
„ gem non deſtruit lex Chriſti, quæ
„ mandat omnia peccata etiam occul-
„ tiſsima patefieri per confeſsionem ei,
„ cui ad remittendum, & retinendum
„ datæ ſunt claves a Chriſto. Et proin-
„ de ita peccata ſunt Sacerdoti dete-
„ genda ex Chriſti præcepto, ut nihilo-
„ minus juxta præſcriptum legis naturæ
„ apud alios maneant occulta. Adde
„ quod publicatio occultorum crimi-
„ num ſive per ipſum pœnitentem, ſive
„ per Sacerdotem facienda, non ſatis
„ conveniret cum proprio effectu Sa-
„ cramenti Pœnitentiæ, qui eſt tegere,
„ & abolere peccata; cum crimina ſic
„ publicata, & infamia inde contracta
„ ex hominum memoria haud facile
„ deleri poſſent. Denique jugum con-
„ feſsionis a Chriſto nobis impoſitum
„ ſuave ac leve eſſe debet, juxta illud
„ Matth. 11. Jugum meum ſuave &c.
„ Quale profecto non eſſet, ſi publican-
„ da eſſent crimina, ſed contra magis hoc
„ pacto fieret importabile: maxime ergo
„ convenit cum lege, & inſtitutione
„ Chriſti, ut ſecreta ſit peccatorum con-
„ feſsio: His poſitis.

Primo, Fuerunt Theologi de ſchola, qui docuerunt, quod modus confitendi peccata non pertineat ad eſſentiam ſacramentalis confeſsionis, ſive hæc ſit publica, ſive ſecreta; Et hoc quidem ſibi videntur ex verbis Eſtii poſſe inferri.

Secundo, Alii Theologi pariter voluerunt, ſecretam confeſsionem non eſſe præcepti divini, quanvis aſſerant ejusdem uſum eſſe perantiquum, ac retinendum.

Tertio, Alii volunt ſecretam confeſsionem fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutam, & præceptam. Et horum ſententia Trid. Concil. eſt conformior; Dicit enim Concilium: *Non eſſe divino præcepto mandatum, ut delicta publice declarentur: Immo nec ſatis conſulte id humana aliqua lege præcipiendum foret.* Ex quibus verbis hæc infert Tournely: „ Namque vel publica, vel ſecre-
„ ta, eſt præcepti divini; Non eſt enim
„ alius ordinarius confitendi modus;
„ Atqui ex Concilio ipſo publica non
„ eſt à Chriſto præſcripta; ergo privata,
„ & ſecreta. Tum quia, idem videtur
„ eſſe in mente Concilii, ſecretam con-
„ feſsionem eſſe præcepti divini, & eam
„ non eſſe alienam a præcepto divino;
„ Quamquam ingenue fatendum ſit,
„ ea loquendi ratione de induſtria uſos
„ eſſe Patres, ne expreſſe definirent
„ rem inter Theologos controverſam.
„ Neque verò ex iſta ſententia ſequitur,
„ quod inferebat Eſtius, nempe, ſi præ-
„ cepit Chriſtus confeſſionem privatam
„ & ſecretam, ergo vetuit publicam:
Nam-

„ Namque merito dici poteſt, Chriſtum „ ita præcepiſſe uſu communi, & ordi- „ nario ſecretam confeſſionem, ut non „ vetuerit aliquibus in caſibus eam pu- „ blice fieri.

Igitur ex hac Scholaſticorum diſcurrendi varietate male deducit Dallæus, Calvinianus, ſecretam Confeſſionem vel non fuiſſe a Trid. Concilio præceptam, vel potius antiquæ Eccleſiæ temporibus non fuiſſe in uſu poſitam. Contrarium enim in tota hac noſtra Diſſertatione probatum credimus; Et varietas de modo, ſi quæ eſt apud Theologos de Schola, nihil profecto ſubſtantiæ veritati obſtare poteſt.

DISSERTATIO CCCLXXVI.

De Confeſſione Sacramentali . Obligatio ex divino præcepto faciendi illam, quos, & quando obliget : Cui facienda ſit ex præcepto eccleſiaſtico? Et quando? A quibus? Et de quibus?

Dicimus I. præceptum ſacramentalis Confeſſionis jure divino obligare omnes adultos, qui poſt baptiſmum mortaliter peccaverunt.

I. Probatur Concluſio. Soli adulti, qui poſt baptiſmum mortaliter peccaverunt, ſunt capaces, ut ab Eccleſia ligentur, & ſolvantur; Sed illos obligat de jure divino præceptum ſacramentalis Confeſſionis, qui capaces ſunt, ut ab Eccleſia ligentur, ac ſolvantur: ergo de jure divino præceptum ſacramentalis Confeſſionis ſolos adultos obligat, qui poſt baptiſmũ mortaliter peccaverunt. Major eſt certa, quia ſoli adulti capaces ſunt; ut ab Eccleſia judicẽtur; & proinde ut ligentur, ac ſolvantur. Minor etiã patet, quia ligamen, & ſolutio ſupponũt peccatũ, per quod peccatores ligantur, & ſupponunt etiam peccati remiſſionem, per quam ſolvuntur.

II. Probatur. Si non eſſent ſoli adulti baptizati, qui ad ſacramentalem Confeſſionem jure divino tenerenrur, ideo eſſet, quia olim etiam tenebantur Cathecumeni; ſed hoc eſt falſum; ergo ſoli adulti baptizati tenentur. Probatur minor. Confeſſio, quæ a Cathecumenis fiebat, non erat ſacramentalis: ergo Cathecumeni non tenebantur ad ſacramentalem Confeſſionem. Probatur antecedens. Erat Confeſſio generalis, & præparatoria ad baptiſmi gratiam recipiendam, non autem diſtincta, & ſingulorum peccatorum enarratio: ergo non erat Confeſſio ſacramentalis.

III. Probatur. Illi tenentnr ad Confeſſionem ſacramentalem de jure divino, qui aliquod faciunt, quod eſt materia ſacramentalis Confeſſionis: ſed materia ſacramentalis Confeſſionis non eſt alia, quam peccatum mortale: ergo illi tenentur de jure divino ad ſacramentalem Confeſſionem, qui peccatum mortale committunt; Atqui hi ſunt adulti baptizati: ergo &c.

Pro altera vero Diſſertationis parte, in qua quæritur de tempore, quo præceptum divinum ſacramentalis confeſſionis obliget, præmittimus hic aliqua, quæ vel ab omnibus admittuntur, vel eruuntur ab iis, quæ a nobis ſuperius dicta ſunt. Et I. præceptum divinum ſacramentalis Confeſſionis non obligat per ſe ſtatim a perpatrato peccato; Tum quia eſt præceptum affirmativum, & præcepta affirmativa non obligant pro omni omnino tempore; Et ideo præceptum eccleſiaſticum confeſſionis, quod determinat po-

Digitized by Google

divinum, non obligat, niſi ſemel in anno: Tum etiam, quia obligatio confeſſionis æquiparatur obligationi contritionis; ſed præceptum contritionis, ex dictis etiam a nobis, non obligat ſtatim a patrato peccato: ergo &c. II. Præceptum divinum obligat per ſe in probabili periculo mortis, quia tunc præcipue tenetur quilibet propriæ animæ ſaluti conſulere. Ubi autem non eſt probabile periculum mortis, ut eſt in levioribus morbis, nulla eſt obligatio confitendi. III. ſi quis eſſet in periculo mortis conſtitutus, & non haberet mortalia ſed tantummodo venialia, quanvis hic non teneretur per ſe ac abſolute ad confeſſionem ſacramentalem, quia ſunt alia remedia pro venialibus expiandis, teneretur tamen per accidens; ſcilicet ratione ſcandali, quod daretur; ratione præſumptionis vitandæ; ratione deceptionis, qua quis poteſt ſe ipſum faciliter blandiri, credens venialia, quæ ſunt mortalia. IV. poteſt etiam dari caſus, quo quis obligetur ad confitendum peccatum mortale ſtatim ac ipſum commiſit; Quando ſcilicet deberet vel ſacram ſynaxim ſumere, vel miſſam celebrare; ſed hæc eſſet obligatio per accidens. V. poteſt etiam dari caſus, quo obliget per ſe præceptum confeſſionis extra probabile periculum mortis; Et ratio eſt, quia præcepta poſitiva, & affirmativa non obligant tantum in extrema neceſſitate, ſed etiam quando probabiliter judicatur eorum obſervatio neceſſaria. Cæterum ei, qui vult ſacram Euchariſtiam ſumere, jure divino eſt neceſſaria ſacramentalis confeſſio; Et quia I. Corinth. 10: dicitur: *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*: Et quia Concil. Trident. ſeſſ. 13. Can. 11. ſtatuit. *Ne tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat, ipſa ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat*. Denique ad majorem facilioremque obſervationem præcepti divini ſacramentalis Confeſſionis in probabili periculo mortis, Eccleſia ipſa Medicos omnes hortatur, immo iiſdem mandat, ut quando ad Infirmorum curam vocantur, priuſquam accipiant morbi curationem, debeant monere ægros de Confeſſione facienda. Quod præſtiterunt ſummi Pontifices Innocentius III. in Concil. Lateranen. IV. anno 1215. Clemens V. in Concil. Ravenrat. II. anno 1311. Et noviſſime S. Pius V. in Conſtit. quæ incipit, *Super gregem*, in qua prohibet Medicis viſitare infirmos, qui tertia die non confitentur; & niſi ſe id ſervaturos ſolemniter jurent, prohibet eos ad Doctoratum admitti: quas prohibitiones omnes Diocæſanæ ſynodi renovarunt, & continuo renovant, ipſique Eccleſiarum Prælati totis viribus obſervandas curant.

Pro III. Diſſertationis parte, in qua quæritur, cui facienda ſit confeſſio ſacramentalis ex præcepto eccleſiaſtico, ſemel ſcilicet in anno? Habemus decretum Concilii Lateranen. IV., quod nuper memoravimus, ſub Innocentio III. coacti, in quo legitur Can. 21. *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſemel ſaltē in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere; ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: Alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura .... Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare.*

Uſque modo loquuti fuimus de Confeſſione ſacramentali tanquam divino jure præcepta: At quia eadem eſt pariter eccleſiaſtico jure mandata, ideo aggredimur modo loqui de illa, prout eam nobis Eccleſia præcepit. Et quidem nulli dubium eſſe poteſt, quod Eccleſia habeat poteſtarem præcipiendi, aut ſaltem determinandi, Sacramentorum uſum; inſuper & ea,

quæ

Digitized by Google

quæ eorum reſpiciunt miniſtrationem, ac ſuſceptionem. Hoc ipſum declarat Trident.ſeſſ.21.cap.2.dicens: *Declarat, hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum, varietate, magis expedire judicaret. . . . Quare agnoſcens S. Mater Eccleſia hanc ſuam in adminiſtratione Sacramentorum authoritatem, licet ab initio chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, tamen progreſſu temporis latiſſimi jam mutata illa conſuetudine, gravibus, & juſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ authoritate pro libito mutare, non licet.*

Hoc igitur tanquam certo ſuppoſito, quæritur modo inter Theologos, an facta hypotheſi, quod non eſſet præcepta confeſſio facienda de jure divino, Eccleſia illam legitime præcipere potuerit, & an de facto præceperit, ac determinaverit tempus, quo ſit facienda? Et tres inveniuntur ſententiæ de hoc ipſo Theologorum, quarum prima eſt Durandi in 4. diſtin.17. q.8. num.7. ubi dicit, quod confeſſio ſacramentalis, ut eſt accuſatio omnium peccatorum, etiam internorum, non potuerit præcipi ab Eccleſia: Ac proinde vel non eſſe præceptum annuæ confeſſionis mere eccleſiaſticum, vel nullum eſſe præceptum, ſed tantummodo conſilium. Secunda ſententia vult, quod Eccleſia non potuerit præcipere ac determinare tempus faciendæ confeſſionis, niſi jam confeſſio facienda eſſet ex jure divino: Unde hujuſmodi opinionis patroni volunt, quod præceptum eccleſiaſticum confeſſionis annuæ ſit tantum determinatio, modificatio, ſeu applicatio divini præcepti ſervandi hoc, aut illo determinato tempore. Et hujus ſententiæ ſunt Soto in 4. diſtin. 18. q.1. art.1. concl.4. Et Canus in relectione de pœniten. p.5. Tertia tandem ſententia eſt docentium, quod præceptum confeſſionis annuæ non ſit ſola declaratio, aut determinatio juris divini, ſed ſit omnino eccleſiaſticum præceptum, ad cujus obſervantiam fideles omnes tenentur.

Dicimus II. Eccleſiam revera potuiſſe præcipere, ac de facto præcepiſſe confeſſionem faciendam ſingulis annis.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. *Sub Innocentio III.* Statuit: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: Et injunctam ſibi Pænitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte, de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis prædicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat.* In quibus verbis duo leguntur præcepta, primum ſcilicet, quod ſit facienda confeſſio; ſecundum vero, quod ſaltem ſit facienda ſemel in anno; et utrumque præceptum factum legitur ab Eccleſia: Ergo Eccleſia revera præcipere potuit, & de facto præcepit, confeſſionem faciendam ſingulis annis.

II. Probatur. Eo modo intelligenda eſt Concil. Lateran. declaratio de Sacramentalis confeſſionis præcepto, quo eam intellexit, atque declaravit Concil.Trid.; ſed Concil. Trident. eam intellexit, atque declaravit, quo nos proponimus modo: ergo quo nos proponimus modo eſt intelligenda. Probatur minor. Concil.Trident.ſeſſ. 14.cap.5. circa finem hæc docet: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.* Et quidem Tridentini verba cohærentur ad ea, quæ nos dicimus, intellexit Scotus, ſcilicet illius mentem explicavit, antequam ipſum Concilium aperiretur; Et hoc fecit in 4. ſententiarum diſt.17. n. 14. ubi habet: *De tertio articulo, quod Eccleſia præceptum illud, quantum ad aliqua prædictorum non ſpecificavit, & quantum ad aliqua ſpecificavit. Præci-*

Digitized by Google

pua autem ſpecificatio hujus præcepti invenitur in illo Capitulo extra: de Pænitent.., & remiſſ. omnis utriuſque ſexus. Et infra num. 28. *quod Eccleſia determinavit præceptum (divinum Confeſſionis) ſcilicet ſemel in anno.* Non ait Doctor; *Eccleſia præcepit Confeſſionem, ſed determinavit præceptum, ſcilicet divinum*.

III Probatur. Si quid obſtaret in Eccleſia, quod non potuiſſet confeſſionem præcipere, ex eo maxime eſſet, quia Eccleſia nequit nos obligare ad manifeſtationem eorum, quæ ſunt interna; Eccleſia enim auctoritatem non habet, niſi in externis, de quibus tantummodo judicat; Sed hæc ratio non obſtat; ergo &c. Probatur minor. Eccleſia legitime præcepit, quod facienda ſit communio; ſed communio fieri non poteſt, niſi eam procedat confeſſio; & confeſſio eſſe non poteſt, niſi ſit etiam de occultis, & internis peccatis: ergo Eccleſia poteſt præcipere confeſſionem, etiamſi in confeſſione aperiri debeant interna peccata.

Obſtat I. Si confeſſio non eſſet jure divino facienda, nec a Chriſto præcepta, non potuiſſet eam Eccleſia præcipere: ergo Eccleſia non habet poteſtatem præcipiendi confeſſionem. II. Qui præcepit ſubſtantiam confeſſionis, debuit etiam præcipere circumſtantias ejuſdem; ſed inter circumſtantias ejuſdem adnumeratur tempus confeſſionis faciendæ; ergo hanc circumſtantiam debuit præcipere Chriſtus, & non Eccleſia. III. Eccleſia præcipit confeſſionem quolibet anno faciendam, ſed non determinat tempus, quo facienda ſit: ergo præceptum Eccleſiæ circa confeſſionem faciendam remanet truncum, & imperfectum. IV. Qui non confeſſus eſt intra annum non tenetur confiteri ſtatim initio ſequentis anni: ergo præceptum Eccleſiæ de confeſſione facienda non obligat omni tempore. Probatur antecedens. Qui omittit recitare officium aliquo die non tenetur illud ipſum recitare die ſequenti: ergo qui omittit facere confeſſionem annualem non tenetur illam facere initio ſequentis anni. V. Qui prævidet ſe non poſſe adimplere confeſſionem annualem, quia futurus eſt in longinquam regionem, non tenetur illam adimplere, antequam itineri ſe committat: ergo præceptum Eccleſiæ de confeſſione annuali non obligat ſemper, & omni tempore. Probatur antecedens. Qui die Sabati prævidet, quod non poterit audire ſacrum die Dominica, non tenetur illud audire die Sabbati: ergo pariter, qui prævidet ſe non poſſe adimplere confeſſionem annualem non tenetur illam facere tempore præcedenti annum illum, quo urget hujuſmodi obligatio. VI. Eccleſia non poteſt præcipere ſubſtantiam confeſſionis; ergo neque circumſtantiam temporis.

Reſpondemus ad I. quod ideo Eccleſia non potuiſſet præcipere confeſſionem, ſi non fuiſſet a Chriſto inſtituta, atque præcepta, quia non potuiſſet per illam infundere gratiam habitualem, atque ſanctificantem, quam de facto infundit Chriſtus per illam; Et quia confeſſio eſt res maximæ difficultatis, & hæc maxima difficultas ſuperatur de facto per gratiam Chriſti, non potuiſſet in hypotheſi ſuperari per Eccleſiam. Et de facto quum multi ad præſens quaſi inſuperabilem patiantur repugnantiam ad confitendum, etiam ſi præceptum Chriſti, & gratia ipſius illis aſſiſtat, quanto magis ſi confeſſione a ſola Eccleſia inſtituta, atque præcepta, auxilium, quod modo habent, non haberent? Igitur ex hoc ſequitur, quod non potuiſſet Eccleſia inſtituere confeſſionem ſacramentalem eo modo, quo eam inſtituit Chriſtus, ac præcepit, ſi illam Chriſtus non inſtituiſſet, nec præcepiſſet.

Ad II. dicitur, quod ideo Chriſtus præcepit ſubſtantiam confeſſionis, & reliquit tempus determinandum Eccleſiæ ſuæ, quia ſubſtantia eſt res ſummæ difficultatis, & non poterat, niſi a Chriſto inſtitui, atque præcipi; Circumſtantia vero temporis non eſt res tam magnæ difficultatis, & ideo reliquit eam determinandam ab Eccleſia ſua.

Ad III. Eccleſia determinat tempus, hoc eſt per annum; ſcilicet, ut quolibet anno fiat ſacramentalis confeſſio. Qua vero anni parte adimpleri debeat, reliquit vel Chriſti fidelium arbitrio, vel Doctorum placito conſulendum. Quapropter quomodo annus ille computandus ſit, Fraſſen tom. 4. tract. 1. de Pæniten. diſp. 2. art. „ 3. ſect. 2, q. 2. hæc habet: „ Annum illum

,, illum poſſe computari ab uno Paſcha-
,, te ad aliud ſequens ; vel ab una Qua-
,, drageſima in aliam ſequentem ; vel a
,, die, quo emiſſa eſt ultima confeſſio
,, ad eumdem diem anni ſequentis :
,, communior tamen, & verior ſenten-
,, tia eſt, illum annum eſſe computan-
,, dum, juxta communem ſupputatio-
,, nem, a prima die Januarii uſque ad
,, ultimam Decembris. Prima pars con-
,, ſtat, quia quocunque ex tribus modis
,, aſsignatis ducatur exordium anni, ſi
,, intra illud ſpatium peccata quis con-
,, fiteatur, recte dicitur ſatisfeciſſe præ-
,, cepto annuæ confeſsionis per Latera-
,, nenſe Concilium præſcripto. Hoc ta-
,, men intellige de præcepto, & obli-
,, gatione per ſe, quæ ſcilicet oriatur
,, ex vi, & efficacia ipſius præcepti fa-
,, ciendæ confeſsionis ; Contingere
,, enim poteſt, ut per accidens, hoc eſt,
,, ratione præcepti ſuſcipiendæ Euchari-
,, ſtiæ, aliquis iterum confiteri teneatur
,, in quindena Paſchatis, quo tempore
,, viget præceptum faciendæ confeſsio-
,, nis ; ſi nempe aliquo mortali peccato
,, laboret, nec poſsit ad ſacram Syna-
,, xim accedere, niſi prævia confeſsione
,, facta, & ſuſcepta abſolutione ſacra-
,, mentali. Poſterior tamen pars com-
,, munior eſt, & ſecurior : Verba enim
,, legis accipienda ſunt, ſicuti ſonant,
,, niſi aliunde aliud obſtet : Hinc quan-
,, do Eccleſia præcepit faciendam an-
,, nuam confeſsionem, annus debet ac-
,, cipi ſecundum communem ſupputa-
,, tionem, quæ eſt a prima die Januarii
,, uſque ad ultimum Decembris.

Ad IV. Theologis probabilius videtur, quod qui non eſt confeſſus intra annũ, teneatur ſtatim confiteri initio ſequẽtis anni. Et rationem hanc aſsignat
,, præfatus Fraſſen. cit. loco : ,, Quan-
,, do enim tempus non præſcribitur, ut
,, terminus, quo præceptum expirat,
,, ſed tantum ultra quod protendi, ac
,, differri non debeat talis præcepti ex-
,, tentio, adhuc elapſo illo tempore,
,, præceptum iſtud obligat : Sic quando
,, præfigitur certum tempus alicui de-
,, bitori ad ſolvendum debitum, tranſa-
,, cto eo tempore, debitor ille manet
,, ſemper obligatus ad ſolvendum illud
,, debitum : Quippe cum tempus non
,, fuit illi præfixum, ut in eo debitum
,, expiraret, ſed ne ultra illud debiti
,, ſolutio differretur : Sed præfata Con-
,, ſtitutione Concilii Lateranenſis tem-
,, pus anni non ponitur, ut terminus,
,, quo præceptum expiret, ſed ultra
,, quod differri non debet adimpletio
,, præcepti confeſsionis ; verba enim il-
,, la, *ut ſaltem ſemel in anno confiteatur*,
,, æquipollent, ne ultra annum confite-
,, ri differat. Unde non tantum eſt præ-
,, ceptum affirmativum ſemel confi-
,, tendi ſingulis annis, ſed etiam nega-
,, tivum, ſcilicet non differendi ulte-
,, rius ; quod utique præceptum tranſ-
,, greditur, qui non ſtatim elapſo anno
,, confitetur, cum jam tam ſalubre re-
,, medium, ac medicamentum, ultra
,, quam par ſit, differat. Ex quibus pa-
,, tet, diſcrimen eſſe inter præceptum
,, faciendæ confeſsionis ſingulis annis,
,, & præceptum recitandi horas cano-
,, nicas, audiendi Sacrum diebus feſti-
,, vis, & Dominicis, nec non, & ſuſci-
,, piendæ Euchariſtiæ tempore paſcha-
,, tis; in his enim præceptis tempus præ-
,, ſcribitur, tanquam terminus illius
,, executionis, cui annexa ſit obligatio
,, illud opus implendi, tanquam tribu-
,, tum illius diei, & temporis : Unde
,, præceptum communionis paſchalis,
,, utpotè ſpecialiter latum, propter re-
,, verentiam, & celebritatem temporis,
,, expirat cum ipſo tempore; ſicuti præ-
,, ceptum audiendi Miſſam expirat
,, cum die Dominico, & Feſto.

Ad V. Negatur antecedens, & ad ejus probationem negatur paritas; & ratio diſparitatis eſt, quia obligatio audiendi Sacrum non incipit antequam incipiat dies, in quo cadit talis obligatio; Adeoque ſi tempus illud quis præveniret, obligationi ſuæ non ſatisfaceret. Obligatio autem confitendi, quia eſt annua, incipit a primo die anni, & perſeverat uſque ad ultimum anni diem ; Et hoc, non quia revera in illo primo die ſit obligatio confitendi, ſed quod a primo illo die ſit mihi liberum obligationi illi ſatisfacere. Quum ergo ex una parte ab illo primo die urgeat præceptum, ex altera ſit mihi libertas adimplendi illud, poſſum ab eodem illo die ego confiteri, & adimplere præceptum.

Ad VI. Tranſeat antecedens, & negatur conſequentia. Ratio eſt, quia ad ſubſtãtiam actus imperandam amplior, & major exigitur poteſtas, quam ad ejuſdem actus circumſtantiam determinandam ; Ut in reſponſione ad II. dictum eſt ; Adeoque poſteriorem po-

teſt

teſt facere Eccleſia, non vero priorem.

Pro illa autem Diſſertationis parte, iu qua quæritur, cui facienda ſit ſacramentalis confeſſio ex præcepto eccleſiaſtico? Certum eſt ex Concil. Lateranenſi IV. coacto ſub Innoc. III. anno 1215. quod fieri debeat *proprio Sacerdoti*; Ait Conciliũ, ut dictũ eſt, can. 21. *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter, ſemel ſaltem in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere; ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Eucariſtiæ Sacramentũ: Niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura . . . . Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit abſolvere, vel ligare*. Quæſtio igitur eſt inter Tbeologos, quis nomine proprii Sacerdotis intelligatur? Pro qua

Scire oportet, Sacerdotem dici proprium dupliciter, & prout opponitur Sacerdoti, qui eſt alienus, & prout opponitur Sacerdoti, qui eſt communis. Sacerdos proprius, ut apponitur alieno, eſt, qui habet auctoritatem ordinariam, & immediatam in populum ſibi ſubiectum; Cujuſmodi eſt Summus Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diæceſi, Parochus in ſua Parochia; Et ex oppoſito Sacerdos alienus eſt, qui nullam ratione ſui ſtatus auctoritatem habet erga populum Chriſtianum; quales ſunt regulares, & ſeculares Sacerdotes, qui nullum habent paſtorale officium regendi fideles. Inſuper Sacerdos proprius, prout opponitur communi, eſt ille, qui ex uſu, & praxi quotidiana fidelibus ſibi ſubditis Sacramenta diſpenſat, ut eſt Parochus quilibet in ſua Parochia; Et ex oppoſito Sacerdos communis eſt ille, cui incumbit generalis & communis ſollicitudo fidelium, & non ſolet uſu communi, & ordinario illis ſacramenta diſpenſare, quamvis poſſit. Controverſia igitur in eo eſt, an nomine proprii Sacerdotis intelligatur proprius Sacerdos, ut opponitur alieno, an vero intelligatur proprius Sacerdos, ut opponitur communi? Circa quam

Prima ſententia eſt illorum, qui per proprium Sacerdotem intelligunt Parochum, etiam cum excluſione Summi Pontificis, & Epiſcopi, & a fortiori cum excluſione Regularium, & Secularium Sacerdotum, qui nullum onus paſtorale habent. Pro hac ſententia fuit Joannes de Poliaco, Doctor Pariſienſis, qui ſcripſit, *quod ſtante edicto omnis utriuſque ſexus in Concilio generali, non poteſt Romanus Pontifex facere, quod Parochiani non teneantur peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, qui eſt Parochialis Curatus; Immo nec Deus hoc poteſt facere, quia implicat contradictionem*. Hanc tamen propoſitionem damnavit Joannes XXII. anno 1371. & ipſemet Joannes de Poliaco retractavit.

Secunda ſententia eſt illorum, qui volunt nomine proprii Sacerdotis venire etiam Regulares, ratione privilegiorum, quæ a Romanis Pontificibus obtinuerunt. Et hujus ſententiæ fuerunt Regulares quidam, qui cum exceſſu ſcribentes, in aliquibus ab Alexandro VII. 1659. cenſura notati ſunt.

Tertia tandem ſententia eſt media inter duas haſce extremas, & eſt illorum, qui volunt, nomine proprii Sacerdotis a Concilio Lateranenſi intelligi Parochum uſu communi, qui ex officio ſolet ſuis Parochianis diſpenſare Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ; At non per hoc voluiſſe Concilium quidquam derogare juribus Summi Pontificis, & Epiſcoporum, quos contineri etiam non ignorabat ſub proprii Sacerdotis nomine, & qui proinde poſſunt, vel per ſe ipſos, vel per delegatos, ſuorum fidelium confeſſiones excipere.

Pergit modo Tournely aliqua enumerare, ac ſupponere, quæ, ut aſſerit, tanquam certa, & explorata a defenſoribus hujus tertiæ ſententiæ ſupponuntur. Et hæc exponimus verbis iiſdem, quibus ab eodem Scriptore recitantur: „ I. Parochum uſu communi ac recepto proprium appellari Sacerdotem. II. Parochos, quanquam juris ſint divini, inferiores eſſe Epiſcopis. III. S. Pontificem & Epiſcopos vero & proprio ſenſu dici, & eſſe proprios Sacerdotes, qui habent a Chri-

„ Chriſto immediatam ligandi, & ſol-
„ vendi auctoritatem: proprii enim Sa-
„ cerdotis officium in proprii Epiſcopi
„ dignitate continetur, ait Clerus Gal-
„ licanus in Epiſtola encyclica ſcripta
„ anno 1655. die 25. Aprilis. IV, Poſſe,
„ & S. Pontificem, & Epiſcopos, pro ju-
„ re ſuo, quibus voluerint idoneis Sacer-
„ dotibus, ſive regularibus, ſive ſecula-
„ ribus, dare facultatem excipiendi fi-
„ delium confeſſiones. V. Eas SS. Pon-
„ tificum Conſtitutiones, quibus indul-
„ gent Regularibus facultatem audiendi
„ confeſſiones, etiam ſine licentia, &
„ approbatione Epiſcoporum, quales
„ editæ ſunt ſub Alexandro IV. anno
„ 1256. Clemente IV. an. 1265. Bonifa-
„ cio VIII. an. 1295. Benedicto XI. an.
„ 1304. &c, jam per Concilium Triden-
„ tinum abrogatas, & revocatas eſſe;
„ neque poſſe amplius in quæſtionem, &
„ controverſiam adduci, an neceſſaria
„ ſit Regularibus Epiſcoporum appro-
„ batio, ut valide audire poſſint fide-
„ lium confeſſiones: illis enim omnino
„ neceſſariam eſſe, ac poſſe Epiſcopos
„ eam vel concedere, vel denegare, vel
„ ad tempus limitare, nemo jam non
„ fatetur. VI. Privilegia, quibus SS. Pon-
„ tifices concedunt Regularibus faculta-
„ tem indefinitam, & nullo reſtrictam
„ tempore, excipiendi confeſſiones, vim,
„ & effectũ ſuum ſortiri, ſi accedat Epi-
„ ſcoporum approbatio, quæ ſi indefini-
„ ta pariter fuerit, nec limitata, confeſ-
„ ſio paſchalis his Regularibus facta lici-
„ ta erit, atque ex illa parte valida. Si-
„ cut enim nulla foret, ſi Epiſcopus ex-
„ ciperet tempus paſchale; ità valida
„ cenſeri debet, ſi tempus illud non ex-
„ cipiat; Dubitari etenim non poteſt, ut
„ jam dictum eſt, quin Epiſcopi jus ha-
„ beant limitandi ad certum tempus
„ approbationem ſuam, & excipiendi
„ tempus ipſum paſchale, ſi voluerint:
„ jus illud apud nos certum, & incon-
„ cuſſum eſt; Utrum vero expediat
„ Epiſcopos hoc ſuo jure uti, & in ap-
„ probatione Regularium excipere tem-
„ pus paſchale, res eſt prudentiæ, œco-
„ nomiæ, & charitatis, cujus leges ipſis
„ præſcribere noſtrum non eſt, a quibus
„ debemus eas accipere: norunt illi,
„ multa eſſe licita, quæ non expediunt;
„ Sibique a Chriſto Domino datam au-
„ ctoritatem, non in deſtructionem, ſed
„ in ædificationem. VII. Jura Parochorũ
„ ſervanda eſſe, atque eorum conſen-
„ ſum rogandum ab iis, qui alieno Sa-
„ cerdoti confiteri voluerint, juxta
„ præſcriptum Lateranenſe: atque ut
„ unicuique quod ſuum eſt reddatur, &
„ qua fieri poteſt faciliori, & tutiori
„ ratione cõponatur rectius iſtud diſſi-
„ dium inter Parochos, Epiſcopos, &
„ Regulares pro confeſſione paſchali,
„ optimum iſtud perpetuæ concordiæ
„ vinculum futurum nobis videtur, ſi
„ Epiſcopi ex una parte in litteris ſuis
„ approbationis clauſulam iſtam ſem-
„ per inſerant, *de conſenſu Parochorum*;
„ Et Parochi ex altera, quaſi ex publico
„ quodam condicto, eoipſo conſenſum
„ ſuum dediſſe cenſeantur Regularibus
„ ad excipiendam paſchalem ſuorum
„ Parochianorum confeſſionem, quo
„ approbati illi ſunt ſine ulla limitatio-
„ ne ab Epiſcopis. Ita ſuum unicuique
„ jus ſervabitur, ſedabuntur conſcien-
„ tiarum ſcrupuli, lites evaneſcent, &
„ pax Chriſti vincet in cordibus om-
„ nium. VIII. Denique, eas SS. Pontifi-
„ cum Conſtitutiones, quæ a facultate
„ quam conferunt Regularibus, audien-
„ di confeſſiones, excipiunt tempus Pa-
„ ſchale, quales ſunt Innocentii IV. an.
„ 1250. Martini IV. an. 1281. Benedicti
„ XI. an. 1304. Sixti IV. an. 1478. Inno-
„ centii VIII. an. 1490. nullum inferre
„ præjudicium auctoritati aliorum SS.
„ Pontificum, in concedenda Regulari-
„ bus licentia audiendi paſchalem con-
„ feſſionem, accedente Epiſcoporum
„ approbatione. Ita Joannes XII. anno
„ 1321. Alexander V. an. 1409. Leo X.
„ an. 1592. Innocentius X. an. 1649. Ale-
„ xander VII. an. 1659. Clemen. IX. an.
„ 1670. quorum Conſtitutiones cum
„ aliis mox dictis conciliari poſſunt,
„ Dici quippe non immerito poteſt,
„ priores Conſtitutiones attendiſſe dun-
„ taxat ad uſum ordinarium, & com-
„ munem; & per *proprium* Sacerdotem
„ intellexiſſe Parochum, qui ex uſu &
„ praxi quotidiana Sacramentum Pæni-
„ tentiæ diſpenſat, ſalvo tamen jure
„ S. Pontificis, & Epiſcoporum: poſte-
„ riores vero attendiſſe ad illud jus S.
„ Pontificis, & Epiſcoporum.

Dicimus III. in Can. *utriuſque ſexus* proprium Sacerdotem intelligi Parochum, at cum incluſione Summi Pontificis, Epiſcopi, & illorum, qui ab iiſdem ſunt Delegati.

I. Concluſionis pars probatur I. in Can. 32. ejuſdem Concilii Lateranenſis IV,

pro-

Digitized by Google

proprius Sacerdos intelligitur Parochus: ergo pariter in Can.21. de quo loquimur. Probatur antecedens. In Can.32. hæc leguntur: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Eccleſiæ, quæ curam proprii Sacerdotis debet habere, penſionem alii quaſi pro beneficio conferre præſumat*: Sed in his verbis proprius Sacerdos eſt Parochus: Ergo &c. Probatur Minor: Parochi tantum eſt decimas a Parochianis exigere, quia ad ipſum ſpectat Parochianis Sacramenta miniſtrare: ergo &c.

II. probatur. Cauſſa condendi Canonis omnis *utriuſque ſexus* fuit quorundam Parochorum avaritia, qui paſchali tempore Parochianis non ſuis Sacramenta miniſtrabant, & ab iiſdem decimas exigebant; Unde Concilium decrevit, hoc tantum ſpectare ad proprium Sacerdotem, qui eſt Parochus illius Parochiæ: ergo ex motivo, quod impulit Concilium ad Canonem illum condendum, aperte eruitur Concilium in præfato Canone ſub nomine proprii Sacerdotis Parochum intellexiſſe. Argumentum fundatur in eo, quod refert Theodulphus, Epiſcopus Aurelianenſis, in ſuo Capitulari cap. 14. & in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. cap. 48. & 68. & in aliis monumentis, quæ refert cit. Tournely.

III. Probatur. Alia cauſſa, quæ impulit præfatum Concilium ad Canonem illum condendum, fuit aliquorum Regularium cupiditas, qui Parochis ſua jura uſurpare tentabant, abſque eo quod haberent delegationem aliquam, vel privilegium, in quibus poſſent ſuam intentionem fundare; quod teſtatur Abbas Uſpergenſis in Chronico pag. 343. *Inter eos erant Humiliati dicti, qui nulla habita auctoritate, aut licentia Prælatorum, mittentes falcem in meſſem alienam, populis prædicabant, & vitam eorum plerumque regere ſatagebant, & confeſſiones audire, & miniſteriis Sacerdotum derogare*. Igitur, ſi decrevit, ut unuſquiſque fidelis ſemel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, vel alieno de ejus licentia, proprius Sacerdos ille eſt intelligendus, qui opponitur extraneo, ſeu alieno, qui nullam habet animarum curam, & nullam a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, accepit auctoritatem, vel delegationem; cujuſmodi erant illi Regulares, qui dicti ſunt ab Abbate Uſpergenſi *Humiliati*.

IV. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius IV. in Conſtitutione, quam dedit Neapoli an. 1250. in executionem Canònis Lateranenſis decrevit, quemlibet fidelem confiteri debere ſemel in anno proprio ſuo Parocho, & aliter docere Regularibus omnino prohibuit. Martinus IV. an. 1281. in Conſtit. *ad Uberes*, præcepit: *Volumus, ut qui Fratribus confitebuntur, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, teneantur*. Benedictus XI. in extrav. *inter cunctas* anno 1304. Sixtus IV. in Conſtit. *vices illius* ann. 1478. Innocentius IV. an. 1490. propter concionem, quam habuerat Frater Angelus Minorita ſcripſit, ac præcepit Officiali Tournacenſi: *Ne Mendicantes de cætero Parochianos a confitendo eorum peccata Rectoribus Parochialibus abſtrahere, & eosdem ad id non teneri prædicare præſumant*.

V. Probatur ex Conciliis, & ſunt plurima particularia, quæ refert Tournely,
„ nimirum Synodus Toloſana an. 1228.
„ Can. 13. Biterrenſis an. 1256. Can. 46.
„ Arelatenſis an. 1260. Can. 16. Senonen-
„ ſis an. 1269. Can. 4. Arelatenſis anno
„ 1275. Can. 19. 20, & 21. Colonienſis
„ an. 1280. cap. 8. Rothomagenſis anno
„ 1299. Can. 6. Lingonenſis anno 1452.
„ Narbonenſis an. 1551. Can. 50. Came-
„ racenſis eodem anno, Mediolanenſis
„ ſub S. Carolo an. 1565. part: 2. tit. 6.
„ Remenſis an. 1583. cap. de Pænitentia.
„ Aquenſis an. 1585. Burdigalenſis an.
„ 1624. Can. 3.

II. Concluſionis pars probatur I. ex Romanis Pontificibus, qui pluribus Conſtitutionibus dederunt facultatem Regularibus audiendi annuam fidelium confeſſionem; Quanvis etiam concedatur a Concilio Tridentino abrogatas fuiſſe illas, quæ eam concedebant etiam non petita, neque obtenta Epiſcoporum licentia, & approbatione. Joannes XXII. in Conſtitutione *vas electionis* anno 1321. damnavit propoſitionem hanc Joannis de Poliaco: *Stante dicto, omnis utriuſque ſexus in Concilio generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri*. Leo X. in Conſtitutione *Dudum intra mentis arcana*

anno

Digitized by Google

an. 1516. & ejus Conſtitutio in Concilio Lateranenſi V. lecta fuit, & approbata: *Poſſint illi per eosdem Epiſcopos, & Prælatos, ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinatis talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebite recuſatis, Confitentes, Conſtitutioni, quæ incipit, omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſeantur*. Clemens VIII. an. 1592. ſtatuit: *Præſenti decreto ſancimus, licere ſecularibus Chriſtifidelibus univerſis libere miſſas audire &c. & tam dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis; quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam quadrageſimali, & paſchali, & quovis alio tempore, confiteri licite poſſe; dummodo tamen iidem ſeculares Chriſtifideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant*. Innocentius X. an. 1645. confirmavit Sacræ Congregationis Concilii decretum, quo ſtatutum fuerat, Archiepiſcopum Burdigalenſem: *non poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia apoſtolica, quin a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive adminiſtrare valeant ſecularibus perſonis Sacramentum confeſſionis*. Alexander VII. an. 1659. confirmavit ſimul cenſuram latam a ſuprema generali romana Inquiſitione ſequentis propoſitionis, quam Regulares Andegavenſes propugnaverant: *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad Miſſas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quæ in Catecheſibus annunciantur, & docentur*: Et ſimul hanc clauſulam adjecit: *Quoad primam, & ſecundam partem ſimpliciter accepta, eſt erronea, & temeraria; ſuppoſitis vero privilegiis apoſtolicis, nullam meretur cenſuram. Et quoad tertiam partem, de auditione Verbi Dei, ſervetur diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini*. Clemens X. an. 1670. Conſtitutione *Superna* undecimo Kalendas Junii declaravit: *Regulares ſimpliciter ab Ordinariis approbatos poſſe in Diæceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paſchali, & quorumcunque etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia: de qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos eorumdem infirmorum Parochum illico certiorem reddere; & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis a facultate audiendi confeſſiones præcipi: ſufficere tamen ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam: & eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit, omnis utriuſque ſexus, quoad confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos.*

II. Probatur ex Conciliis, præcipue Gallicanis. Synodus Claromontana an. 1263. *Proprium autem Sacerdotem dicimus duobus modis: ex officio, utpote Papam, Epiſcopum, & Curatos. Vel ex commiſſione, ſicut Fratres Prædicatores, & Minores, quibus Epiſcopus commiſerit vices ſuas*. Lingonenſis an. 1452. *Volumus, quod in fine publicationis Conſtitutionis prædictæ, nempe Canonis Lateranenſis, ſubinſeratur & publice, quod per hoc non intendimus præjudicare privilegiis ſuper audiendis confeſſionibus eisdem Fratribus conceſſis, ſubjungendo quod Fratres nobis præſentati poſſunt audire confeſſiones libere, & Confitentibus eisdem pœnitentias ſalutares impertiri de commiſſis. Item ne remaneat aliqua hæſitatio, quis proprius dicatur Sacerdos, declaramus, prout Doctores, & jura declarant, quod proprius Sacerdos eſt Papa, ejus Legatus, Epiſcopus, & Pœnitentiarius Diæceſanus, & ejus Vicarius Generalis; & ille, cui cura parochialis Eccleſiæ commiſſa eſt, ſive Rector, ſive Vicarius*. Atrebatenſis an. 1490. titulo de Sacramento Pænit. ubi poſtquam promulgavit Canonem Lateranenſem, ſic addit: *Per hoc tamen præjudicare non intendimus illis, quibus a Sede Apoſtolica eſt indultum, quod confeſſiones audiant, vel audire valeant, ſibi confiteri volentium, quominus ea poteſtate uti valeant, non obſtante hujuſmodi propoſitione, ſecundum quod antea de jure poterant, vel valebant*. Toloſana an. 1530. *Injungimus omnibus confiteri volentibus, ut proprio Sacerdoti confiteantur. Proprium Sacerdotem dicimus S. Pontificem, Epiſcopum, & generaliter omnes alios Sacerdotes a prædictis legitime approbatos*. Rothomagenſis an. 1581. cap. 37. *Nullus Sacerdos, atque*

etiam Regularis, nequidem in ſuo Conventu audeant, maxime per omne tempus Quadrageſimæ, & octavas Paſchæ, audire confeſſiones quorumcunque, & aliquem abſolvere, niſi de licentia Epiſcopi expreſſa, atque etiam in ſcriptis habita. Synodus Trecẽſis an. 1592. exarſit contra Parochos, qui legibus ſuis ſub excommunicationis pœna prohibuerant, ne tempore paſchali Euchariſtiam ſumerent, niſi prius confeſſi fuiſſent, vel ſibi, vel illis, quibus ipſi tradiderant poteſtatem: Unde dicit Synodus: *Quæ quidem inhibitio temeraria videtur quia quamplurimi Sacerdotes, atque Religioſi habent poteſtatem a Sancto Domino noſtro Papa, & a Domino Epiſcopo Trecenſi, audiendi confeſſiones omnium ſibi confiteri volentium.*

III. Probatur. Per Can. *omnis utriuſque ſexus*, proprius Sacerdos eſt, vel Parochus, vel qui fuerit ab ipſo delegatus: Ergo ex ejuſdem Canonis mente proprius Sacerdos eſt etiam, qui eſt a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo delegatus; ſed hujuſmodi ſunt Regulares, qui privilegia a Summis Pontificibus obtinuerunt, & delegationem ab Epiſcopis obtinent: Ergo per Can. *omnis utriuſque ſexus* non excluduntur Regulares hujuſmodi, ſed potius comprehenduntur. Antecedens patet ex verbis ejuſdem Canonis, quibus dicitur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe ſolvere non poſſit, vel ligare.* Conſequentia ſequitur; quia ſi hanc licentiam & delegationem de mente Concilii dare poteſt Parochus, a fortiori poteſt illam dare Summus Pontifex, vel Epiſcopus.

Opponunt I. Privilegia Pontificum, & Delegationes Epiſcoporum, non poſſunt facere, ut qui non eſt Parochus ſit Parochus; ſed ex concluſione noſtra hoc ſequeretur: Ergo ſecunda concluſionis noſtræ pars opponitur primæ, & pariter Canoni prædicto adverſatur. II. Canon Concilii Lateranenſis inutilis eſſet, ſi proprii Sacerdotis nomine venirent Regulares, etiam ab Epiſcopis delegati: ergo ne hoc ſequatur, dicendum eſt, quod proprii Sacerdotis nomine Regulares delegati non veniant. III. Quod eſt juris divini nequit ab hominibus, quacunque fulgeant dignitate, & poteſtate, impediri; ſed auctoritas Parochorum eſt juris divini: ergo, quod ad eoſdem ſpectat, nequit ab hominibus, quacunque fulgeant dignitate, ac poteſtate, minui, deſtrui, vel immutari. IV. Omnia privilegia Regularium pro excipiendis Fidelium confeſſionibus a Concilio Tridentino revocata ſunt: ergo pariter ſunt revocata illa, quæ nos in probationibus adduximus pro comprehenſione Regularium ſub nomine proprii Sacerdotis, prout dicitur in Can. *omnis utriuſque ſexus*. V. Academia Pariſienſis, & Clerus Gallicanus, non acceptarunt decreta Summorum Pontificum pro Regularibus: ergo ſignum eſt, quod nullius ſunt valoris. VI. Canon *omnis utriuſque ſexus* eſt lex Concilii generalis: ergo non poſſunt illam infringere Regulares quicunque, nec ſub prætextu privilegiorum, nec ſub obtentu delegationis.

Reſpondemus ad I. Per Concilii Lateranenſis canonẽ intelligi nomine proprii Sacerdotis, & illũ, qui Parochi munus adimpleat ex proprio officio, & illum, qui Parochi munus exerceat ex delegatione illorum, qui eidem poſſunt id muneris delegare. Unde non fit, ut qui abſolute Parochus non eſt, Parochus ſit; ſed fit ſolummodo, ut qui Parochus non eſt ex proprio munere, Parochi munus exerceat ex delegatione illius, qui poteſt illum delegare. Si enim Gallicani Epiſcopi fatentur, quod proprii Sacerdotis officium in proprii Epiſcopi dignitate continetur, ut refertur apud Tournely; Hic idem recte infert, eos Canoni Lateranenſi ſatisfacere, qui vel S. Pontifici, vel Epiſcopis, aut ab ipſis Delegatis, & approbatis, ſine ulla reſtrictione ſua confitentur peccata.

Ad II. dicitur, non fuiſſe otioſum Canonem Concilii Lateranenſis: Fuit enim opportunus, & ad opprimendam illorum Parochorum cupiditatem, qui ratione confeſſionis annuæ, ad ſe pertrahebant alienas oves; ab ipſis oblationes, & decimas exigebant; & alia ſimilia prætextu illo peragebant, quibus ſua commoda conſequebantur. Fuit etiam opportunus ad reprimendam nonnullorum Regularium temeritatem, qui ab Epiſcopis nec petita, nec obtenta facultate, Parochorum jura uſurpabant.

Ad

Ad III. dato, quod quæ ad Parochos ſpectant ſint juris divini, negari tamen non poteſt, quod juris divini pariter ſint, quæ ſpectant ad Epiſcopos, & ad Summum Pontificem, quibus Parochi ex jure pariter divino ſunt inferiores, & ſubordinati. Quis enim neſciat, quod Summus Pontifex in tota Eccleſia, & quilibet Epiſcopus in ſua Diæceſi, ſit proprius Sacerdos, & quidem præſtantiori modo, quã Parochi? Sed hoc non niſi, quam quia ſuperiorem, & immediatam habent a Chriſto Domino ligandi, atque ſolvendi poteſtatem; Et quia hæc ipſorum poteſtas in ſe continet auctoritatem omnem, quæ in Parochis omnibus reperitur.

Ad IV. Concilium Tridentinum revocavit omnia privilegia Regularium pro audiendis Fidelium confeſſionibus, quando non eſt licentia, & approbatio Epiſcoporum; ſecus vero, quando licentia Epiſcoporum accedit, atque conſenſus. Et revera poſt ſtatutum Concilii Tridentini ſeſſ. 23. de reform. cap. 15. Huic præſenti controverſiæ datus eſt finis; Quia vel Regulares approbati ſunt ab Epiſcopo ſine ulla limitatione temporis, vel cum limitatione temporis paſchalis: Si primum, paſchali tempore poſſunt audire utriuſque ſexus confeſſiones: Si ſecundum, non poſſunt audire. Inſuper vel Epiſcopus approbat Regulares pro tempore paſchali ſub conditione, ut fidelis teneatur licentiam, & conſenſum proprii Parochi rogare, vel ſine hac conditione; Si primũ, neceſſe eſt, ut hic conſenſus petatur, & obtineatur: Si ſecundum, non eſt neceſſe.

Ad V. Cleri Gallicani, & Academiæ Pariſienſis commotiones non inde provenerunt, quia immodica putabant privilegia Regularibus conceſſa, ſed quia videbant, quod Regulares iiſdem privilegiis cum exceſſu abutebantur. Nullam enim volebant dependentiam ab Epiſcopis agnoſcere, nullam ab iiſdem recipere delegationem. Igitur, ut concludit Tournely, & ipſe ex Clero Gallicano unus, & ſacræ facultatis Pariſienſis Doctor, & Socius Sorbonius: „Non negavit ergo
„ Clerus Gallicanus, quin poſſint Regu-
„ lares, accedente Epiſcoporum licen-
„ tia, audire fidelium confeſſiones; imo
„ expreſſe in Comitiis anni 1655. id ſibi
„ juris ineſſe docent Epiſcopi, adverſus
„ quoſdam Parochos, qui indulgere no-
„ lebant Regularibus facultatem exci-
„ piendi ſuorum Diæceſanorum paſcha-
„ lem confeſſionem.

Ad VI. Sub his verbis reſpondet citat. Tournely diſt. ant. „in his, quæ ſpectant
„ fidem, & mores concedo: quæ ſpe-
„ ctant diſciplinam, ſubdiſtinguo: Si
„ Eccleſia poteſtatem non fecerit Epiſ-
„ copis, diſciplinam, prout expedire
„ judicaverint, immutandi, concedo:
„ Secus, nego. Porro decretum Late-
„ ranenſe ad diſciplinam ſpectat, non
„ ad fidem „. At nos aliter reſpondemus, quia quum Regulares privilegia a Summis Pontificibus obtinuerint, & Summi Pontifices ſint generalibus Conciliis ſuperiores, non eſt cur quis dubitet, poſſe illos generalis Concilii Canoni, vel derogare, vel diſpenſare, vel illum eumdem explicare. Et quidem revera explicant, quia in Canone Lateranenſi per proprium Sacerdotem ita Parochus intelligitur, ut nec Summus Pontifex, nec Epiſcopi excludantur: Unde fit, ut nihil faciant contra Concilii generalis ſtatutum Epiſcopi illi, qui Regulares deputant excipiendis Fidelium confeſſionibus pro qualibet anni parte, etiam pro tempore paſchali.

Pro aliis demum Diſſertationis partibus, ſcilicet a quibus facienda ſit confeſſio, & de quibus, inquirendum venit. I. an ſoli, & omnes baptizati, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, teneantur ad præceptum annuæ confeſſionis, ſi aliquod mortale peccatum commiſerint? II. an qui ſola venialia peccata commiſerunt, teneantur ex præcepto eccleſiaſtico ad annuam confeſſionem? Pro quibus

Dicimus IV. ſolos, & omnes baptizatos, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ad præceptum annuæ confeſſionis, ſi aliquod mortale peccatum commiſerint.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe præfatum ſub Innocentio III. hæc præcipit: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: Et injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacra-*

mentum, niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis prædicetur, ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. explicans Concilium Lateranenſe, hæc habet: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.*

II. Probatur. Illi tenentur ad annualem ſacramentalem confeſſionem, eccleſiaſtico præcepto inſtitutam, qui legibus Eccleſiæ ſunt ſubjecti; Atqui ſoli, & omnes baptizati legibus Eccleſiæ ſunt ſubjecti: ergo ſoli, & omnes baptizati, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ad præceptum annuæ confeſſionis tenentur, ſi aliquod peccatum mortale commiſerint. Major eſt certa, quia quum præceptum annuæ confeſſionis ſit eccleſiaſticum, illos tantum obligat, qui legibus Eccleſiæ ſubjiciuntur. Minor etiam patet, quia de Infidelibus, qui nondum adhuc ſunt baptizati, dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi eſt de his, qui foris ſunt, judicare?*

III. Probatur. Si præceptum annuæ confeſſionis alios obligaret præter illos, quos diximus, maxime eſſent vel pueri, qui nondum ad annos diſcretionis pervenerunt, vel infideles, qui extra Eccleſiam ſunt, vel illos, qui mortaliter non peccaverunt; ſed hos non obligat: ergo tantum obligat illos, quos in Concluſione diximus. Probatur minor. Et quidem de pueris, qui nondum ad annos diſcretionis pervenerunt, nulla poteſt eſſe obligatio, quia uti ſunt incapaces, ut plurimum, peccandi, ita ſunt incapaces pænitendi. De infidelibus vero, quanvis Fraſſen dicat, quod teneantur ad confeſſionem, ſaltem ex divino præcepto, ſicuti tenentur ad baptiſmum: Hoc tamen non eſt ad rem, quia quicquid ſit an teneantur ex divino præcepto infideles, certum eſt ex eccleſiaſtico præcepto non teneri, a quo non comprehenduntur: Nos autem loquimur non de divino, ſed de eccleſiaſtico præcepto, a quo annua ſacramentalis confeſſio pendet. Pro his vero, qui nunquam mortaliter peccaverunt, ſubſequentem ponimus concluſionem.

Dicimus V. Illos, qui tantum venialiter peccant, non teneri ad annuam confeſſionem ex eccleſiaſtico præcepto.

I. Probatur. Concilia expreſſe loquuntur de illis, qui mortaliter peccaverunt, & hos volunt ad annuam confeſſionem teneri, ut patet ex verbis allati Concilii Lateranenſis, & Concilii Tridentini: ergo non debet fieri extenſio ad illos, qui mortaliter non peccaverunt: Sed qui venialiter tantum peccant per hoc præciſe mortaliter non peccant: ergo qui venialiter tantum peccant, ad annuam confeſſionem non tenentur.

II. Probatur. Eccleſia utitur ſacramentali confeſſione tanquam ſecunda tabula poſt naufragium; ſed hæc ſecunda tabula eſt neceſſaria tantum pro mortalibus, non vero pro venialibus: ergo qui tantum habet venialia, & non habet mortalia, ex præcepto eccleſiaſtico non tenetur ad annuam confeſſionem. Major eſt doctrina Patrum, immo, & ipſiuſmet Concilii Tridentini. Minor negari non poteſt, quia tabula ſupponit naufragium, naufragium autem inducitur a mortalibus, non vero a venialibus. Conſequentia ſequitur.

III. Probatur. Qui præceptum Eccleſiæ de annua confeſſione non ſervant, graviſſimis pænis ab Eccleſia ſubjiciuntur; Sed non videtur æquum, ut qui habet tantum venialia graviſſimis pænis ſubjiciatur: ergo qui habet tantum venialia, ad præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis non tenetur. Probatur major. Inter alias pænas, quibus ſubjicit Eccleſia non ſervantes præceptum annuæ confeſſionis, adnumeratur ejectio ab Eccleſia, & privatio eccleſiaſticæ ſepulturæ; ſed hæ ſunt pænæ graviſſimæ, quibus rationabile non videtur, ut ſubjiciantur illi, qui venialiter tantum peccant: Ergo &c.

Opponunt I. Canon Lateranenſis Concilii æqualiter obligat pueros ad annuam con-

feſſionem, & ad ſacramentalem communionem; ſed ad ſacramentalem communionem non obligantur, ſtatim ac ad rationis uſum pervenerint: ergo neque ſtatim ac ad annum diſcretionis pervenerint, ad annuam confeſſionem obligantur. II. Infideles tenentur non peccare: ergo ſi peccant tenentur ad confeſſionem. Probatur antecedens. Infideles tenentur ad ſuſcipiendam fidem & baptiſmum: ergo ſi non ſuſcipiunt, peccant: ergo, ſicut tenentur ad baptiſmum, ita tenentur ad confeſſionem. III. Paſtores debent cognoſcere vultum ovium ſuarum; ſed æqualiter ſunt oves tam illæ, quæ mortaliter peccant, quam illæ, quæ peccant venialiter: ergo etiam illæ, quæ venialiter tantum peccant, tenentur ad annuam confeſſionem. IV. Confeſſio habet pro fine, ut cum majori reverentia, & animæ puritate accedatur ad Euchariſtiæ Sacramentum percipiendum; ſed qui confitetur venialia cum majori reverentia, & animæ puritate, ad Euchariſtiæ Sacramentum percipiendum accedit: ergo ſaltem ex hoc fine, qui habet tantum venialia, ad præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis tenetur.

Reſpondemus ad I. Æqualiter teneri pueros, cum ad annos diſcretionis pervenerint, & ad annuam confeſſionem, & ad ſacramentalem communionem; Et quamvis ab hac aliquando a prudenti Confeſſario diſpenſentur, propter rationabilē cauſſam, quam fortaſſis habent, quia ſcilicet non ſatis agnoſcunt ſacratiſſimæ Eucariſtiæ dignitatem; non per hoc tamen diſpenſari poſſunt a confeſſione, quia pro annua confeſſione non eſt illa rationabilis cauſa, quę eſt pro euchariſtica communione. Et hæc diſparitas, quæ adducitur a Cardinali de Lugo diſp. 15. n.151., eruitur ex verbis ipſiuſmet Canonis, ubi communio præcipitur cum hac limitatione, cum qua non præcipitur annua confeſſio: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*.

Ad II. Infideles etſi peccent, remedium tamen habent quorumcumque peccatorum per baptiſmum, per quem delentur omnia peccata, & originale, & mortalia commiſſa ante baptiſmum. Non eſt ergo ratio, ut obligentur ad ſacramentalem confeſſionem, ſaltem illam annuam, quæ ex præcepto eccleſiaſtico baptizatis omnibus imponitur, qui poſt baptiſmum mortaliter peccaverunt.

Ad III. Sic apud Fraſſen reſpondet Scotus, qui ſibi hanc facit objectionem:
„ Quomodo ergo Sacerdos cognoſcet
„ vultum pecoris ſui, ſi ille, qui dixit
„ ſe vixiſſe innocenter, non tenetur
„ confiteri venialia ſua? Et reſpondet:
„ ſi quis ſibi confiteretur ſolum venialia, ex quo cognoſcet ipſum non feciſſe, niſi venialia? Ex nullo, niſi ex
„ confeſſione ſua. Unde extrav. de
„ offic. ordinarii, cap. ſignificavit: *Confitenti pænitentialiter in omnibus credendum eſt; quia non eſt veriſimile, quod
„ quis ſit immemor ſuæ ſalutis*: ergo ſi
„ eodem modo credat venienti, & dicenti: Domine regratior Deo, quia
„ ex quo fui ultimo confeſſus, non habeo conſcientiam de peccato mortali:
„ Date mihi Euchariſtiam, & in iſta Pænitentia tantam habet cognitionem
„ vultus pecoris, quantam ſi narraſſet
„ venialia per duos dies; nec aliam certitudinem poſſet habere de propriis
„ venialibus, ſi confiteretur, quam
„ modo habet de innocentia ejus, ſcilicet per proprium teſtimonium ejus.
„ Hæc Doctor. Quibus aperte docet,
„ eum, qui duntaxat habet peccata venialia, non teneri ad annuam confeſſionem, ex præcepto Eccleſiæ. Idem
„ docet S. Thomas in hac diſt. q. 3. art.
„ 1. quæſtiuncula 3. ad 3.„

Ad IV. Dicitur, quod hæc major reverentia, & animæ puritas in ſuſcipiente ſaltem euchariſtiam haberi poteſt per alia media, quæ nobis proponit Eccleſia, quam per ſacramentalem confeſſionem. Unde etſi majoris perfectionis ſit confiteri venialia antequā quis ad ſacram Euchariſtiam accedat, non eſt tamen neceſſitatis, ut per medium confeſſionis ad illam percipiendam ſe præparet, quum per alia media præparare ſe poſſit, quæ ipſi proponit, & exhibet Eccleſia.

DIS-

DISSERTATIO CCCLXXVII.

De integritate Confeſſionis ſacramentalis. An ſit neceſſaria integritas formalis? An ſit neceſſaria integritas materialis? An ſint aperiendæ omnes circumſtantiæ peccatorum?

Sexdecim enumerant Theologi ſacramentalis Confeſſionis proprietates, quæ his verſibus comprehenduntur.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Nec non nuda, frequens, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

QUÆ quidem omnes ſequentibus verbis à S. Bonaventura in quarto diſtin. 21. par. 2. ad 3. explicantur: Sufficientia, & numerus harum conditionum po-
„ teſt accipi ſic: quædam enim ſunt
„ conditiones, quæ ſunt, & debent eſſe
„ in confeſſione ſecundum ſui rectam
„ quantitatem. Si ſecundum rectam
„ quantitatem, hoc rripliciter. Aut
„ quantum ad integritatem, aut quan-
„ tum ad numeralitatem, aut quantum
„ ad diuturnitatem: & ſic ſunt tres con-
„ ditiones, ſcilicet, quod ſit *integra*,
„ quod ſit *frequens*, & *accelerata*. Si
„ quantum ad aſſociationem, ſic debet
„ habere duarum ſocietatem partium,
„ ſcilicet contritionis, & ſatisfactionis.
„ Quantum ad contritionem, ſit *lacry-*
„ *mabilis*; quantum ad ſatisfactionem, ſit
„ parere parata. Vel qnantum ad ſatis-
„ factionem ſit parere parata. Vel quan-
„ tum ad utramque, & ſic *fortis*; quan-
„ tum ad qualitatem, aut ipſius confi-
„ tentis, ſic ſunt quinque conditiones:
„ Secundum vim rationalem ſit *ſimplex*,
„ ſecundum concupiſcibilem debet eſ-
„ ſe *libens*, ſecundum iraſcibilem *humi-*
„ *lis*, in ſermone *fidelis*, & in ſigno *vere-*
„ *cunda* & ſic ſunt quinque. Si in ſe
„ conſideretur, ſic debet eſſe *pura*, ut
„ nihil intermiſcat; debet eſſe nuda, ut
„ nihil celatum teneat: quantum ad cir-
„ cumſtantias, debet eſſe *diſcreta*, ut
„ nihil addat: debet eſſe *ſecreta*, ut aliis
„ non pateat: debet eſſe *accuſatoria*, ut
„ ſeipſum puniat. Et ſic ſunt tres partes
„ quantitatis, tres ratione adjuncti,
„ quinque ratione ſubjecti, & quinque
„ ratione ſui: & ſic in univerſo ſunt ſex-
„ decim „. Ita Seraphicus Doctor

Nobis autem non eſt mens de his omnibus, & ſingulis pertractare, tum quia ex dictis a Seraphico Doctore ſatis innoteſcunt, tum quoque, quia notabilem non continent difficultatem, quæ poſcat, ut a nobis fuſo calamo enodetur. Igitur de illis tantum agemus proprietatibus, quæ præſeferunt aliqunt controverſias a Theologis exagitatas: Et primo quidem agimus in hac Diſſertatione de confeſſionis ſacramentalis integritate, quæ duplex dicitur, materialis ſcilicet & formalis. Materialis eſt, quæ ſit revera de omnibus mortalibus peccatis in ſpecie, nume-

numero, & circumſtantiis, ita quidem, ut nullum remaneat mortale peccatum, quod per confeſſionem non aperiatur. Formalis vero licet non omnia peccata mortalia aperiat, nullum tamen reticet abſque rationabili cauſſa, vel inculpabili oblivione, vel ignorantia etiam inſuperabili. Quæritur igitur, an ſit neceſſaria in ſacramentali confeſſione integritas formalis? Inſuper an ſit neceſſaria integritas materialis?

Dicimus I. Eſſe neceſſario aperienda in confeſſione omnia peccata mortalia, quorum Pænitens poſt exactum conſcientiæ examen recordatur, non tantum in genere, ſed etiam in ſpecie; Proindeque confeſſionem ſacramentalem debere eſſe formaliter integram, ut ſit valida.

I. Probatur Concluſio ex Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.: „ Ex inſtitutione Sacramenti Pænitentiæ, jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere; quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, e terris aſcenſurus ad Cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint; qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient: Conſtat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pænis iniungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere a Pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnunquam animam gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur: nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt. Verum cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, hominis iræ filios, & Dei inimicos reddant: neceſſum eſt omnium etiam veniam, cum aperta, & verecunda confeſſione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Chriſtifideles confiteri ſtudent, proculdubio omnia divinæ miſericordiæ agnoſcenda exponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

II. Probatur ex Patribus. Cyprianus ſerm. de lapſis, loquens de iis, qui non erant rei perfidiæ, aut idololatriæ, ſed aliorum peccatorum, docet: *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt. & hoc ipſum apud Sacerdotes Domini dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, & ſalutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non irridetur*: Hieronymus ad cap. 16. Matth. *Sacerdos pro officio ſuo, cum peccatorum audivit varietates, ſcit quis ſit ligandus, quis ſolvendus*; Et in epiſt. 54. ad Marcellam de Montaniſtis: *Rigidi ſunt, non quod & ipſi pejora non peccent: ſed hoc inter nos & illos intereſt, quod illi erubeſcunt confiteri peccata, quaſi juſti: nos dum pænitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* Auguſtinus lib. 2. de viſitatione infirmorum cap. 5. vel quisquis illius operis ſit Auctor: *Aſtantem coram te Sacerdotem Angelum Dei exiſtima. Labia quidem Sacerdotis, ait Malachias, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus. Angelus enim eſt Domini exercituum. Et cum qua & Deum, & Angelum ejus, decet reverentia Dei Miniſtrum affari, aperi ei penetralium tuorum abditiſſima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forſitan coram multis, & cum multis facere. Nam humanum eſt peccare, chriſtianum eſt a peccato deſiſtere, diabolicum eſt perſeverare. Ergo quæ mentem graviter exacer-*

bant

bant facinora, Dei Angelo manifeſta: nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus involvens, nullis circumciſionibus quod verum eſt aperiens. Deſignanda etiam ſunt. in quibus peccaſti, loca, ſi recordaris, & tempora, cum quibus peccaſti perſonis, non nomina ipſarum, etiam ut a peccato deſiſtant, ſecreto corrigenda familiaritas, in qua peccaſti labilis ætas, quo gradu jam Eccleſiæ inſerviebat. utrum ſemel, an ex conſuetudine: utrum neceſſitate, an ex voluntate cecidiſti. His enim omnibus ſua inſtant judicia &c. Hæc autem omnia ſi taceantur, vel dicta callide pallientur, animam jugulant: Si denudentur, cum pænitentia evaneſcunt. In nihilum redigenda ordine competenti proſequere, ſine circumlocutione ediſſere contende. Heu! cur erubeſcis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? Melius eſt coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulſa denotatum tabeſcere. Confitere igitur Chare mi, nomine tenus, quæ te remordent flagitia, detege ſpecialiter, quæ ſcis ſpecialia: quotidiana, de quibus non fuiſti mundus, ſaltem cogitatione, in collecta generali appone, ſicque ex indulgentia confide. S. Proſper Aquitanicus de vita contemplativa lib. 2. cap. 7. *Illi, quorum peccati humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare judicium, cum ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum Deo retribuente ſupplicium?* Author libri de vera & falſa pænitentia cap. 1. *Cautus ſit, ne verecundia ductus, dividat apud ſe confeſſionem, & diverſa diverſis Sacerdotibus velit manifeſtare. Quidam enim uni celant, quæ aliis manifeſtanda conſervant: quod eſt ſe laudare; & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, ad quam per fruſtra putant pervenire.* Similia ſcribunt Ambroſius lib. de Paradiſo cap. 14. Gregorius Magnus homil. 10. ſuper Ezechielem, & denuo Hieronymus in cap. 10. in Eccleſiaſt.

III. Probatur rationibus. I. De iis debet fieri confeſſio ſacramentalis in nova lege, de quibus debet haberi contritio; ſed contritio haberi debet de omnibus peccatis: ergo pariter confeſſio debet eſſe de omnibus peccatis. Major eſt certa, quia, ut ait Fraſſen, præceptum confeſſionis ſubrogatum eſt præcepto contritionis. Minor pariter eſt certa; quia, ut idem ſubdit, non poteſt unum peccatum deleri de via ordinaria, quin pariter omnia deleantur; contritio autem non delet peccata, niſi conterens ſe omnia deteſtetur. II. Confeſſio eſt judicium non particulare unius delicti, ſed univerſale omnium peccatorum, quæ ab ultima confeſſione commiſſa ſunt: ergo debent, ut judicium recte fiat, aperiri Confeſſario a Pænitente omnia peccata, ſuper quibus Confeſſarius ſuum debet dare judicium; ſed ſine integritate hoc judicium fieri non poteſt; ergo &c. III. Confeſſio ſacramentalis ita fieri debet, ut diſponatur anima ad gratiam ſanctificantem recipiendam; ſed ſi confeſſio non ſit integra, non diſponitur anima ad gratiam ſanctificandam recipiendam, quia invenitur in ea peccati obex; ergo &c. IV. Per confeſſionem ſacramentalem debet Pænitens recipere a Confeſſario pænitentiam, & abſolutionem peccatorum ab ultima confeſſione a ſe commiſſorum; ſed ſine integritate ejuſdem hoc fieri non poteſt: ergo &c.

Dicimus II. integritatem materialem ad ſacramentalis confeſſionis integritatem non eſſe neceſſariam.

I. Probatur. Eccleſia non exigit a Pænitente, ut confiteatur omnia peccata, quæ commiſit, ſed omnia peccata, quorum recordatur ſe commiſiſſe; ſed primum ſpectat ad integritatem materialem, ſecundum vero ad integritatem formalem; ergo quanvis confeſſio ſacramentalis debeat ſemper eſſe formaliter integra, non debet tamen eſſe ſemper integra materialiter. Antecedens eſt doctrina Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. ubi docet: *Ut poſtquam diligentius ſe excuſſerit & conſcientiæ ſuę ſinus omnes ac latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis munda me Domine.*

II. probatur; Nec Deus, nec Eccleſia

præ-

præcipit impoſſibilia, ſed poſſibilia; at integritas materialis eſt impoſſibilis, poſſibilis verò integritas formalis; ergo hæc, & non illa, a Deo præcipitur pro integritate Confeſſionis ſacramentalis. Probatur minor. Impoſſibile eſt, ut homo aperiat in confeſſione omnia, & ſingula, quæ fecit; poſſibile autem eſt ut aperiat omnia, & ſingula, quorum recordatur: ergo &c.

III. Probatur. Dari poteſt Caſus, in quo nec integritas formalis requiratur: Ergo integritas materialis nullo modo requiritur. Probatur antecedens: Gravi morbo laborans, qui ſine incõmodo graviſſimo non poteſt ſigillatim omnia peccata percurrere, non tenetur omnia, & ſingula peccata, quorum recordatur, confiteri: Pariter, ſi ex aliquorum peccatorum aperitione grave malum immineat, nec poſſit quis alium Confeſſarium invenire, poteſt peccatum illud tacere: Ulterius, ſi naufragium immineat, ſi milites ad prælium urgeantur, ſi ſit peregrinus, qui linguam Confeſſarii non calleat: in his caſibus non tenetur Pænitens ad formalem integritatem confeſſionis: Ergo multo minus tenebitur ad integritatem materialem.

Objiciunt I. Tenetur Pænitens confiteri omnia peccata, quæ fecit: ergo eſt neceſſaria integritas materialis. Probatur Antecedens. Tenetur Pænitens conteri de omnibus peccatis, quæ fecit: Ergo tenetur Pænitens confiteri omnia peccata, quæ fecit. II. Si quis memoriæ uſum deperderet, nullo modo poſſet peccatorum ſuorum recordari: ergo non teneretur ad integritatem formalem. III. Integra eſt confeſſio illius, qui interpolatis temporibus confitetur: ergo non ſemper confeſſio debet eſſe integra. IV. Moribundi, qui præ violentia morbi integre confiteri non poſſunt, abſolutionis non ſunt capaces: ergo falſa eſt doctrina a nobis nuper expoſita.

Reſpondemus ad I. diſtinguendo antecedens; tenetur Pænitens confiteri omnia peccata, quæ fecit, & quorum poſt diligens examen recordatur, conceditur; & quorum non recordatur, negatur. Inſuper, diſtinguitur probatio ejuſdẽ antecedentis; tenetur conteri de omnibus in ſpecie, & in individuo, ſi non recordatur, negatur; in genere, conceditur; & hoc ad integritatem formalem, quæ requiritur, ſufficit; quanvis non ſufficiat ad integritatem materialem, quæ non requiritur.

Ad II. Conceditur totum argumentum, & dicitur, quod caſus ille eſt exceptuatus propter impedimentum inſuperabile, quo ille talis laboraret, & ratione cujus nullo modo poſſet, nec integritatem materialem, nec integritatem formalem in confeſſione ſua ſervare: Unde in hoc caſu ſufficeret, ſi omnia peccata ſua, vel in genere confiteretur, vel diceret unum, aut aliud in particulari, ſi recordaretur; Cætera vero in genere comprehenderet.

Ad III. ita ex Maldonato reſpondet Tournely: „ Status quæſtionis eſt, „ utrũ integra cenſeri debeat confeſſio „ illius, qui interpolatis temporibus „ confitetur? Duplici autem modo contingere iſtud poteſt, ut rectè obſervat „ Maldonatus, Tractatu de Pænit. cap. 4. „ Vel enim mutata eſt hominis voluntas intra diverſum illud ſpatium temporis, quo incæpta eſt ac perfecta „ confeſſio, ita ut non amplius ſupponatur ille verum ac ſincerum de peccatis ſuis dolorem retinere; vel non „ eſt mutata. Si prius, certum eſt integram non eſſe confeſſionem, niſi pænitens ea rurſus confiteatur peccata, „ quorum depoſuit dolorem, priuſquam „ inchoatam confeſſionem abſolveret: „ Si vero per interpolationem temporis non mutetur propoſitum, & voluntas confitentis, non tantum integra eſt confeſſio, verum etiam aliquo „ modo perfectior, quia majori cum „ conſilio, ac deliberatione fit, ac diutius perſeverat is, qui confitetur, in „ dolore, pænitentia, & contritione. „ Ita Maldonatus.

Ad IV. Pro modo pro reſponſione opponimus hanc concluſionem Tournelys, quam ipſe fuſiſſime probat ex Pontificibus Romanis, ex Conciliis, ex Patribus, & ex rationum momentis; Cæterum nos de eadem ſuo loco agere non omittemus. Verba præfati Scriptoris hæc ſunt. „. Infirmis, qui „ inchoatam confeſſionem ſubita vi „ morbi oppreſſi perficere non poſſunt, „ vel aliqua dumtaxat doloris ſigna dederunt, concedenda eſt abſolutio ſacramentalis; iis vero deneganda, qui „ vel ſunt peccatores publici, ab Eccleſia ex-

„ excommunicati, vel in ipſo criminis „ actu,vocis & ſenſuum uſum amittunt, „ nec ullo ſigno animi dolorem poſſunt „ teſtari; iis vero concedenda, qui ino- „ pinato caſu oppreſſi, & omni vocis,& „ ſenſuum uſu privati ſunt, ſi aliundè „ viri Catholici, ac probatæ vitæ ha- „ beantur.

Altera Diſſertationis pars Circumſtantias peccatorum reſpicit, quarum ratio ad integritatem confeſſionis pertinet;pro qua ſcire oportet, quod Circumſtantiæ peccatorum ſunt in duplici differentia; alii dicunt in triplici; Sed illa potius eſt ſubdiviſio, quam diviſio. Primi generis Circumſtantiæ dicuntur mutantes ſpeciem, quæ ſcilicet peccati ſpeciem variant. Adducitur exemplum in fornicatione, quæ poteſt eſſe vel ſimplex fornicatio, quando nimirum eſt inter ſolutum, & ſolutam; Si autem erit cum Conjugato, vel Conjugata, erit adulterium; Si cum Virgine,erit ſtuprum; Si cum Conſaguinea, vel Affine, erit Inceſtus; ſi cum Maſculo, vel cum Muliere a parte præpoſtera, erit peccatum contra naturam, vel Sodomia; ſi cum perſona Deo ſacra, vel per votum,vel per ordinem ſacrum,vel cum quacumque alia in loco ſacro, erit ſacrilegium; quæ quidem omnes Circumſtantiæ, ut pote peccati ſpeciem mutantes, peccata diverſa ſpecie conſtituunt. Aliæ vero Circumſtantiæ dicuntur aggravantes; & hæ ſubdiſtinguuntur pariter in aggravantes notabiliter, & in aggravantes non notabiliter. Primi generis ſunt furtum unius aurei, & furtum centum aureorum, quæ quidem, quanvis inter eandem ſpeciem furti contineantur, primum tamen unius aurei minus conſiderabile, & notabile eſt, quam alterum, quod eſt centum aureorum. Secundi vero generis Circumſtantiæ aggravant peccatum, ſed non notabiliter, uti eſt Homicidium, hoc, vel alio modo factum, furtum majoris, vel minoris quantitatis, ſed ſemper quantitatis non notabilis.

Ulterius ſcire oportet, quod quanvis Theologi omnes conveniant, Circumſtantias ſpeciem mutantes aperiendas eſſe in confeſſione; Hoc tamen Hæreticis Novatoribus non placuit, qui propterea confeſſionis integritatem conſcientiarum carnificinam dicebant. Eorum tamen errorem Concilium Trident. ſeſſ.14. cap. 5.reprobavit, & Can.7. damnavit, ut mox dicemus.

Tandem ſciendum eſt, quod circa Circumſtantias aggravantes Theologi non conveniunt; aliqui enim volunt eſſe aperiendas; & pro hac citantur Alenſis 4.p. q.18. mem. 4. Cajetanus. 1.2. q.4. Major in 4. diſt. 4. q. 4. Melchior Canus &c. Alii vero volunt non eſſe aperiendas, ut S. Bonaventura diſt. 17. 3.p. art. 2. q.3. Vaſquez, qui innumeros alios pro ſua opinione adducit. Alii denique diſtinguunt, volentes Circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe aperiendas; illas vero, quæ notabiliter non aggravant, non eſſe aperiendas. Et hæc noſtris temporibus apud ſaniores Theologos communis eſt ſententiâ.

Dicimus III. Circumſtantias omnes,quæ ſpeciem variant, eſſe neceſſario in confeſſione declarandas, non in genere tantum, ſed etiam in ſpecie.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Cabilonenſe II. anno 813, Canon. 32. damnat abuſum eorum,qui plenè non confitentur. *Hac emendatione indigere perſpeximus, quod quidam dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit Confeſſio*. Concilium Wormatienſe anno 868. Can. 25. ait: *debere Sacerdotem in pænitentia danda ſingulorum cauſas ſigillatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, & affectus, gemituſque delinquentium diligenter examinare, temporum etiam, & perſonarum, locorum quoque, & ætatum qualitates inſpicere, ut pro conſideratione locorum, ætatum, vel temporum, ſeu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuſcuiuſque delinquentis,a ſacris regulis oculos non deflectat*. Concilium Londinenſe anno 1200. Can. 4. præſcribit, ut Sacerdotes in pænitentiis imponendis diligenter attendant Circumſtantias, qualitatem Perſonæ, quantitatem delicti, tempus, locum, cauſam, moram in peccato factam. Concilium Tridentinum ſeſſ.14. c.5. *ex his colligitur*, inquit, *oportere a pæni-*

nitentibus omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa : & paulo poſt ."
" Cum univerſa mortalia peccata,
" etiam cogitationis, homines Iræ filios,
" & Dei inimicos reddant, neceſſum
" eſt omnium etiam veniam cum aper-
" ta & verecunda confeſſione a Deo
" quærere. Itaque dum omnia, quæ me-
" moriæ occurrunt peccata Chriſti fide-
" les confiteri ſtudent, procul dubio
" omnia divinæ Miſericordiæ agno-
" ſcenda exponunt. Qui vero ſecus fa-
" ciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil
" divinæ Bonitari per Sacerdotem re-
" mittendum proponunt : Si enim eru-
" beſcat ægrotus vulnus medico dete-
" gere; quod ignorat medicina non cu-
" rat. Colligitur præterea, etiam eas
" circumſtantias in confeſſione expli-
" candas eſſe, quæ ſpeciem peccati mu-
" tant; quaſi ſine illis peccata ipſa ne-
" que a pænitentibus integre exponan-
" tur, nec judicibus innoteſcant; & fie-
" ri nequeat ut de gravitate criminum
" recte cenſere poſſint, & pænam, quam
" oportet, pro illis Pænitentibus impo-
" nere. Unde alienum eſt a ratione, do-
" cere circumſtantias has ab hominibus
" otioſis excogitatas fuiſſe, aut unam
" tantum circumſtantiam confitendam
" eſſe, nempe peccaſſe in fratrem." Et
Can. 7. ejuſdem ſeſſ. *Si quis dixerit in Sacramento Pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia . . . anathema ſit.*

II. Probatur Rationibus. I. Quilibet Judex in qualibet cauſſa judicanda non poteſt litem decidere cum juſtitia, niſi ſubſtantiam controverſiæ agnoverit : ſed Confeſſarius eſt judex in Tribunali Pænitentiæ: ergo non poteſt ſuum implere munus, niſi controverſiæ ſtatum agnoverit, quæ in peccatorum ſpeciebus dignoſcendis conſiſtit : II. Confeſſarius pariter eſt Medicus; ſed medicus non poteſt opportuna remedia infirmis dare, niſi morborum ſpecies diſcernat : ergo &c. III. Damnata eſt hæc propoſitio : *Præcepto Confeſſionis ſatisfacit qui enuntiat ſimpliciter ſe furto abſtuliſſe cam pecuniæ quantitatem, quæ ad peccatum lethale ſufficit* ; Sed hæc Propoſitio coincidit cum illa, quam impugnamus : ergo &c. IV. Illa peccata diſtinguuntur ſpecie, quæ opponuntur virtutibus ſpecie diſtinctis; nimirum ſimplex fornicatio eſt contra caſtitatem, & juſtitiam; Inceſtus eſt contra caſtitatem & pietatem; ſacrilegium eſt contra caſtitatem, & religionem; & ſic de aliis. Unde Maldonatus citatus dixit, *quod qui cũ Scholaſticis docent circumſtantias mutare ſpeciem peccati, non intelligendum ex uno peccato fieri aliud; ſed unam, & eandem actionem, propter circumſtantias accedentes eſſe duo peccata* ; Sed has oppoſitiones debet cognoſcere Confeſſarius, ut juſtè iudicet, & congruè medeatur : ergo &c.

Opponunt I. Excommunicatio abſolvi poteſt, abſque eo quod abſolvatur peccatum : ergo unum peccatum abſolvi poteſt abſque eo quod aliud abſolvatur. II. Omnia peccata mortalia ſunt æqualis malitiæ; omnia enim ſunt contra Deum : ergo ſat eſt, ut Pænitens confiteatur omnia peccata mortalia, quæ commiſit, abſque eo quod exprimat ipſorum ſpecificam diverſitatem. III. Pænitentes, præcipuè ſi rudes ſunt, nequeunt agnoſcere hanc ſpecificam peccatorum diverſitatem ; Sed Deus nihil præcipit impoſſibile : ergo Deus non præcipit aperire Confeſſario hanc ſpecificam peccatorum diverſitatem. IV. Si quis mortaliter peccaret in die feſto, peccatum ejus ſpecificam contineret malitiam, quæ peccato religionis opponeretur; Sed hæc circumſtantia non eſt in confeſſione aperienda : ergo non ſunt aperiendæ in confeſſione circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati mutant.

Reſpondemus ad I. Aſſignando diſparitatem inter abſolutionem ab excommunicatione, & abſolutionem a peccato mortali; quia per primam præciſe homo non fit juſtus, ſed tantum reſtituitur Eccleſiæ, a qua fuerat præciſus; per ſecundam vero homo obtinet gratiam, & Deo reconciliatur. Nequit autem eſſe, ut quis juſtus fiat, & Deo reconcilietur, ſi eidem omnia ſimul peccata mortalia dimiſſa non ſint; ſat enim eſſet, ut ſine gratia, & ſine Dei amicitia remaneret, ſi unum ſolum peccatum mortale in eo eſſet.

Ad II. Negatur antecedens; error enim manifeſtus in eo continetur, & hære-

ſis quoque eſt, quæ fuit Joviniani, & aliorum antiquorum hæreticorum, qui volebant omnia peccata mortalia eſſe æqualia: Inſuper, ſi vera eſſet doctrina illa, ſequeretur, quod ſufficeret dicere in confeſſione, commiſi decem peccata mortalia, & nihil amplius ſubdere; & hoc eſt omnino falſum, tum ratione judicii, quod de conſcientia Pœnitentis debet efformare Confeſſarius, ut Judex; tum ratione remedii, quod idem præbere debet, ut Medicus: ergo &c.

Ad III. dicitur, quod non exigitur a rudibus, ut cognoſcant ſpecificam peccatorum diverſitatem, ſed ut reſpondeant Confeſſario interroganti illos, ad hoc ut eam ipſemet Confeſſarius deprehendat. Fitque, quando Pœnitens dicit ſe commiſiſſe peccatum carnis, Confeſſarius interrogat; Cum qua? & ipſe Pœnitens reſpondere tenetur, cum maſculo, vel cum fœmina; cum ſoluta, vel cum nupta; cum ſeculari, vel cum moniali &c., quæ quidem omnia facili negotio a rudibus quoque manifeſtari poſſunt, ac debent. Et hoc pacto ſpecifica peccatorum diverſitas a rudibus etiam Confeſſario aperitur.

Ad IV. negatur major; illa enim circumſtantia non admittitur, ut peccati ſpeciem mutans, ſed ſaltem, ut aggravans; & de illa non eſt uniformis Theologorum ſententia, quod ſit in confeſſione aperienda, præſertim ſi ſpecialis ratio in peccante non fuit, quæ illius adverſitatem contra diem feſtum, ut talem, non indicaret.

Dicimus IV. Circumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggravantes eſſe neceſſario in confeſſione aperiendas; non ſic vero illas, quæ non ſunt notabiliter aggravantes.

I. Probatur prima Concluſionis pars. Ideo aperiendæ ſunt in cõfeſſione circumſtantiæ ſpeciem mutantes, & quia ſunt neceſſariæ, ut Pœnitens perfecte & integre ſtatum ſuæ conſcientiæ aperiat; & quia ut Cõfeſſarius exerceat, ut neceſſe eſt, Judicis munus, & Medici, in imponendis pœnis, & in remediis ſubminiſtrandis; at qui hoc ipſum habet locum etiam in circumſtantiis, quæ ſunt notabiliter aggravantes; ergo in iiſdem eadem debet eſſe diſpoſitio. Probatur minor. Ubi judicium eſt diverſum, & ubi morbus eſt varius, ibi Judex, & Medicus, diverſimode gerere ſe debent; at qui in circumſtantiis notabiliter aggravantibus eſt diverſitas judicii, & varietas morbi: ergo &c. Minor eſt patens, quia aliud judicium facit Confeſſarius de illo, qui furatur aureum unum, & de illo, qui furatur centum; quamvis uterque læthalis peccati ſit reus; & varium quoque adhibet medicamentum pro uno, ac altero.

II. Probatur. Nequit Confeſſarius conſcientias Pœnitentium regere, ac ordinare, niſi peccatorum circumſtantias, quæ ſunt notabiliter aggravantes, intelligat: ergo circumſtantiæ, quæ ſunt notabiliter aggravantes, neceſſario aperiri debent in confeſſione. Antecedens probatur ex Canone *Omnis utriuſque ſexus*, in quo leguntur hæc verba: *Sacerdos ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciatis, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum*.

III. Probatur. In antiqua Eccleſiæ diſciplina invenimus graviores pœnas pro uno peccato, quam pro altero, licet ambo intra eandem ſpeciem continerentur; ſed hoc non niſi, quam quia in uno erant circumſtantiæ notabiliter aggravantes, quæ non erant in altero: ergo circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſunt neceſſario in confeſſione aperiendæ. Major hac enumeratione probatur a Tournely; „ licet ejuſdem „ ſpeciei ſit idololatria voluntaria, cum „ ea, quæ per vim extorquetur, tamen „ Eccleſia Hiſpanica graviorem longe „ pœnam impoſuit priori, quam poſteriori. Pariter furtum clandeſtinum, „ & apertum ad eamdem pertinet ſpeciem peccati, prius tamen ſecreta „ confeſſione purgabatur olim, alterum „ vero pœnitentia publica, teſte S. Gregorio Nyſſeno in Epiſtola Canonica. „ Crimen quoque beſtiale pro varia „ peccantium ætate diverſum non ſit „ ſpecie; & tamen variis pœnis afficitur pro varia ætate peccantium, in „ Concilio Ancyrano Can. 16. Homicida voluntarius ad pœnitentiam toto „ vitæ tempore peragendam damnatur; „ Si vero involuntarium fuerit homicidium,

„ dium, ſeptem annorum pænitentia „ punitur ab eodem Concilio Can. 22. „ Denique, habitus peccandi non mu- „ tat ſpeciem peccati: v.g. qui ex in- „ veterato habitu mentiuntur, blaſphe- „ mant, fornicantur, ii idem ſpecie pec- „ catum mendacii, blaſphemiæ, & for- „ nicationis, committunt: attamen ne- „ ceſſe omnino eſt aperire in confeſſio- „ ne, an inveteratus ſit eorum pecca- „ torum habitus: alia quippe ratione „ agere debet prudens Sacerdos cum „ iis, qui ex longo habitu peccant, & „ alia cum iis, qui ſemel tantum, aut „ iterum, ex infirmitate labuntur.

Secunda Concluſionis pars I. probatur. Ideo dicitur, circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe in confeſſione aperiendas, quia de iiſdem idem eſt judicium, ac de circumſtantiis, quæ ſpeciem mutant; ſed non idem eſt judicium de circumſtantiis, quæ notabiliter aggravant, ac de iis, quæ notabiliter non aggravant: ergo hæ non ſunt in confeſſione aperiendæ. Probatur minor. Judicium eſt in Confeſſario in ordine ad gravitatem peccatorum; ſed in circumſtantis, quæ notabiliter non aggravant non eſt hæc eadem gravitas: ergo in ipſis non eſt idem judicium, quod eſt in circumſtantiis, quæ ſpeciem mutant.

II. probatur. Ex doctrina Tridentini eruitur ratio pro aperiendis circumſtantiis notabiliter aggravantibus; ſed non eruitur pro circumſtantiis, quæ notabiliter non aggravant: ergo quanvis illæ ſint aperiendæ, hæ tamen aperiri non debent. Probatur antecedens. Doctrina Tridentini ideo extenditur ad circumſtantias notabiliter aggravantes, quia pro his militat eadem ratio, quæ militat pro circumſtantiis, quæ ſpeciem mutant; Sed hæc eadem ratio non militat pro circumſtantiis, quæ notabiliter non aggravant, ut dictum eſt: ergo &c.

III. Probatur. Nimis dura eſſet obligatio Pænitentium, ſi tenerentur aperire omnes peccatorum circumſtantias, etiam illas, quæ notabiliter non aggravant; ſed Eccleſia tam duram obligationem fidelibus imponere non ſolet: ergo, quanvis imponat obligationem aperiendi in confeſſione circumſtantias notabiliter aggravantes, non per hoc dicendum eſt, quod imponat etiam obligationem aperiendi circumſtantias, quæ notabiliter non aggravant.

Obſtant I. Concilium Tridentinum nihil dixit de circumſtantiis, quæ ſpeciem non mutant: ergo ſive notabiliter, ſive non notabiliter aggravent, non ſunt aperiendæ. Probatur antecedens. Concilium Tridentinum locutum eſt tantum de circumſtantiis, quæ ſpeciem mutant: ergo nihil dixit de circumſtantiis, quæ ſpeciem non mutant. II. Circumſtantiæ, quæ notabiliter non aggravant peccati malitiam, non ſunt aperiendæ: ergo neque aperiendæ ſunt illæ, quæ augent peccati gravitatem. III. Circumſtantiæ ſive notabiliter, ſive non notabiliter aggravent, ſemper intra eandem peccati ſpeciem continentur: ergo utpote intra eandem ſpeciem exiſtentes aperiri non debent, ſive notabiliter, ſive non notabiliter aggravent. IV. Sanctus Thomas in 4. diſt. 16. quæſt. 3. art. 2. quæſtiuncula 5. aliter docet ab illo, quod nos in noſtra concluſione firmavimus: ergo &c.

Reſpondemus ad I. quod hæc noſtra quæſtio inter Scholaſticos agitatur pro utraque parte, ſalva fide; & quia Tridentinum tantummodo intendebat Hæreticorum errores profligare, & Doctoruum Catholicorum opiniones, quæ ſalva fide defenduntur, intactas relinquere, ideo de præſenti quæſtione nihil determinavit.

Ad II. negatur conſequentia; & ratio negationis eſt, quia illæ circumſtantiæ ſunt neceſſario aperiendæ, quæ mutant peccantis ſtatum, & alia exigunt remedia. Ita porro ſunt circumſtantiæ, quæ notabiliter aggravant; non ſic verò ſunt illæ, quæ notabiliter non aggravant.

Ad III. diſtinguitur antecedens; ſemper intra eandem ſpeciem continentur eodem modo, negatur; diverſo modo, conceditur. Diverſitas in eo conſiſtit, quod gravitas illarum mutat Confeſſarii judicium, quia diverſificant Pænitentis ſtatum; Non ſic vero gravitas circumſtantiarum, quæ notabiliter non aggravant.

Ad IV. Tournely reſpondet verbis hiſce: „ S. Doctorem, cum junior eſſet, ac „ ſcriberet in librum Sententiarum, no- „ bis adverſatum eſſe; quam ſuam opi- „ ninnem haud dubie revocaſſet ſenior „ factus, ſi manum ultimam ſuæ Summæ

ap-

,, appoſuiſſet, Fundamentum hujus co-
,, njecturæ noſtræ eſt, quod 1. 2. qu. 73.
,, art.9. & 10. & 2.2.q, 61.art,2. ad 3.&
,, art.4. in corpore, ad noſtram ſenten-
,, tiam accedere videatur,,. Et revera Dominicus ſoto in 4. ſententiarum diſt, 18.q, 2.art.4. dixit, quod S. Thomas *in ſumma, quæ ſuum erat poſtremum teſtamentum, ſententiam mutaſſet, ſi vitam uſque ad finem ſuæ ſummæ perduxiſſet.*

DISSERTATIO CCCLXXVIII.

De integritate Confeſſionis ſacramentalis. An confiteri quis teneatur peccata dubia? An numero diſtincta? & unde deſumatur numerica diſtinctio peccatorum? An aperiri debeat Confeſſario Complicis perſona?

PEccatum dubium, proprie dictum, illud eſt, pro quo non poteſt quis alterutri parti aſſenſum certum præbere, ſed irreſolutus vacillat inter utranque partem. Etenim, ſi facta a Pænitente inquiſitione diligenti conſcientiæ ſuæ, abſolute probabilius judicet, aut ſe non peccaſſe, aut non peccaſſe mortaliter; vel ſi peccaverit, jam ſe peccatum illud in confeſſione aperuiſſe; tunc non tenebitur peccatum illud confiteri. Et ratio hæc eſt; ut ait Hennus tractatu de Pænitentia diſp. 5. qu. ,,. Quia tuta conſcientia poſſumus
,, nos conformare judicio probabili,
,, quando non agitur de damno tertii,
,, aut de valore Sacramenti, ut hic non
,, agitur; cum confeſſionis integritas
,, formalis, ad hoc Sacramentum ſuffi-
,, ciens, dependeat a prudenti judicio
,, hominum, adeoque ubi prudenter in-
,, dicarunt aliquid ad integritatem non
,, requiri, & ſi coram Deo requireretur,
,, validum eſt Sacramentum.,,. Igitur loquimur de peccato vere dubio, & quidem dubio, ſive circa circumſtantiam facti, ſive circa qualitatem actus: primum eſt, quando aliquis dubitat, an fornificatus fuerit, an furatus &c. Secundum vero, quando quis eſt certus de cogitatione impura, incertus eſt tamen de conſenſu. Prima opinio eſt Marchantii, qui vult, quod quando dubitatur de ſubſtantia, peccatum dubium exprimi non debeat in confeſſione, neque ut dubium. Secunda opinio eſt Caramuelis, qui aſſerit, nullo modo peccatum dubium eſſe aperiendum, ſive dubitetur de ſubſtantia, ſive de qualitate. Addit præterea Caramuel, quod neque aperiri debeat peccatum certo commiſſum, ſi dubium ſit, an non fuerit alias expreſſum. Hoc tamen Authores communiter improbabile judicant. Tertia communior ſententia eſt, quod peccatum dubium exprimi debeat ut dubium in confeſſione, ſive de ſubſtantia facti, ſive de qualitate actus, dubitetur.

Dicimus I. Peccatum dubium aperiendum eſſe in confeſſione ut dubium, ſive de ſubſtantia facti, ſive de qualitate actus dubitetur.

I. Probatur Concluſio. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. docet, quod aperienda ſunt peccata Confeſſario, prout ſunt in Conſcientia Pænitentis; Sed in conſcientia Pænitentis ſunt dubia: ergo peccata dubia aperienda ſunt, ut dubia. Probatur major. Tridentinum docet citato loco, quod aperienda ſunt peccata, prout memoriæ occurrunt: ergo aperienda ſunt, ut ſunt in con-

conſcientia Pænitentis; & proinde ſicut peccata certa aperiri debent, ut certa, ita peccata dubia aperienda ſunt, ut dubia.

II. Probatur. Leo X. damnavit hunc Lutheri articulum: *in primitiva Eccleſia ſola manifeſta mortalia confitebantur*; Sed per manifeſta Lutherus intelligebat non ſolum peccata dubia, ſeu non aliis manifeſta, ſed etiam manifeſta ipſi Pænitenti, ſeu certa: ergo ex damnatione hujus articuli peccata dubia ſaltem ut dubia ſunt in confeſſione aperienda. Minor probatur ex Cardinali Joanne Roffenſi, qui Lutherum ſic loquentem inducit pag. 124. *ego de his mortalibus locutus ſum, quæ aut aliis, aut ſibi manifeſta ſunt*.

III. Probatur. Qui de peccato aliquo mortali eſt dubius, tenetur de illo conteri: ergo tenetur illud confiteri. Conſequentia ſequitur, quia contritio includit votum confeſſionis. Accedit communis conſuetudo, de qua hæc aſſerit Hennus citatus: „ Quarto & „ principaliter ex praxi communi, quã ut „ pote non ita gratã, nunquã introduxiſ- „ ſent Pænitentes, niſi per Traditionem „ a Chriſto deſcendere didiciſſent. „

Objiciunt I. Qui dubitat de voto a ſe facto, non tenetur illud adimplere: ergo neque qui dubitat de peccato a ſe commiſſo, tenetur illud confiteri. II. Quilibet præſumitur bonus, quando non probatur malus: ergo Pænitens recte præſumere poteſt ſe non peccaſſe, quando ſibi de peccato non conſtat. III. Dicitur communiter, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis: Sed qui dubitat de facto eſt in poſſeſſione ſuæ innocentiæ: ergo ſaltem qui dubitat de ſubſtantia facti, ad confeſſionem non tenetur IV. Qui non habet conſcientiam peccati, non tenetur peccatum confiteri; Sed qui eſt dubius de peccato, non habet conſcientiam peccati: ergo non tenetur illud confiteri. Major eſt certa, quia peccata ſunt aperienda, ut ſunt in conſcientia Pænitentis. Minor quoque negari non poteſt, quia conſcientia eſt judicum, quod non habet qui dubius eſt. V. Etſi ſoleant Pænitentes confiteri peccata dubia, ex hoc tamen erui non poteſt, quod ad confitendum illa teneantur. Quod probatur paritate; quia etiam ſolent homines confiteri peccata venialia, & tamen ad confitendum hæc obligationem non habent.

Reſpondemus ad I. Quod dubius de voto, ſi attendat ad omnia, quæ per ipſum geſta, & cogitata ſunt, & nibilominus dubium non tollitur, tunc verum eſt, quod ad votum non tenetur: at ſi vero omnia non perpenduntur, & de omnibus recordatio non habetur, etiam ſi dubium remaneat, ad votum tenetur. Hoc idem dicendum eſt de peccato dubio, quod ſcilicet ſit aperiendum in confeſſione, ſi omnia perpendantur, & dubium adhuc remaneat.

Ad II. dicitur, quod aliud eſt, quod debeamus præſumere bonos alios in nobis; & aliud eſt, quod debeamus præſumere bonos nos ipſos. Si enim primum non fieret, exponeremus nos ipſos piaculo judicãdi temere de aliis, ac proinde verum eſt, quod quiſque præſumitur bonus apud nos, niſi aliter aperte conſtet de ſua malitia. At vero reſpectu noſtrum non eſt ita; quia non debemus nobis tribuere juſtitiam, quam non habemus; & ſi malitiam dubiam in nobis deprehendimus, illam, ut dubiam debemus Confeſſario aperire. At in hoc caſu non facimus.

Ad III. præfatum axioma non habet locum in materia juſtitiæ; unde univerſaliter non admittitur. Attamen quanvis admittatur, poſſeſſio eſt potius pro præcepto, quam pro libertate; & ratio eſt, quia jam lex eſt in obſervantia, ut peccata aperiantur; quod autem peccata non ſint certa, non per hoc relaxatur, aut infringitur, ſed ſemper exigit, ut peccata manifeſtentur Confeſſario eo modo, quo ſunt; ſcilicet, ſi ſunt certa, manifeſtentur, ut certa; ſi ſunt dubia manifeſtenturut dubia. Proinde libertas in caſu, de quo loquimur, nullum poteſt habere locum.

Ad IV. dicitur, quod quanvis dubitans non habeat judicium, quo determinet ſe peccaſſe, vel non peccaſſe, habet tamen judicium, quo cognovit, & ſcit, non poſſe determinare ſe ipſum, an peccaverit, vel non peccaverit. Hoc judicium ſufficit ad fundandam conſcientiam ſuam; & hæc ſua conſcientia obligat ipſum ad aperiendum Confeſſario peccatum ſuum eo prorſus modo, quo in conſcientia ſua peccatum eſt, vel apparet.

Ad V. dicitur, quod diſparitas in eo eſt in-

inter ſcilicet confeſſionem venialium, & confeſſionem dubiorum mortalium, quod fideles confitentur quidem venialia, quia volunt, non autem ex perſuaſione, quod ad ipſorum confeſſionem teneantur. At verò confitentur dubia mortalia ex perſuaſione quod teneantur ad confitendum illa. Et ideo ex hac praxi deducitur obligatio, non vero ex illa.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, quæ reſpicit peccata numero diſtincta, ſupponendum antecedenter eſt, quod obligatio confitendi peccata non ſolum reſpicit, ut eadem aperiantur & in genere, & in ſpecie, ut dictum eſt, ſed etiam in numero; ut Tridentinum docet ſeſſ. 14. cap. 5. ubi dicit, *quod ſigillatim peccata debent Confeſſario aperiri*; & hæc ſunt ejus verba: *Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent*. Et in eadem ſeſſ. Can. 7., in quo legitur: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam confeſſionem tantum eſſe utilem ad erudiendum, & conſolandum Pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantum ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia, anathema ſit*. Antecedenter autem fuerat pariter dictum in Concilio Florentino ſeſſ. ultima de ſacramento Pœnitentiæ, ubi pariter enunciatur quod Pœnitens confiteri debeat omnia, & ſingula peccata mortalia. Ex quibus hæc deducit Giribaldus tract. 7. de Sacramento pœnitentiæ cap. 7. dubio 3. „ Nec ſufficit in confuſo dicere; pluries peccavi; vel etiam in qualibet ſpecie, pluries adulterium, pluries furtum commiſi; ſed debet in qualibet ſpecie numerus diſtincte explicari, quantum commode fieri poteſt, non quidem numerando ſingula peccata, quod eſſet moleſtum, & inutile, ſed uno verbo explicando numerum cujuslibet ſpeciei, puta decies, duodecies, centies blaſphemavi, odio habui, furatus ſum. Quare qui determinate recordatur de numero ſuorum peccatorum, non ſufficit, ſi dicat pluries, aut ſæpius peccavi, quia illud *ſæpius* tam in ternario, quam in centenario invenitur, ſed debet abſolute dicere ter blaſphemavi, decies furatus ſum, centies odio habui. Qui non recordatur de numero certo ſuorum peccatorum mortalium, debet dicere numerum probabilem, aut veriſimilem, addito plus, minusve, ſeu circiter, quia hoc modo ſufficienter exprimit numerum ſuorum peccatorum quantum poteſt, & ſufficienter exprimit Confeſſario ſtatum ſuæ conſcientiæ, ut notat Homobonus part. 1. tract. 5. cap. 13. quæſt. 82. „

Pro illo vero, in quo quæritur, unde deſumenda ſit numerica diſtinctio peccatorum? quod idem eſt, ac dicere, quandonam peccatum dicendum ſit unum, vel plura numero? Theologi non conveniunt: Unde ſciendum quoque eſt, quod una & eadem actio terminare poteſt ad plura objecta; & quod ad idem objectum terminare poſſunt plures actiones. Proinde quæri poteſt, an diſtinctio numerica peccatorum deſumi debeat ex multitudine objectorum? & an deſumi debeat ex multitudine actionum tendentium in idem objectum?

Dicimus II. actionem unam tendentem ad plura objecta collective conſtituere unum peccatum; tendentem vero ad plura objecta diſtributive conſtituere plura peccata: actiones vero plures eſſe unum peccatum, quando ſunt phyſice plures, non moraliter; eſſe vero plura peccata, quando ſunt plures, & phyſice, & moralirer.

Prima Concluſionis pars probatur; quia plura objecta ſumpta collective, ſumuntur per modum unius; ſumpta vero diſtributive, ſumuntur per modum plurium: ergo in primo caſu, actio illa conſtituit unum numero peccatum; in ſecundo vero caſu conſtituit plura numero peccata. Hoc autem intelligendum eſt, ſi plura objecta ſint ejusdem rationis; quia ſi eſſent diverſæ rationis, tunc conſtitue-

ret

ret plura peccata non ſolum numero, ſed etiam ſpecie diverſa. Puta, ſi quis eodem actu concupiſcens mulierem ſolutam, mulierem conjugatam, & mulierem monialem, in hoc caſu committeret tria peccata, non ſolum numero, ſed etiam ſpecie diverſa.

Secunda Concluſionis pars probatur etiam; quia illud eſt unum numero peccatum, quod ſecundum hominum prudentum exiſtimationem, adeoque moraliter, non eſt niſi unica actio; ſed dari poteſt caſus, quo actiones etiam phiſice interruptæ, moraliter exiſtimentur eſſe unum actum: ergo in hoc caſu eſſent unũ numero peccatũ.

Pro interruptione vero morali diſtinguenda ſunt peccata interna ab externis; & loquendo de internis, quando voluntas durat in illo actu interiori, quo peccatum committit, eſt unum tantum numero peccatum: multiplicatur vero per interruptionem; quæ quidem interruptio triplex eſt; una, quæ fit per actum contrarium, & hæc dicitur interruptio moralis, quæ conſtituit numericam diſtinctionem peccatorum; alia, quæ fit per voluntariam ceſſationem a primo actu, & diverſionem ad alios actus; alia vero, quæ fit per ceſſationem involuntariam, videlicet per ſomnum, per inadvertentiam, vel per naturalem diſtractionem, ſeu devagationem. Et in hoc Theologi non conveniunt, ut mox dicemus. Loquendo vero de actibus externis, hi vel ordinantur ad unum eundem finem, vel ordinantur ad plures fines diſparatos. In primo caſu conſtituunt unum numero peccatum; & eſt exemplum in eo, qui occidit hominem, & plures actus facit, ad occiſionem ordinatos, antequam occidat. Si vero actiones tendant ad plures fines diſparatos, tunc eodem modo de illis loquendum eſt, ac de actibus internis, ut modo diximus.

Prima igitur opinio de actibus internis eſt Melchioris Cani, qui vult, actum voluntatis ſolum interrumpi per actum contrarium, ſeu per retractationem. Secunda vero opinio eſt aliorum, qui volunt, actum voluntatis interrumpi non ſolum per retractationem, & per actum voluntarium, ſed etiam per quamcunque ceſſationem, ſive voluntariam, ut aſſerit Filliucius; ſive etiam involuntariam, ut defendunt Granatus, Henriquez, Facundez, Suarez, Oviedo, aliique; qui ſuſtinent, moraliter interrumpi præcedentem voluntatis actum, ſi interruptio ſit magna, & notabilis, quanvis ſit phyſica. At nos, ut in concluſione diximus, potius primæ, quam ſecundæ opinioni accedimus, & inferius quoque patebit.

Arguunt I. Qui uno ſclopi ictu multos occidit, multa etiam homicidia committit; ergo peccata multa, numero diſtincta, committit. II. Qui dicit de aliqua integra familia, quod jejunia non obſervat, multis detrahit, & multa detractionis peccata, numero diſtincta, facit: ergo per multiplicationem objectorum, etiam ſi collective ſumantur, multiplicantur numero diſtincta peccata. III. Debet explicari in confeſſione numerus perſonarum, quæ vel occiſæ fuerunt, vel turpiter amatæ, vel graviter detractæ: ergo ſignum eſt, quod per multiplicationem perſonarum multiplicantur numero peccata. IV. Qui in peccato mortali exiſtens plures audit confeſſiones ſucceſſive, plura ſacrilegia committit & nihilominus non eſt in illo interruptio moralis, ſed phyſica: ergo etiã phyſica interuptio peccata multiplicat.

Reſpondemus ad I. Quod ille, qui uno ſclopi ictu plures occidit, ſi plures ſumantur collective, formaliter unũ peccatũ cõmittit, quanvis ſit gravius, & virtualiter, ſeu æquivalenter, multiplex; ſi vero plures accipiantur diſtributive, tunc tot homicidia committit, quot homines occidit.

Ad II. eadem eſt diſtinctio; & a citato Giribaldo hæc adducitur ratio: „ Reſpondetur: occidentem plures, detrahentem de pluribus &c. gravius peccatum committere, & virtualiter, ſeu æquivalenter multiplex, non vero formaliter, quando plures ſumuntur collective, & per modum unius objecti, cujus ſinguli ſunt partes; ſicuti qui furatur centum aureos, committit peccatum unum æquivalens pluribus, nimirum centum furtis unius aurei, ac proinde ſi in furto centum aureorum non multiplicantur numero peccata, ſed eſt formaliter unum peccatum æquivalens pluribus, ita in caſibus aſſignatis.

Ad III. Illi, qui volunt, fieri plura numero pec-

peccata juxta numerū perſonarum, &
objectorum, volunt pariter, quod
Pænitens debeat in confeſſione expri-
mere numerum perſonarum, & obje-
ctorum: at hoc non admittunt illi,
qui negant neceſſitatem explicandi in
confeſſione numerum prædictum. Ad
quæ ſubdit citatus Giribaldus:,, etiam
,, ſi in eodem peccato darentur plures
,, malitiæ numero diſtinctæ, quia ex
,, Trident. ſolum tenemur explicare in
,, confeſſione ſpecies & numerum pec-
,, catorum, non vero numerum mali-
,, tiarum forte concurrentium in eodem
,, peccato. Nec valet, tenemur expli-
,, care omnes ſpecies diverſas exiſtentes
,, in eodem peccato, ergo etiam mali-
,, tias numero diverſas; cum non minus
,, numerum, quam ſpecies peccatorum
,, debeamus explicare: Dato enim an-
,, tecedente, negamus conſequentiã; quia
,, ſi taceretur aliqua malitia ſpecifica,
,, non explicaretur tota ſpecies illius
,, peccati; bene tamen explicaretur nu-
,, merus peccatorum, etiam ſi non ex-
,, plicetur, niſi confuſe numerus mali-
,, tiarum forte exiſtentium in eodem
,, peccato; quod utique in praxi puto
,, eſſe ſecurum, maxime, quia inſervit
,, ad plures ſcrupulos tollendos. Ad-
,, verte tamen cum iiſdem Auctoribus,
,, uno ictu occidentem plures, non ſatiſ-
,, facere dicendo, commiſi homicidium,
,, ſed debere neceſſario dicere occidi
,, plures; quia dicendo commiſi homi-
,, cidium, Confeſſarius intelligeret unum
,, tantum hominem occidiſſe, quod eſt
,, falſum; at dicendo cum illa pluralita-
,, te, occidi multos, intelligit ſufficienter
,, peccatum, quantum ſufficit: eodem
,, modo ſatis erit dicere, deſideravi ſe-
,, mel occidere multos, plures fæminas
,, ſemel concupivi, pluribus ſcandalum
,, præbui; ſic enim ſatisfacis te accuſan-
,, do ſub illa generalitate, abſque eo,
,, quod ſis ſollicitus exprimere nume-
,, rum perſonarum, ut præ cæteris do-
,, cet Leander.

Ad IV. Dicimus, quod non eſt una
actio, ſed ſunt plures actiones in eo,
qui plures abſolvit: adeoque objectio
non eſt ad rem.

Pro tertia tandem Diſſertationis parte,
in qua quæritur, an Pænitens aperire
debeat Confeſſario Complicis perſo-
nam? Tournely hanc firmat conclu-
ſionem:,, Secunda concluſio. Criminis
,, ſocium, vel ſimpliciter reum, in con-
,, feſſione declarare, propter ſolam, aut
,, Pænitentis, aut complicis, aut rei
,, utilitatem, per ſe quidem licitum eſt:
,, utrum vero expediat in praxi, gene-
,, ratim nec probamus, nec improba-
,, mus; ſed ex ſubjectis circumſtantiis
,, judicabit vir prudens.,, Giribaldus ve-
ro has duas refert opiniones, qua-
rum prima eſt: te poſſe, ac teneri re-
,, ticere peccatum, ex cujus manifeſtatio-
,, ne Complex infamiam incurrit apud
,, confeſſarium, illudque differre quoad-
,, uſque invenies confeſſarium ignotum,
,, cui poſſis integre confiteri ſine læſio-
,, ne famæ proximi; quod adeo verum
,, aliqui exiſtimant, ut doceant, nec
,, etiam in mortis articulo te poſſe
,, complicem manifeſtare, ſed teneri
,, vel alium quærere confeſſarium, vel
,, omittere peccatum, vel circumſtan-
,, tiam, ex qua complex dignoſci poſſit.,,
Altera vero ſententia, quam dicit
communiorem, & ſequendam, vult,,
,, poſſe, & debere Pænitentem in eo
,, caſu integre confiteri ſuum peccatum,
,, non obſtante infamia, & notitia com-
,, plicis apud Confeſſarium.,, Denique
,, Hennus hanc ponit concluſionem:
,, Non excuſat ab integritate confeſſio-
,, nis infamia propria, aut complicis
,, apud ſolum Confeſſarium.,,

Dicimus III. Univerſaliter loquendo
non excuſare ab integritate confeſſio-
nis infamiam propriam, aut complicis,
apud ſolum Confeſſarium.

I. Probatur Concluſio, quæ eſt commu-
nis, ut idem Hennus teſtatur, inter
Doctores; infamia enim illa eſt con-
feſſioni annexa ex inſtitutione Chri-
ſti; & ſubdit:,, quanvis hic & nunc
,, fieri poſſit, quod Pænitens non infa-
,, metur, vel quia ignotus confeſſario, vel
,, quia peccata ejus ſunt publica.

II. Probatur ab eodem Henno authori-
tate S. Bernardi, Opuſculo de formula
vitæ honeſtæ, quem dicit ſequi S. Tho-
mam, S. Bonaventuram, S. Antoninum,
& plurimos alios: *De nullo prorſus ſi-
niſtre loquamur, quantumcumque ſit
verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſio-
ne, & hoc ubi non potes aliter manife-
ſtare peccatum tuum*. Et addit:,, Ubi
,, tranſeunter notanda ſunt ultima ver-
,, ba. Quia tenetur Pænitens facere id
,, quod poteſt, ut Confeſſarius non ve-
,, niat in cognitionem complicis, vel ſe-
,, ipſum occultando, vel confitendo
,, Confeſſario, cui ignotus eſt complex.,,

III.

III. Probatur Rationibus ab eodem. I. Qui tenetur ad majus, ut faciat opus aliquod a Deo præceptum, multo magis tenetur ad minus; Sed plus Juris habeo ad ſervandam famam meam, quam habeat alter, ut ſervem famam ejus: ergo ſi teneor cum infamia mea confiteri crimen meum occultum, teneor etiam aperire illud cum infamia complicis, ubi neceſſarium eſt. II. In Judicio civili tenentur reus, teſtis, & accuſator declarare complicem, quando id exigit integritas judicii; ſed in judicio ſacramentali Pænitens eſt reus, teſtis, & accuſator: ergo tenetur pariter complicem revelare, quando id exigit integritas judicii ſacramentalis. III. Revelatio criminis alieni apud perſonam prudentem, & ſecretam, rationabilibus occurrentibus cauſis, eſt licita: ergo etiam eſt licita revelatio complicis in confeſſione, ubi majus eſt ſecretum, & prudentiſſimus reputari debet Confeſſarius, quando urgentes & rationabiles ſunt cauſſæ. IV. Vetus Eccleſiæ diſciplina præcipiebat Pænitentibus revelare complices propter eorundem utilitatem, ut ſcilicet corrigerentur, & ad meliorem frugem reducerentur; quod juſſit Heraclas, ut refert Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. hiſtoriæ cap. 7. Unde Hæretici, ad Eccleſiam redeuntes, non prius recipiebantur, *quam quæcunque ab Adverſariis audierant palam expoſuiſſent*. Et Morinus lib. 2. de pænit. cap. 7. citat Auguſtinum ſermone 392. cap. 4. alias homilia 19. inter 50. ubi habet: *Nolo talem patientiam habeant chriſtianæ mulieres: prorſus revelent viros ſuos, non propter carnem ſuam, ſed propter animas illorum: Omnino ergo moneo, ego præcipio, ego jubeo: Epiſcopus jubet, Chriſtus in me jubet. Nolite viros veſtros permittere fornicari. Interpellate contra illos Eccleſiam. Non dico Judices publicos, non Proconſulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatores, ſed Chriſtum. In cæteris omnibus ancillæ eſtote virorum veſtrorum, ſubditæ ad obſequium; ſed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apoſtolus æquavit, dicens, uxori vir debitum reddat, ſimiliter, & uxor viro; clamate pro re veſtra*. Et Sermone 82. de verbis Domini, alias 17. cap. 8. *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo: corripio in ſecreto; pono ante oculos Dei judicium; terreo cruentem conſcientiam: perſuadeo pænitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus. Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus; nos prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus, ut ubi contigit malum, ibi moriatur malum.*

Obſtant I. Si eſſet vera hæc Concluſio redderetur odioſum pænitentiæ Sacramentum, quia fideles venirent in ſuſpicionem, quod violaretur a Confeſſario confeſſionis ſigillum; ſed hoc eſt adeo grave malum, ut ei cedere debeat quodcumque, vel Pænitentis, vel Complicis bonum: ergo &c. II. Sequeretur, quod multi homines iniqui falſis calumniis innocentes viros dehoneſtarent, ac turpiſſime infamareut; ſed hoc non eſt admittendum, ergo &c. III. Nullum eſt fundamentum, quo credamus Chriſtum præcepiſſe complicis manifeſtationem; precipue, quum Chriſtus ſit amator pacis, & ex hac manifeſtatione odia inextinguibilia oriri poſſent. IV. Conſervatio famæ proximi eſt præceptum naturale, integritas vero confeſſionis eſt præceptum divinum poſitivum, ſed præceptum divinum poſitivum cedere debet juri naturali: ergo &c. V. Infamatio eſt intrinſece mala: ergo in nullo caſu permitti debet. VI. nemo tenetur confiteri per interpretem, & hoc quia nemo tenetur infamare ſeipſum: Ergo neque quis tenetur complicis delictum manifeſtare.

Reſpondemus ad I. Quod ubi ſunt rationabiles cauſſæ, non eſt obligatio manifeſtandi complicem; attamen debet Pænitens inquirere Confeſſarium, cui ſit ignota complicis perſona; & ſi nullum ſit remedium, propter graviſſima incommoda, quæ imminent, poteſt complicem reticere.

Ad II. Ad prudens Confeſſarii judicium pertinet, ut falſas calumnias hominum perditorum agnoſcat, ac detegat, & innocentium virorum famam ſu-

ſuſtineat ; unde nec facile omnibus Pœnitentibus, præcipue mulierculis, debet credere ; nec ea a Pœnitentibus inquirere, quæ ex neceſſitate inquirenda non ſunt.

Ad III. ſemel admiſſo , quod Chriſtus inſtituerit Sacramentum pœnitentiæ per modum judicii, hoc eſt fundamentum; per quod perſona complicis debeat in confeſſione aperiri, vel ſecundum ſtatum, vel ſecundum profeſſionem, vel etiam ſecundum nomen, ſi hoc neceſſitas exigat, & nullum grave futurum damnum timeatur.

Ad IV. dicitur, quod conſervatio famæ alterius eſt juris naturalis, ſi ille alius ad famam ſuam jus habeat; At peccati complex jus hoc amiſit, quando peccavit; ſicut amiſit ipſemet Pœnitens, quando peccatum ſuum commiſit, & ideo tenetur peccatum ſuum in confeſſione aperire; quanvis id fieri nequeat ſine propriæ famæ detrimento, ad quam etiam quiſque jus habet.

Ad V. diſtinguitur antecedens : infamatio injuſta, & non neceſſaria, eſt intrinſece mala, conceditur ; infamatio juſta, & neceſſaria, negatur. In caſu autem nulla eſt infamatio, quia, ut dictum eſt, complex quando cum altero peccavit, amiſit jus ad famam.

Ad VI. non eſt ratio, quod non teneamur confiteri per interpretem, quia non tenemur propriæ famæ derogare; ſed quia præcepit Chriſtus, ut Sacerdoti, & non alteri, confiteamur. Interpres autem, ut ſupponitur, nec eſt Sacerdos, nec Confeſſarius: ergo non poſſumus per illum confiteri.

DIS-

DISSERTATIO CCCLXXIX.

De Integritate confeſſionis. An abſolvi poſſit moribundus, qui ſigna tantum generalia doloris oſtendit, & nullum peccatum in particulari confitetur? An quando Pœnitens habet caſus reſervatos, dimidiare poſſit confeſſionem? An Confeſſarius teneatur interrogare Pœnitentem, ſi aliquam habeat ſuſpicionem, quod Pœnitens, vel ex oblivione, vel ex pudore, vel ex mala fide, omnia & ſingula peccata ſua non confiteatur?

IN prima Diſſertionis parte tres diſtingui poſſunt caſus; quorum primus eſt de moribundo, qui tantum in genere confitetur, ſe commiſiſſe peccata, ſe peccaſſe, & ſenſibus deſtitutus non potuit peccatum aliquod in particulari exprimere. Secundus caſus eſt de moribundo, qui confeſſionem petiit, & ſigna pænitentiæ dedit in abſentia Sacerdotis, ſed adveniente Sacerdote ſenſibus deſtitutus obmutuit, & nullum peccatum aperivit. Tertius caſus eſt de moribundo, qui pariter ſenſibus deſtitutus, nec confeſſionem petiit, nec ſigna doloris dedit.

In primo caſu plures volunt, moribundum illum nec poſſe, nec deberi abſolvi; quia, dicendo ſe peccatorem eſſe, nullam ſuæ conſcientiæ manifeſtationem Confeſſario facit, ſuper quam fundari debet confeſſio, & abſolutio, & ſolũ dicit in genere ſe peccaſſe, ſe eſſe peccatorẽ, quod omnes homines dicere ſolẽt, & de facto dicunt. Alii vero communius docent, poſſe abſolvi. Primæ opinionis ſunt defenſores Abulenſis, Navarrus, Àlvarez, Canus, Sotus, Ledeſma, aliique apud Diana. Secundæ vero opinionis patroni ſunt S. Antoninus, Richardus, Vaſquez, Hurtadus, quos adducit Cardinalis de Lugo.

Pro ſecundo vero caſu nonnulli abſolute negant, poſſe Sacerdotem licite & valide abſolvere moribundum, qui eo abſente confeſſionem petiit, aut ſigna doloris exhibuit; & hujus opinionis ſunt Petrus Faii, Turrianus, Alphonſus de Leone &c. Alii vero diſtinguunt, & aſſerunt poſſe, ac deberi abſolvi moribundum, quando aliquis, qui fuit præſens, teſtatur Confeſſario eum voluiſſe confiteri; non ſic autem, ſi Confeſſarius non ſit certior factus de moribundi intentione. Alii tandem ſuſtinent, quod in omnibus caſibus moribundus ille abſolvendus ſit, dummodo Confeſſario conſtet, eum dediſſe doloris ſigna, & confeſſionem petiiſſe; etſi non ſint Teſtes, qui id aſſerant coram infirmo, vel moribundo; & hujus opinionis eſſe volunt S. Thomam, S. Antoninum, Sylveſtrum, Sylvium, Vaſquez, Suarez, & alii apud Averſam.

Pro tertio caſu ſunt, qui defendunt, moribundum ſenſibus jam deſtitutum, qui nec dedit, nec dare poteſt

ſigna

Digitized by Google

ſigna doloris, non poſſe nec valide, nec licite a Confeſſario abſolvi; & hujus opinionis ſunt Laymanus, Reginaldus, Henriquez, poſt Suarez, & Vaſquez. Alii vero defendunt, poſſe ac debere in illa extrema neceſſitate moribundum abſolvi ſub conditione; præcipue quando erat ſolitus chriſtiane vivere, & confeſſionem ſemel ſaltem in anno frequentare. Et hanc ſententiam Giribaldus vocat valde probabilem, in praxi ſecuram, & ſine hæſitatione practicandam, & pro ea plures Doctores adducit.

Dicimus I. Poſſe abſolvi moribundum, qui in genere dicit ſe peccaſſe; qui confeſſionem petiit antequam ſenſibus deſtitueretur; qui ſenſibus deſtitutus ſigna doloris non dedit, nec confeſſionem petiit, ſed tamen ſolitus erat ſe confitendi ſaltem ſemel in anno; at in hoc ultimo caſu poſſe ac deberi abſolvi ſub conditione.

Prima Concluſionis pars probatur I. Si detur caſus, quod aliquis recordetur ſe commiſiſſe peccatum mortale, at non recordetur cujus ſpeciei peccatum illud mortale fuerit, ſufficit ad validam ipſius confeſſionem, & ad validam quoque abſolutionem, ut dicat ſe recordari commiſiſſe peccatum mortale, & non recordari cujus ſpeciei fuerit; ſed hoc non aliunde, quam ex impotentia oblivionis, quæ illum impotentem reddit ad exprimendam peccati ſpeciem: ergo ubi adeſt ſimilis impotentia, eadem validitas quoque locum habere debet: atqui major impotentia eſt in eo, qui ſenſibus deſtituitur, quam in eo, qui obliviſcitur: ergo ſi in eo qui obliviſcitur, impotentia exprimendi ſpeciem peccati reddit illum capacem, ut valide abſolvatur; multo magis in eo, qui ſenſibus deſtituitur, impotentia exprimendi peccata in ſpecie, & ſolum manifeſtandi in genere, reddit illum ipſum capacem, ut licite & valide abſolvatur.

II. probatur. Si ille talis, de quo loquitur caſus, abſolvi non poſſet, ideo eſſet, quia deficeret confeſſionis integritas; ſed hæc non eſſet niſi integritas materialis, quam diximus non eſſe neceſſariam, & quæ in pluribus aliis non intervenit, abſque læſione validitatis confeſſionis: ergo ita pariter diſcurrendum eſt in præſenti caſu. Probatur minor. Poteſt licite abſolvi, qui vel per oblivionem, ut dictum eſt, vel per ignorantiam, vel per impotentiam, integre non confitetur: ergo ſimiliter licite & valide abſolvi poteſt, qui in genere confitetur peccata ſua, quando propter impotentiam ad ſpeciem & numerum eorundem deſcendere non poteſt.

Secunda Concluſionis pars probatur I. ex Romanis Pontificibus. Leo Magnus Epiſt. 91., quæ refertur in cap. a nobis 28. doce 1; & hæc ſunt ejus verba ad Theodorum Epiſcopum Forojulienſem: *Quod ſi aliqua ægritudine ita fuerint aggrovati, ut quod paulo ante poſcebant ſub præſentia* Sacerdotis, *ſignificare non valeant, teſtimonia ejus fidelium circumſtantium, prodeſſe debent, ut ſimul & pænitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur: mediator Dei, & hominum homo Jeſus Chriſtus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ſatisfactionem pænitentiæ darent, & eadem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentalem per januam reconciliationis admitterent.* Paulus V. in Rituali Romano hæc habet: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & ſignis conetur quoad fieri poteſt peccata pænitentis cognoſcere, quibus utcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

II. probatur ex Conciliis. Concilium Arauſicanum I. *Subito obmuteſcens (prout ſtatutum eſt) baptizari, aut pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habeat, aut præſentis in ſuo nutu, quo ſcilicet dolorem de peccatis ſignificet.* Concilium Carthaginenſe III. *Ut Ægrotantes, ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntati eorum teſtimonium ſui dixerint, baptizentur; ſimiliter & de Pænitentibus agendum eſt.* Concilium Carthaginenſe IV.: *Is, qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus in infirmitate obmutuerit, vel in phrænesim verſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem & infundatur ori ejus Eucharistia.* III. Pro-

III. Probatur Rationibus I. in caſu, de quo loquimur, Pænitens pænitentiam poſtulans demonſtrat dolorem, quem de peccatis habet, petit Sacerdotem, cui confiteatur, manifeſtat, generatim ſaltem, peccata, quæ vult in confeſſione aperire: ergo nulla eſt ratio, ut ei abſolutio denegetur. II. Dummodo hæc omnia Confeſſario conſtent, ſatis ipſe habet, ut abſolutionem Pænitenti impartiatur, ſive ſit cujuscunque præſentia, ſive non: ergo in eo caſu poteſt Confeſſarius eidem Pænitenti abſolutionem impartiri, dummodo ipſi conſtet, quod Pænitens confeſſionem petierit.

Tertia Concluſionis pars I. probatur. Pænitens, de quo eſt ſermo in tertio caſu, licet confeſſionem non petierit, nec ſigna doloris dederit, ſi tamen chriſtiane vixit, prudenter credi poteſt, quod ideo illud totum non præſtiterit, quia tempus non habuit, & quod præſtitiſſet, ſi tempus habuiſſet; ſed hoc eſt ſufficiens ad dandam abſolutionem ſub conditione: ergo Confeſſarius dare poteſt Pænitenti in illa extrema neceſſitate conſtituto abſolutionem ſub conditione.

II. probatur. Poteſt aliquando dubitari, quod ſigna, quæ dat Pænitens ſenſibus deſtitutus proveniant ex vi morbi, & ex animi dolore; & nihilominus eidem datur abſolutio ſub conditione: ergo pariter eadem abſolutio ſub conditione dari poteſt Pænitenti, qui nullum ſignum doloris dedit, quia prudenter credi poteſt, quod dediſſet, ſi tempus habuiſſet.

III. probatur. Clemens VIII. videns hominem cadentem per S. Petri fabricam, eum abſolvit dicens: Si capax es, ego te abſolvo &c. Gregorius XV. dum eſſet Alexander Ludoviſius, Archiepiſcopus Bononienſis, in memoriali Confeſſariorum, Bononiæ edito anno 1623. cap. 1. de forma Sacramenti pænitentiæ num. 16. hanc ſententiam confirmavit, dicens; quia contingere poteſt moribundum eſſe tantum attritum, unde damnaretur, niſi abſolvatur. S. Antoninus hoc ipſum probat ex authoritate Ritualis Romani, ſcribens: *Infirmus, quia amiſit loquelam, vel uſum rationis, ſi bene vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debet præſupponi contritus, & Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia*: Et ratio generalis eſt, quia ex una parte nulla fit injuria Sacramento, quum abſolutio ſub conditione detur, & ex altera provideatur ſummæ & extremæ illius Pænitentis neceſſitati.

Objiciunt I. Eſſe Peccatorem eſt commune omnibus hominibus, & illud dicere non eſt dare peculiarem notitiam conſcientiæ Pænitentis; ſed hoc eſt neceſſarium, ut Pænitens valide abſolvatur; ergo virtute illius generalis confeſſionis Pænitens non poteſt valide abſolvi. II. Abſolutio debet cadere directe ſuper aliquod peccatum in particulari, ut reliqua omnia peccata indirecte dimittat: ergo debet Pænitena manifeſtare peccatum aliquod in particulari, ut valide abſolvatur, ac proinde non ſufficit generalis. III. Sacerdos celebrans, & dicens in principio miſſæ: *Confiteor &c.* Quæ eſt confeſſio generalis, ſi ſenſibus deſtituatur, & moribundus evadat, non poteſt per illam generalem confeſſionem licite, & valide abſolvi: ergo neque moribundus in caſu, de quo loquimur. IV. Si Confeſſarius poſſet credere teſtibus, qui dicunt, Pænitentem petiiſſe confeſſionem, confeſſio fieret per interpretem; ſed confeſſio per interpretem damnata eſt a Clemente VIII.: ergo &c. V. non eſt abſolvendus moribundus, qui ex deliratione mentis expreſſe dicit ſe nolle confiteri: ergo neque abſolvendus eſt, qui nullum dedit confeſſionis ſignum. VI. Si aliquis in fornicatione peccaminoſa ſenſibus deſtitueretur, & moribundus fieret, non poſſet ei dari abſolutio, neque ſub conditione: ergo nec pariter dari poteſt illi, qui nullum dedit doloris ſignum.

Reſpondemus ad I. cum Sinibaldo, qui ſcribit: „non eſſe neceſſe, ut Pænitens „ præbeat notitiam novam Sacerdoti „ de re antea ignota, ſed ſufficit, ut ſe „ accuſet; quæ accuſatio fieri poteſt de „ re aliunde nota, ut per ſe patet; facta autem ſacramentali accuſatione, „ abſolutio directe cadit ſuper peccatum in genere, prout eſt offenſa Dei, „ & indirecte ſuper peccata in ſpecie; „ quod non debet eſſe mirum, nam realiter omnia peccata tollerentur per „ illam abſolutionem, ſed quia non „ explicatur, niſi peccatum in genere,

abſo-

„ abſolutio dicitur directe cadere ſuper „ peccatum in genere, & indirecte ſuper peccata in ſpecie, ſecundum quam rationem non fuerunt manifeſtata. Hinc ſequitur, Confeſſarium non ſolum poſſe, ſed lege charitatis teneri abſolvere Pænitentem, qui tantum in genere ſe peccaſſe dixit; quia cum hæc ſententia ſit valde probabilis, tum propter rationem, tum propter auctoritatem Doctorum, licite poteſt in praxi illam ſequi, & ad hoc tenetur lege charitatis, ut proſit ægroto ad æternam ſalutem, qui ſi forte non haberet, niſi attritionem, damnaretur, & cum beneficio abſolutionis ſalvus fieret, ita cum Suarez, Vaſquez, & aliis, quos congerit, & ſequitur Diana ſupra reſol. 9. Lugus ſup. num. 20. & Averſa ſeſſ. 16. ubi notat; poſſe abſolutionem impendi ſimpliciter, abſolute, & ſine conditione, ob allatam rationem, & tot Doctorum auctoritatem; idem valet ſi Pænitens unum tantum veniale dixiſſet, quia per illam abſolutionem poteſt a peccatis mortalibus juſtificari; ita Lugus num. 21. & Leander quæſt. 39.

Ad II. Reſponſio eruitur ex dictis.

Ad III. Aſſignatur diſparitas, quia confeſſio illa Sacerdotis non eſt confeſſio ſacramentalis ordinata ad recipiendam abſolutionem ſacerdotalem in foro Pænitentiæ, qualis eſt confeſſio Pænitentis in caſu, de quo loquimur.

Ad IV. Clemens VIII., qui damnavit confeſſionem factam per interpretem, declaravit quoque hunc caſum de moribundo, de quo eſt ſermo, non comprehendi in ſuo Decreto, anno 168. 17. Aprilis Et teſtatur Bellarminus apud Coninchum, Sancium &c.

Ad V. Dicitur, quod in illo caſu delitii, quando confeſſarius ſcit ex eo delitio repugnantiam provenire in Pænitente, poteſt ipſum abſolvere, præcipue, ſi ſolitus erat chriſtiane vivere, & confeſſionem frequentare.

Ad VI. Hæc reſpondet Tamburinus in methodo Confeſſionis lib. 1. cap. 10. §. 1. n. 12. „. Tunc non eſſe præſumendum attritum, atque adeo nec abſolvendum, docent communiter: ſed ego ſub prædicta conditione: *Si es capax abſolutionis*, vix illum regulariter ſine abſolutione dimitterem; non quia velim abſolvere non diſpoſitum, ſed quia rariſſime evenit, ut tam cito ſenſibus, quis dum actu peccat, ueſtituatur, ita ut vicinus morti non velit ſuæ ſaluti conſulere per aliquam contritionem. „. Eadem habet Antonius a Spiritu Sancto Diſput. 10. ſeſſ. 4. n. 721. quibus addit citatus Giribaldus: Quia communiter videmus homines vulneratos, vel in domo Meretricis, vel in actu furandi, ſi loqui poſſunt, perere abſolutionem; & ſic etiam qui in actu fornicandi ſenſibus deſtituitur, potuit in aliquo temporis intervallo dediſſe ſigna doloris, ac proinde ſub conditione debet abſolvi. „

Pro Secunda Diſſertationis parte, tres etiam poſſunt diſtingui & enumerari caſus; quorum primus eſt, Prælatus, qui habet auctoritatem abſolvendi a reſervatis, audivit a Pænitente reſervata, & non reſervata, quæritur, an poſſit illum abſolvere a reſervatis, & remittere ad inferiorem Confeſſarium, ut ipſum a non reſervatis abſolvat? Secundus caſus eſt, Prælatus an poſſit audire a Pænitente confeſſionem reſervatorum, & pro non reſervatis remittere illum ad inferiorem Confeſſarium, ut audiat, & abſolvat? Tertius caſus eſt, Confeſſarius inferior an poſſit audire & abſolvere Pænitentem a non reſervatis, & remittere ipſum ad Prælatum Superiorem, ut eundem a reſervatis, poſtquam audierit, abſolvat?

Pro primo caſu aſſerunt Theologi, quod fere omnes conveniunt, non poſſe Superiorem, ſeu Prælatum, qui audivit peccata omnia, & reſervata, & non reſervata, abſolvere Pænitentem ſacramentaliter dimidiate a reſervatis, & remittere illum ad inferiorem Confeſſarium, ut eum abſolvat a non reſervatis. Et ratio omnium eſt, quia integritas confeſſionis, & abſolutionis, eſt de jure divino, a qua tantum poteſt excuſare neceſſitas, & cauſſa urgentiſſima. Ex quo inferunt, quod ſicut Pænitens tenetur omnia peccata ſubjicere clavibus, ita Superior, qui audivit omnia peccata, tam reſervata, quam non reſervata, tenetur ab omnibus abſolvere Pænitentem diſpoſitum, & non habentem ex parte ſua obſtaculum, ſeu impedimentum. De hoc communi Theologorum conſenſu teſtatur Giribaldus de Pœnitentia

tia tract. 7. cap. 16. dubio 5.

Pro ſecundo caſu tres ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & tertia media. Prima eſt Petri Soto, Paludani, Navarri, Cajetani, aliorumque volentium, poſſe id facere Prælatum, ſeu Superiorem. Secunda eſt Suarez, Bonacinæ, Leandri, & aliorum dicentium non poſſe. Tertia eſt illorum, qui docent, quod ſi adſit juſta cauſſa, & neceſſitas urgens, poſſit id facere Prælatus; ſi vero non adſit, non poſſit facere. Ratio priorum eſt, quia hæc eſt conſuetudo & praxis Prælatorum, qui ob varias & graves occupationes, quibus tenentur, tantam temporis copiam non habent, ut omnia peccata Pænitentium audiant. Ratio aliorum eſt, quia integritas confeſſionis & abſolutionis eſt de jure divino, ut habetur ex Tridentino ſeſſ. 11. cap. 5. a qua proinde excuſare non poteſt reſervatio, & nullus Superior poteſt in ea diſpenſare.

Dicimus II. Si juſta adſit cauſſa, & neceſſitas urgens, poſſe Prælatum reſervata a Pænitente audire, & ab iisdem ipſum abſolvere; pro non reſervatis vero poſſe ipſum ad inferiorem Confeſſarium remittere, ut audiat, & abſolvat.

I. Probatur Concluſio evertendo rationem primæ opinionis. Occupatio Prælatorum nec eſt juſta cauſſa, nec eſt urgens neceſſitas: ergo ratione illius nequit fieri confeſſio non integra. Probatur antecedens; non eſt talis cauſſa, nec talis neceſſitas, ut poſſit prævalere præcepto divino: ergo non eſt juſta cauſſa, nec urgens neceſſitas Probatur antecedens: Si per aliam viam poſſet ſuæ occupationi providere, non eſſet talis cauſſa, nec talis neceſſitas, ut prævaleret præcepto divino; ſed poteſt: ergo &c. Probatur minor; quia vel poteſt ipſum remittere ad inferiorem Confeſſarium, ut auctoritate, quam ipſe habet, a non reſervatis abſolvat, & auctoritate, quam eidem communicat, & delegat, abſolvat quoque a reſervatis; Sed hæc eſt via melior & expeditior pro ſua occupatione ſublevanda, & pro Confeſſionis integritate ſervanda: ergo &c.

II. Probatur. Altera ratio, quam primæ ſententiæ defenſores comminiſcuntur, eſt praxis, quam dicunt vigere, præcipue Romæ; Sed hoc eſt penitus falſum; nec enim major Pænitentiarius, qui eſt Cardinalis, nec Pænitentiarii minores, qui ſunt Regulares in Baſilicis, audiunt tantum reſervata, & pro non reſervatis mittunt Pænitentes ad Confeſſarios ordinarios; ut cuilibet Romæ degenti notum eſt: ergo falſo facto innitentes, nequeunt bonum jus fovere.

III. Probatur ſimul tertia Concluſionis pars, & evertitur ſecunda. Ex parte Pænitentis juſta cauſſa & urgens neceſſitas excuſat ab integritate confeſſionis: ergo etiam ex parte Confeſſarii. Conſequentia ſequitur; quia non minus pro Confeſſario, quam pro Pænitente, integritas Confeſſionis eſt de jure divino: ergo ſi admittit juſtam cauſſam, & urgentem neceſſitatem pro uno, admittit etiam pro alio. Probatur modo antecedens, enumerando cauſſas, propter quas Pænitentes poſſunt aliquando tacere aliqua peccata, quæ paſſim apud Auctores inveniuntur.

IV. Probatur adducendo veram praxim romanæ Curiæ, quæ hæc eſt apud Giribaldum; nempe. „. Si Confeſſa-
„ rius urgentes habeat occupationes,
„ & negotiorum multitudinem, pote-
„ rit, ſi peccata ſint reſervata cum cen-
„ ſura, auditis reſervatis abſolvere a
„ cenſura, & pænitentem remittere ad
„ inferiorem pro abſolutione ſacra-
„ mentali peccatorum: Si vero fuerint
„ reſervata ſine cenſura, & ipſe habeat
„ poteſtatem ſubdelegandi, poterit ip-
„ ſum remittere ad inferiorem cum po-
„ teſtate ut abſolvatur ab omnibus, abſ-
„ que eo quod ipſe ſacramentaliter ab-
„ ſolvat; & hæc forte eſt conſuetudo
„ romanæ Curiæ, quam Cajetanus ad-
„ ducit, ut nimirum in caſibus Papæ re-
„ ſervatis, qui annexam habent cenſu-
„ ram, Superior abſolvat ab excommu-
„ nicatione, & pænitentem remittat
„ ad inferiorem pro ſacramentali abſo-
„ lutione peccatorum; aliamque pra-
„ xim non vigere, notat Averſa quæſt.
„ 17. ſect. 9. „.

Pro tertio tandem caſu, qui eſt, an poſſit Confeſſarius abſolvere Pænitentem a non reſervatis, & pro reſervatis ipſum remittere ad Superiorem, ut ab eo abſolvatur? Tres pariter ſunt ſententiæ, duæ extremæ, & tertia media. Prima affirmat, & eſt Navar-

varri, Valentiæ, Medinæ, Bordoni &c. Secunda negat, & eſt Vaſquez, Cani, Sylvii &c. Tertia diſtinguit, quod ſi ſit cauſſa rationabilis, & neceſſitas urgens, poſſit; non poſſit vero, ſi hæc non adſit: & hanc dicunt eſſe ſententiam S.Thomæ, Suarez, Leandri, & aliorum. Rationabilem autem cauſſam dicunt eſſe, ſi inſtet præceptum communioni, ſi obligatio celebrandi ſacrum, & non poſſit ſine ſcandalo illa omittere, & ſine infamia; nec tunc ſit facilis ad Superiorem acceſſus.

Dicimus III. Inferiorem Sacerdotem, & ordinarium Confeſſarium, non poſſe abſolvere Pænitentem a non reſervatis, & mittere illum ad ſuperiorem, ut ab eo abſolvatur a reſervatis, ſine rationabili cauſſa, & urgenti neceſſitate; poſſe tamen, ſi adſit cauſſa rationabilis, & neceſſitas urgens.

I. Probatur. Sola cauſſa rationabilis, & ſola urgens neceſſitas, poteſt facere, ut Confeſſio a Pænitente dimidietur: ergo etiam hæc ſola poſſet facere, ut dimidietur a Confeſſario: ergo ſine illa dimidiari non poteſt.

II. Probatur. Rationabilis cauſſa, & neceſſitas urgens, facit, ut peccata non reſervata abſolvantur directe, & indirecte abſolvantur reſervata; Sed hoc ſufficit ad ſalvandam integritatem confeſſionis, & abſolutionis: ergo quando adeſt rationabilis cauſſa, & urgens neceſſitas, nullum infertur integritati Confeſſionis præjudicium; infertur vero, quando non adeſt.

Opponunt I. Ita eſt de jure divino integritas Confeſſionis, ut in ea nullus Superior poſſit diſpenſare, nec ſummus Pontifex, qui poteſtatem non habet ſupra jus divinum: ergo nec rationabilis cauſſa, nec urgens neceſſitas poſſunt ab integritate Confeſſionis excuſare. II. Si cum rationabili cauſſa poteſt Confeſſarius ordinarius abſolvere Pænitentem directe a non reſervatis, & indirecte a reſervatis, poteſt etiam ſimplex Sacerdos non approbatus cum rationabili cauſſa abſolvere Pænitentem directe a venialibus, pro quibus poteſtatem habet, & indirecte a mortalibus, pro quibus poteſtatem non habet; ſed hoc nemo dicit, nec dicere poteſt: ergo &c. III. Peccata, quæ ſemel ſunt abſoluta, nequeunt iterũ abſolvi: ergo ſi peccata reſervata ſunt abſoluta indirecte a Confeſſario ordinario, non eſt opus, ut iterum a Superiore directe abſolvantur. IV. Rationabilis cauſſa, & urgens neceſſitas, non excuſant ab abſolutione Cenſuræ, ſed eam ſemper debet præmittere Superior, ut etiam a nobis dictum eſt: ergo pariter neque excuſant ab abſolutione reſervatorum.

Reſpondemus ad. I. Quod nemo diſpenſat, nec diſpenſare poteſt in integritate Confeſſionis, quia de jure divino eſt; ſed tantum ſit quod in eo caſu Confeſſionis integritas locũ non habeat; & hoc quia declaratum ſupponitur non urgere præceptum integritatis Confeſſionis in illo caſu. Aliud enim eſt diſpenſatio præcepti, aliud vero declaratio, quod præceptum locum non habeat in aliquo caſu; primum fieri omnino non poteſt, ſecundum autem poteſt.

Ad II. Diſpar eſt ratio inter Confeſſarium ordinarium, & ſimplicem Sacerdotem non approbatum, quia ille habet juriſdictionem, hic vero non habet; nec abſolutio a venialibus juriſdictionem ſupponit, quia etiam vi poteſtatis ordinis fieri poteſt; quum fiat quoque virtute ſacramentalium, ut omnes admittunt.

Ad III. quæ ſunt abſoluta uno modo non poſſunt eodem modo abſolvi, ſed altero modo abſolvuntur; nimirum abſoluta fuerunt indirecte, & deinde abſolvuntur directe. Et hoc præſertim debet facere Pænitens, ut ſuæ obligationi ſatisfaciat ſe ſiſtendi Superiori, ut a reſervatis abſolvatur, quam obligationem eidem quoque inculcat Confeſsarius ordinarius, quando ipſum a non reſervatis abſolvit.

Ad IV. Dicitur, quod diverſia eſt ratio in cenſura, ac in peccatis, quæ ſunt reſervata; cenſura enim abſolvi non poteſt, niſi a Superiore, & ab eo, cui Superior ſpecialem delegat poteſtatem, cujus proinde abſolutio venit ſub conceſſione generalis poteſtatis abſolvendi a caſibus reſervatis. Sunt etiam aliæ rationes, propter quas ſub conceſſione abſolutionis a reſervatis non venit conceſſio abſolutionis a cenſuris; & præcipue quia in cenſuris habere poteſt locum tertii damnum, Eccleſiæ læſio, Immunitatis

tis offenſio, & aliæ apud Auctores videndæ, quæ in peccatis tantum reſervatis locum non habent.

Pro tertia Diſsertationis parte, ſunt qui putant, nullam habere obligationem Confeſsarium interrogandi, & examinandi Pænitentes; & ratio ipſorum eſt, quia onus Confeſsarii eſt audire, & abſolvere, non vero interrogare. Attamen quæſitum, quod nos proponimus, non eſt hoc; nos enim ſupponimus, Confeſsarium habere ſuſpicionem, quod Pænitens, vel ex oblivione, vel ex pudore, vel ex mala fide, omnia & ſingula peccata ſua non confiteatur; & in hoc caſu quærimus, an Confeſsarius teneatur illum interrogare? Et in hoc fere omnes conveniunt, quod ipſum teneatur interrogare. Proinde.

Dicimus IV. Confeſsarium teneri interrogare Pænitentem, ſi aliquam habeat ſuſpicionem, quod Pænitens, vel ex oblivione, vel ex pudore, vel ex mala fide, omnia & ſingula peccata ſua non confiteatur.

I. Probatur Concluſio. Si Pænitens ſit ruſticus, & neſciat examen peccatorum facere, tunc non debet Confeſsarius ipſum dimittere, & ei dicere, ut exactius examen faciat, quia ſemper erit in eadem impotentia, in qua prius fuit: ergo debet ipſum potius adjuvare; ſed non poteſt adjuvare niſi per interrogationes: ergo tenetur ipſum interrogare.

II. Probarur etiam de illis, qui ruſtici non ſunt, & exactum præmiſerunt examen, attamen Confeſsarius dubitat, vel non dicere omnia peccata, vel omittere circumſtantias, quæ ſunt neceſsario aperiendæ. Etenim ex cap. *Omnis utriuſque ſexus, de Pænit. & remiſſ.* habetur, quod Confeſsarius *ſit Sacerdos diſcretus, & cautus, more periti Medici; diligenter inquirens peccatorum circumſtantias &c.* Quibus verbis rationem addit Giribaldus dicens: „. Et ratio eſt, quia Sacerdos tamquam Judex, & Dei miniſter non ſolum tenetur ex officio cavere peccatum Pænitentis in mutilatione Confeſſionis, ſed etiam ex officio curare tenetur, ut judicium ipſum integre fiat, non ſolum formaliter, quantum ad bonam fidem, & diligentiam Pænitentis, ſed etiam materialiter, quantum morali modo fieri poteſt; ita tenent S. Thom. Sylveſt. Angel. Navar. Cano, Suarez, Vaſquez, Lugus, Ochagavia, Villalobos, & alii, quos affert, & ſequitur Leander cit. quæſt. 124.

III. probatur. Confeſſarius, qui ſcit Pænitentem commiſiſſe peccatum grave, quod neque interrogatus confitetur, & ſcit Pænitentem ſacrilege negare, non debet ipſum abſolvere, ex doctrina Suarez, & aliorum: ergo tenetur ipſum interrogare, quando ſuſpicionem aliquam habet, quod ex mala fide peccatum aliquod grave reticeat. Conſequentia ſequitur, quia quum poſſit dari caſus iſte, & fortaſſis aliquando detur, debet Confeſſarius ſe in tuto ponere, Pænitentem interrogando, quando ſuſpicionem habet, illum ex mala fide reticere peccatum grave, quod commiſit.

Obſtant I. non tenetur Confeſſarius adhibere diligentiſſimam induſtriam in confeſſionibus excipiendis: ergo nullo modo tenetur Pænitentem interrogare. II. Frequentes, & minutæ Confeſſarii interrogationes aliquando docent Pænitentes peccata, quæ ipſi antea non noverant: ergo cautius eſt, quod Confeſſarii Pænitentes non interrogent, quam quod interrogent. III. Quilibet debet præſumi bonus, & recte diſpoſitus, niſi contrarium clare, conſtet; ergo per ſolam ſuſpicionem non debet Confeſſarius præſumere quod Pænitens per malitiam peccatum aliquod grave reticeat. IV. Poteſt dari caſus, quo Confeſſarius agnoverit peccatum Pænitentis per confeſſionem alterius Pænitentis complicis; ſed in hoc caſu ſine fractione ſigilli nequit ipſum de illo peccato interrogare; ergo abſolute Confeſſarius non tenetur Pænitentem interrogare; immo in hoc caſu tenetur potius illum non interrogare.

Reſpondemus ad I. Verum eſſe, quod Confeſſarius non teneatur adhibere exactiſſimam diligentiam quantum ſimpliciter fieri poteſt; ſed tamen tenetur adhibere moralem, & humanam, per quam a Pænitente ea quærere debet, quæ, conſiderata Perſonarum qualitate, judicare poteſt, fuiſſe a Pænitente prætermiſſa.

Ad II. Damnatur quidem exceſſus in interrogationibus, ſed commendatur dif-

diſcretio ; unde vere fieri non debent interrogationes ſuperfluæ, & curioſæ, quæ vel poſſunt ignorantes peccata docere , vel puſillos ſcandalizare, vel ſeipſos Confeſſarios delectationis periculo exponere : attamen ex hoc non fit, quod non debeat Confeſſarius adhibere interrogationes neceſſarias , modeſtas , & opportunas.

Ad III. Dicitur, quod ſupponimus contrarium clare conſtare, vel quia Confeſſarius vidit ipſum Pænitentem paulo ante peccantem , & non vidit alteri Confeſſario peccatum ſuum aperuiſſe : vel quia Confeſſarius ex publica voce, & fama novit peccata Pænitentis, & ſcivit a Pænitente non haberi ut peccata : vel quia ſcit damnum alterius a Pænitente illatum , & non reparatum .

Ad IV. Dicitur , quod nos non loquimur de peccatis , quæ Confeſſarius per confeſſionem alterius Pænitentis agnovit ; illa enim ſunt tanquam ſi non agnoviſſet ratione ſigilli.

DISSERTATIO CCCLXXX.

De Veritate confeſſionis ſacramentalis . An qui mentitur in eadem graviter peccet ? An qui leviter, etiam peccet? An quis poſſit mentiri in confeſſione ſine peccato?

Veritas Confeſſionis eſt altera conditio , quam diximus ad bonam confeſſionem requiri ; & circa ipſam tres difficultates, quæ in diſſertationis titulo proponuntur , examinandæ ſuperſunt . Circa quas Cajetanus 2. 2. quæſt. 69. art. 1. ad 3. putavit , omne mendacium dictum in confeſſione eſſe peccatum mortale , & irritum reddere ſacramentum : communis tamen ſententia eſt , quod ſolum mendacium circa materiam gravem , & neceſſariam, voluntarie , & advertenter dictum in confeſſione , ſit peccatum mortale ; non ſic vero ſi eſſet circa materiam levem , & non neceſſariam .

Revera confeſſio veritatem continere debet ; & hoc primo , quia confeſſio eſt peccati accuſatio coram Sacerdote , qui vice Chriſti Judicis officio fungitur, & Judici , in judicio præſertim ſacramentali, exponi debet, quod verum eſt . Secundo , quia confeſſio eſt infirmitatis manifeſtatio , quæ fit Sacerdoti , qui pariter vice Chriſti medici officium exercet; adeoque eidem debet Infirmus veridice morbum tuum declarare .

Dicimus I. peccare mortaliter , qui circa materiam gravem in confeſſione mentitur . Materiam vero gravem eſſe , vel quando a Pænitente negatur mortale peccatum , vel circumſtantiam notabiliter aggravantem , quando recordatur ſe commiſiſſe: vel quando Pænitens confitetur ut mortale quod eſt veniale : vel quando Confeſſarius interrogat de conſuetudine alicujus gravis peccati, & Pænitens illam reticet .

I. Probatur Concluſio . Qui in materia gravi violat præceptum, quod eſt divinum, mortaliter peccat ; ſed qui mentitur in confeſſione in materia gravi violat præceptum , quod eſt divinum : ergo &c. Probatur minor. Chriſtus præcepit materiam confeſſionis, ut rem abſolutam , & neceſſariam

riam in confeſſione ; ſed qui mentitur in materia neceſſaria , meutitur in re gravi : ergo præceptum divinum eſt de re gravi .

II. Probatur ex Patribus . Ambroſius lib. 1. de Jacob. & vita beata cap. 3. *Non eſt, quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam , niſi noſtræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam , niſi voluntate propria deflexerit : non habent crimen , quæ inferuntur reluctantibus : voluntaria tantum commiſſa ſequitur delictorum invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus , voluntarium ſervum ſibi Diabolus auctoratur . Neminem jugo ſervitutis adſcriptum poſſidet , niſi ſe prius peccatorem ære ei vendiderit . Quid carnem velut infirmam accuſamus ? membra noſtra arma ſunt iniquitatis , & arma juſtitiæ. . . . . , Affectus igitur , non caro, auctor eſt culpæ,caro autem voluntatis miniſtra . Non ergo vendat nos voluntas noſtra* . S. Auguſtinus enarratione 11. in Pſalmum 31. 1 *Deus tegat vulnera ; noli tu ; Nam ſi tu tegere volueris erubeſcens , Medicus non curabit. Sub tegmine medici ſanatur vulnus. ſub tegmine vulnerati celatur vulnus .* S. Bernardus ſermone 16. in Cantica: *Quamquam & de his , qui religioſe veſtiti, & Religionem profeſſi ſunt , nonnunquam audivimus aliquos reminiſci, & jactare impudentiſſime mala ſua præterita , quæ (verbi gratia) aliquando, vel fortior gladiatorio , vel argute litteratorio geſſere conflictu , ſeu aliud aliquid ſecundum mundi quidem vanitatem favorabile, ſecundum animæ vero ſalutem nocivum , pernicioſum, damnaſum ; Sæcularis adhuc animi judicium eſt hoc , & humilis habitus , qui geſtatur a talibus , non ſanctæ novitatis eſt meritum , ſed priſcæ vetuſtatis operculum, nonnulli talia quaſi delendo, & pænitendo rememorant, ſed gloriam intentione captantes , commiſſa ſua non diluunt , ſed ſe ipſos illudunt : nam Deus non irridetur . Veterem hominem non exuunt , ſed novo palliant . Non proditur , aut projicitur vetus fermentum illa confeſſione , ſed ſtatuitur . Pudet reminiſci quorundam tantam proterviam, ut non pudeat eos cum exultatione lugenda jactitare , quod & poſt ſuſceptum ſanctum habitum callide quempiam ſupplantaverint , & circumvenerint in negotio fratrem : aut ad talionem pro convicio, vel maledicto, ideſt malum pro malo , aut maledictum pro maledicto, audacter reddiderint .*

Dicimus II. venialiter tantum peccare qui circa materiam levem , ſeu venialem, in confeſſione mentitur.

I. Probatur Concluſio . Quæcunque materiæ levitas a mortali excuſat ; ſed in caſu eſt materiæ levitas : ergo a mortali excuſat .

II, Probatur . Peccatum , ex quo non provenit notabilis mutatio in mente Confeſſarii , neque ut Judex eſt , neque ut eſt medicus , non poteſt eſſe grave, quia nec judicium notabiliter variatur , nec remedium : ergo tantum eſt leve .

Arguunt I. Qui in materia levi mentitur in confeſſione , reus eſt ſacrilegii; ſed ſacrilegium ſemper eſt peccatum grave : ergo qui in confeſſione mentitur etiam in materia levi graviter peccat . Probatur minor; qui reus eſt ſacrilegii , peccat contra virtutem Religionis , quæ præcipit , ut dicatur veritas in confeſsione , ratione reverentiæ , quæ Sacramento debetur . II. Qui meutitur circa tempus , a quo confeſſus èſt , mentitur in materia levi , & nihilominus graviter peecat. III. Qui in confeſsione dicit peccatum aliquod veniale , quod non commiſit , graviter peccat ; ſed peccatum veniale eſt de materia levi : ergo, qui mentitur quoque in confeſsione in materia levi,peccatum mortale committit . IV. Qui mentitur circa ſtatum proprium , graviter quoque peccat ; ſed aperitio ſtatus non eſt materia gravis : ergo circa materiam levem poteſt quis graviter peccare .

Reſpondemus ad I. Quod non omne ſacrilegium abſolute & per ſe eſt peccatum mortale , ſed tantum tunc eſt, quando eſt in materia gravi ; in materia enim levi ratione levitatis materiæ non eſt in rigore ſacrilegium , adeoque eſt peccatum veniale tantum. Hoc patet in eo, qui furatur denarium in Templo , qui ratione levitatis materiæ committit veniale peccatum , & nihilominus ratione loci furtum in Templo commiſſum eſt ſacrilegium , quando ſcilicet eſt in materia gravi ; puta ſi quis aureum in Templo furaretur .

Ad II. Dicitur , quod tunc peccat mortali-

taliter, qui mentitur circa tempus, a quo confeſſus eſt, quando temporis cognitio neceſſario aperiri debet ad hoc, ut Confeſſarius agnoſcat Pœnitentis ſtatum; & tunc eſt, quando in tempore continetur, vel peccandi conſuetudo, vel peccatorum recidivitas, vel occaſio, quæ dicitur proxima ad peccandum.

Ad III. Tunc graviter peccat, qui in confeſsione dicit peccatum veniale quod non commiſit, quando dicit peccatum illud veniale tantum, & nullum aliud, nec mortale, nec veniale. Et tunc non ratione mendacii, quod leve eſt, ſed ratione quia irritat, & nullum reddit Sacramentum propter materiæ deficientiam.

Ad IV. Si ſtatus Pœnitentis neceſſario aperiri debet Confeſſario, ut quando ſcilicet peccatum mortale ratione ſtatus mutat ſpeciem, tunc mendacium circa ipſum ſtatum eſt peccatum mortale. Si vero hæc ſpecialis ratio non adſit, tunc eſt peccatum veniale, & per conſequens mendacium circa ipſum peccatum quoque veniale erit. Exemplum prioris partis eſt, quando qui dicit ſe copulam habuiſſe cum muljere innupta, quæ tamen nupta eſt. Exemplum vero poſterioris eſt, quando quis dicit ſe habuiſſe copulam cum muliere deformi, quæ tamen formoſa eſt.

DISSERTATIO CCCLXXXI.

De Veritate confeſſionis. An Pœnitens aperire debeat in confeſſione effectum, qui ſequitur ad cauſſam aliquam peccati, quæ ab ipſo voluntarie datur; An vero ſufficiat explicare tantum cauſſam, quam voluntarie ded t? An ſi peccato annexa eſt cenſura, cenſuram incurrat, ſi voluntatem pravam antecedenter retractavit? An idem dicendum ſit de irregularitate, quando peccato annexa eſt irregularitas?

PRO prima Diſſertationis parte exempla hæc proponuntur. Titius mandavit Cajo, ut occideret Sartorium: deiode mutatus eſt, & voluit retractare mandatum, ſed non potuit, quia Cajus illico Sartorium occidit. Inſuper, propinavit ho.nini venenum, at poſtea pœnitui eum facti, & voluit remedium ponere: ſed non potuit, quia homo venenum jam hauſit, & mortuus eſt. Ulterius, dedit cauſſam voluntariam pollutioni, ac deinde voluit eam impedire; at non potuit, quia pollutio jā ſequuta eſt. Quæritur, an in his caſibus ſufficiat Pœnitenti dicere; dedi mandatum, ut adverſarius meus occideretur, abſque eo quod teneatur dicere, quod ratione ipſius mandati occiſus fuerit, qui eſt effectus ſequutus? vel an ſufficiat dicere propinavi inimico meo mortale venenum, abſque eo, quod dicendi obligationem habeat, quod ratione veneni propinati mor-

mortuus fuerit inimicus ejus? vel voluntarie procuravi pollutionem, at poſtmodum a propoſito mutatus volui eam impedire, & nequivi; quia pollutio jam ſequuta eſt temporis illo intervallo, quo eam nolebam; an teneatur dicere procuravi voluntarie pollutionem, & ſubſequuta eſt; an vero ſufficiat aperire tantum, quod procuraverit eam?

Prima ſententia eſt illorum, qui docent explicandam eſſe, & cauſſam datam, & effectum ſequutum; & hujus ſententiæ ſunt Sanchez, Sotus, Lopez, Palaus, Averſa, aliique. Averſa autem vult hanc ſententiam eſſe veram, quando prava voluntas non fuit retractata, & revocata, quia tunc verum eſt, quod effectus ſequens eandem malitię denominationē participat, & cum illa prava voluntate moraliter conjungitur; ſecus vero ſi mala illa voluntas fuit per pænitentiam retractata, quia tunc interrumpitur continuatio & conjunctio effectus cum voluntate antecedenti. Vaſquez, qui pro hac opinione citatur, fatetur tamen hanc eſſe communem praxim, & dicit non eſſe impediendam.

Secunda ſententia eſt illorum, qui docent, non eſſe neceſſarium explicare in confeſſione effectum externum, qui ſequitur, ſed ſufficere, ut dicatur cauſſa voluntarie data. Et hujus ſententiæ ſunt Bonacina, Diana, Lugus, Azorius, Leander, alii addunt etiam Vaſquez.

Dicimus I. Teneri Pænitentem explicare Confeſſario, & cauſam voluntarie datam, & retractationem, ab ipſo factam, & effectum, qui non obſtante illius retractatione, ſequutus eſt.

I. Probatur. Ubi notabiliter Confeſſarii judicia variantur, ibi aperienda ſunt motiva, propter quæ variantur; ſed in caſu, de quo loquimur, notabiliter Cōfeſſarii judicia variantur: ergo aperienda ſunt motiva, propter quæ variantur; ſed motiva ſunt prava voluntas antecedens, retractatio ſubſequens, & effectus, qui ſequitur: ergo hæc omnia neceſſario aperienda ſunt in Confeſſione. Probatur minor principalis argumenti; & quidem de voluntate antecedenti conveniunt omnes, quod aperienda ſit; retractatio vero dubitari non poteſt, quod minuat illius malitiam, adeoque judicium variat; effectus autem addit malitiam, ſi non formalem, ut volunt defenſores ſecundæ ſententiæ, ſaltem virtualem, ut ab iiſdem non negatur; ſed hoc ſufficit ad variandum judicium Confeſſarii; ergo in caſu, de quo loquimur, ſunt motiva, quæ notabiliter judicium Confeſſarii variant.

II. Probatur. In effectu, qui ſequitur, continetur ſpecialis obligatio Pænitentis, qui non continetur in voluntate antecedenti; ergo hic effectus eſt neceſſario in Confeſſione explicandus. Probatur antecedens. Continetur vel manifeſtatio damni illati per occiſionem ſequutam, vel ſcandalum per pollutionem conceptum, vel alterius malitiæ, quæ in actu externo continetur, & non continetur in voluntate prava antecedenti; ſed hæc pecularis malitia neceſſario eſt Confeſſario aperienda: ergo &c.

III. Probatur. Actio externa peccaminoſa addit diſtinctam malitiam actui malo interno; ſed effectus, qui ſequitur, eſt actio mala externa: ergo addit ſpecialem malitiam pravæ voluntati antecedenti. Neque dicant, quod per voluntariam retractationem diſtinguitur effectus ſequutus a voluntate antecedenti; quod non verificatur in actione externa peccaminoſa, quæ ſubſequitur ad actum malum internum non retractatum: ne dicant hoc, quia etſi disjunctus, ac diſcretus ſit effectus, qui ſubſequitur, a voluntate antecedenti, per retractationem, ſemper tamen ab illo dependet, & ratione illius influxus, ipſe ſequutus eſt: ergo ſemper continet malitiam peculiarem, etſi ab alio derivatam, non in ſe ipſo tamen formaliter conſtitutam.

Opponunt I. Influxus in effectum, ut effectus dicatur peccaminoſus, debet eſſe actualis; ſed hujuſmodi non eſt influxus in effectum, de quo loquimur: ergo effectus ille non eſt peccaminoſus: ergo non eſt neceſſario in Confeſſione aperiendus. II. In Confeſſione ſunt aperienda peccata, non effectus peccatorum; ſed effectus ille non eſt peccatum, quanvis ſit ille peccati effectus: ergo non eſt explicandus in Confeſſione. III. Effectus ille ſequi etiam poteſt, quando quis dor-

mit, vel ebrius eſt; ſed quando quis dormit, vel ebrius eſt, non eſt capax peccandi: ergo effectus ille non eſt peccaminoſus. IV. Ubi non eſt libertas, non eſt peccatum; ſed ſupponimus habentem pravam voluntatem non potuiſſe impedire effectum: ergo non fuit in eo libertas: ergo non fuit novum in eo peccatum, quod debuiſſet ratione effectus Confeſſario aperire.

Reſpondemus ad I. Negando majorem; & ratio eſt, quia ſufficit, ut influxus ſit virtualis. Et ideo virtualiter continetur in actione illa peccaminoſa influxus pravæ voluntatis antecedentis, quia virtute illius fit; & quanvis fuerit voluntas illa retractata, tamen non retractatus eſt influxus, qui adhuc perſeverat, & virtute cujus actio ſubſequens eligitur. Et licet per ipſum non ſteterit tunc temporis, ſtabat tamen, quando poterat impedire, & non impedivit; vel quando poterat non exequi voluntatem pravam, & illam exequutus eſt.

Ad II. Negatur pariter major, quia eſt omnino falſa. Quis enim dicet, quod non ſint aperiendæ conſequentiæ peccatorum, quæ ut effectus eorumdem, ſi fuerint proximo pernicioſæ & damni irreparabilis, tum in corpore ipſius, tum in anima? igitur ex Adverſarii mente non eſt aperiendum in confeſſione ſcandalum, pravum exemplum, ratione cujus proximus peccavit, amiſſio famæ, vitæ, & bonorum, quæ ex peccato provenerunt; et quæ omnia ſunt conſequentiæ peccatorum, & effectus eorundem? Quæ omnia ſunt abſurda, & a nemine ſanæ doctrinæ Theologo admittenda.

Ad III. Dato, quod effectus ſequatur quando quis dormit, vel ebrius eſt; attamen fuit productus tempore, quo ipſe vigilabat, & ſanæ mentis erat. Effectus autem malitia non deſumitur a tempore, quo producitur, ſed quo ordinatur. Et parum refert, quod producens illum ſubſequenti tempore fuerit mutatus, dummodo non fuerit opportuno tempore mutatus influxus in effectum, in quo ſine effectiva retractatione ſemper perſeverat. Quum non ſufficiat affectiva retractatio, quæ nihil ad effectum confert.

Ad IV. Diſtinguitur major; Ubi non eſt libertas, nec fuit, conceditur; ubi non eſt libertas, ſed fuit; negatur. Et hæc libertas, quæ fuit, ſufficit ad conſtituendum novum peccatum in confeſſione aperiendum. Dummodo enim libertas illa, quæ fuit in prava voluntate antecedenti, durat in opere, quanvis non duret in mente, & effective non retractatur, ſemper pariter perſeverat in effectu, qui illius virtute fit. Et hoc ſatis eſt, ut libertas ſit in effectu, per quam reddatur peccaminoſus, & ſit neceſſario in confeſſione aperiendus.

Pro altera Diſſertationis parte, quæ reſpicit cenſuras in genere; & pro tertia, quæ reſpicit irregularitatem in ſpecie; duæ ſunt ſententiæ, una, quæ negat cenſuras, & irregularitatem incurri, quando prima prava voluntas fuit retractata; & altera, quæ affirmat. Primam ſententiam tenent Diana, Hurtadus, Bonacina, Palaus, & alii. Secundam vero docent communiter Theologi cum Averſa, Lugo, Giribaldo, & alii apud ipſum.

Dicimus II. incurri cenſuras, & irregularitatem, etiam ſi fuerit prima voluntas revocata.

I. Probatur. Cenſuræ maxime imponuntur ab Eccleſia ſub ſola conditione, quod effectus ſequatur, non vero ſub conditione, ut voluntas ſemper perſeveret ad eundem effectum: ergo quanvis voluntas non perſeveret, quia retractatur, dummodo ſequatur effectus, ſemper cenſuræ, & irregularitas incurruntur.

II. probatur. Ex probatis in prima Concluſione, etiamſi fuerit prima prava voluntas revocata, effectus, qui ſequitur, continet novum peccatum in confeſſione aperiendum: ergo multo magis per ipſum incurruntur cenſuræ, & irregularitas, quæ ſupponunt peccatum.

III. probatur. Etiamſi quando retractatur voluntas, & effectus ſequitur, non ſit novum peccatum, locum tamen habent cenſuræ, & irregularitas: ergo vere cenſuræ & irregularitas incurruntur, etiamſi fuerit prima prava voluntas retractata. Antecedens eſt doctrina plurium Theologorum, inter quos eſt Giribaldus, qui docent novum peccatum non committi, & cenſuras incurri: at nihilominus ejus probatio in reſponſionibus ad argumenta in contrarium patebit.

Ob-

Obſtant I. Quando effectus ſequitur, homo, per retractationem prioris voluntatis, & per confeſſionem ſacramentalem, ut ſupponitur, jam eſt juſtificatus, & in gratia; ſed qui eſt juſtificatus, & in gratia, non incurrit cenſuras, & irregularitatem, quæ ſupponunt peccatum: ergo &c.

II. Cenſura eſt pæna medicinalis, ordinata ad emendationem, non ad punitionem: ergo, qui jam eſt emendatus, illam non incurrit.

II. Excommunicatio, & irregularitas, quæ provenit ex delicto, ſupponunt contumaciam in ſubiecto; ſed qui voluntatem retractavit, & procuravit effectum impedire, non eſt contumax; ergo cenſuram non incurrit.

IV. Cenſura incurritur, quando ſequitur effectus, non vero quando effectus tantummodo procuratur; ſed quando ſequitur effectus non eſt peccatum, quanvis ſit quando procuratur: ergo non eſt cenſura.

Reſpondemus ad I. cum Giribaldo, quod ſicut excommunicatus, licet per contritionem juſtificetur, adhuc manet excommunicatus, donec abſolvatur; ita poteſt, quando jam eſt in gratia, incurrere de novo excommunicationem, propter peccatum præteritum conſummatum. Et hanc doctrinam dicit, quod tenent Averſa, Lugus, & alii communiter.

Ad II. dicitur, quod ideo cenſura eſt pæna medicinalis, quia peccantem arcet a ſimilibus in futurum; & arcentur pariter alii illius metu ab iiſdem.

Ad III. dicitur, quod utique cenſuræ & irregularitas ſupponunt contumaciam in ſubjecto, vel præſentē tamen, vel præteritam; & hæc præterita in eo fundatur, quod ſciens, & cognoſcens opus aliquod eſſe prohibitum ſub cenſura, illud tamen libere, & voluntarie voluit, poſuit, procuravit; & quanvis quando advenit conditio, ceſſaverit contumacia, & reperiatur in gratia; attamen cenſura compatibilis eſt cum gratia, & poteſt incurri propter peccatum præteritum poſita conditione effectus ſequuti. Et hanc rationem addit citatus Giribaldus.
„ Et ſicut gratia non obſtat, quo minus
„ morte plectatur, qui delictum morte
„ dignum commiſit, ita non obſtat,
„ quin plectatur per excommunicatio-
„ nem, qui contumaciam habuit requi-
„ ſitam ad cenſuram incurrendam.

Ad IV. dicitur, quod facta objectio habet locum contra Theologos illos, qui dicunt, ratione effectus ſequuti non committi novum peccatum, ſed incurri tamen cenſuras: Attamen ipſi quoque ad ipſam reſpondent, cenſuram non incurri ſine peccato præſenti, aut præterito; quia peccatum illud poteſt Eccleſia punire per cenſuram incurrendam ſub conditione, quod ſequatur effectus, & non aliter: Unde quando verificatur conditio, cenſura incurritur ſine novo peccato: Ita Giribaldus, qui illius eſt opinionis. Nos tamen dicimus, quod & novum peccatum committitur, & cenſuræ, & irregularitas incurruntur, ut uſque modo probatum eſt.

DISSERTATIO CCCLXXXI.

De ſecreto confeſſionis, ſeu de ſigillo ſacramentali. A quo jure præceptum habeatur, ſitque proinde neceſſarium ſacramentalis confeſſionis ſigillum? Quam ſtricta habeatur ſigilli obligatio? Quæ ſit materia illius? Quas obliget Perſonas? Et quæ ſint pœnæ contra illius Violatores a Legibus inſtitutæ?

ALIA confeſſionis ſacramentalis proprietas eſt ſecretum; unde in carminibus adductis dicitur, quod debeat eſſe ſecreta. Et in hoc fundatur ſacramentalis confeſſionis ſigillum; quod ſic dicitur ab inſtrumento, quo literæ obſignantur; unde per ipſum contrahunt Confeſſarii ſtrictiſſimam obligationem reticendi ea, quæ in confeſſione audiemunt. Et quidem obligatio eſt ſtrictiſſima, quia nullo tempore, ſive ſit vivens, ſive ſit mortuus Pænitens, a Confeſſario revelari poteſt, neque indirectiſſime, ſi ex ejus revelatione oriatur vel Pænitenti, vel Sacramento detrimentum aliquod, vel gravamen, vel odioſitas, vel quodcunque aliud ingratum. Et hæc eſt differentia inter ſigillum naturale, & ſacramentale, quod primum poſſit ac debeat revelari, vel ad vitandum majus malum Communitatis, vel alicujus tertiæ Perſonæ innocentis, vel ad Judicis competentis juridicam interrogationem. Secundum vero nullo modo poteſt, etiam ſi tota Eccleſia pereat, ſi tota fides catholica deſtruatur, ſi totus mundus conſumetur. De ipſo igitur quærimus plura, quæ in Diſſertationis titulo proponuntur, & quidem pro prima parte ejusdem.

Dicimus I. Sigillum ſacramentalis confeſſionis eſſe præceptum jure naturali, divino, & eccleſiaſtico.

I. Probatur Concluſio pro prima parte. Jus naturale prohibet alteri inferri infamiam, quam nobis inferri nolumus; ſed ex violatione ſigilli alteri inferretur infamia, quam nobis inferri nolumus: ergo jure naturali confeſſionis ſigillum eſt præceptum.

II. Probatur. Ex jure naturali tenemur ſervare ſecreta, quæ nobis committuntur ſub bona humana fide: ergo multo magis tenemur ſervare ea, quæ nobis committuntur ſub religionis fide.

Secunda Concluſionis pars I. probatur. Confeſſarius, quæ audit in confeſſione, audit vice Chriſti; ſed Chriſtus nunquam ea propalaret, ubi obventura eſſet injuria, infamia, damnum Pænitenti: ergo neque Confeſſarius; atqui hoc eſt præcipi a jure divino: ergo &c.

II. probatur. Poteſtatem audiendi confeſſionem habet Confeſſarius a Deo: ergo a Deo habet quæcunque confeſ-

ſio-

ſionem comitantur, ac ſubſequuntur; ſed ſacramentale ſigillum ſequitur ad ſacramentalem confeſſionem : ergo ex præcepto & inſtitutione Chriſti habetur ſigillum ſacramentalis confeſſionis.

Tertia concluſionis pars probatur I. ex Romanis Pontificibus. Gregorius, Romanus Pontifex, qui refertur *cap. Sacerdos, diſt. 6. de Pænitentia*, hæc habet : *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſe peregrinando pergat*. Dubitant hic Eruditi, quis Gregorius, Romanus Pontifex, iſte fuerit; aliqui volunt fuiſſe Gregorium Magnum ; alii vero fuiſſe Gregorium VII., quia peregrinatio, quæ imponitur pro pæna, tempore Gregorii magni in uſu non erat, erat tamen tempore Gregorii VII. Alii autem ſuſtinent fuiſſe Auctorem, qui fuerit Gregorio VII. coæqualis tempore, & cujus nomen Gratiano non innotuit. Eugenius III. relatus in *cap. Si Sacerdos, extra De officia Judicis Ordinarii*, ſic reſpondet : *Si Sacerdos ſciat pro certo, aliquem eſſe reum alicujus criminis : vel ſi confeſſus fuerit, & emendore noluerit; niſi judiciario ordine quis probare poſſit, non debet eum arguere nominatim, ſed indeterminate, ſicut dixit Chriſtus* : Unus veſtrum me traditurus eſt. *Sed ſi ille, cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit; ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a communione, licet ſciat eum eſſe reum; quia non ut Judex ſcit, ſed ut Deus; ſed debet eum admonere, ne ſe ingerat; quia nec Chriſtus Judam a communione removit*. Clemens VIII. die 16. Maii ann. 1594. Superioribus Regularibus omnibus hæc præcepit : *Tam Superiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*.

II. probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. Can. 21. *Caveat autem omnino*, Confeſſarius, *ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat Peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat, quoniam qui peccatum in pænitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a ſacerdotali officia deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pænitentiam in arctum monaſterium detrudendum*. Sinodus Senonenſis anno 1524. *Obligantur Sacerdotes omnes, & ſinguli, triplici jure, videlicet naturali, divino, & humano, cælare peccata quæcunque revelata, & dicta in confeſſione ſacramentali, quæ tanto, & tali debet claudi ſigillo ſecreti, ut nullo caſu, nec verbo, nec ſigno aliqualiter reveletur, aut revelari exiſtimetur. Peccat enim graviter, primo contra jus naturale, Sacerdos, qui revelat peccatum ſibi in ſecreto confeſſionis dictum, quia revelando tale peccatum diffamat proximum, & facit proximo quod ſibi non vellet fieri. Secundo peccat contra jus divinum, quia eodem jure prohibetur revelatio confeſſionis, quo jure præcipitur ipſa confeſſio, quæ eſt de jure divino a Chriſto inſtituta; & ſi licitum eſſet in aliquo caſu Sacerdoti revelare peccatum ſibi dictum in confeſſione, enervaretur præceptum divinum de confeſſione facienda; quia nema eſſet qui vellet ſuum peccatum occultum propriæ famæ denigrativum Sacerdoti detegere, & revelare; & ſic talis revelatio peccati eſſet a præcepto de facienda confeſſione retractativum. Peccat etiam Sacerdos revelans confeſſionem contra præceptum Eccleſiæ, ut habetur in Concilio Lateranenſi, cujus hæc verba ſunt in Canone* Omnis utriuſque ſexus &c.

III. Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. de pænitentia hoc ſæpe docet, dicens : *Quid tuos aliud, quam te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, ut plauſores fugis?* Ambroſius lib. de pænitentia cap. 1. 7. & 10. S. Paulinus in Vita S. Ambroſii, *Cauſas autem criminum*, inquit, *quas illi confitebantur, nulli, niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur . . . . . Bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines*. Baſilius Can. 34., & in regulis brevioribus ad interrogationem 229. S. Thomas Quodlibeto 12. quæſt. 10. art. 1. *Nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo ſigno licet in aliquo caſu revelare*

confeſſionem, quia eſt ſacrilegium. Num ita eſt in Sacramentis novæ legis, quod efficiunt, quod figurant: effectus autem pænitentiæ eſt occultatio peccatorum ob oculos Dei viventis; & hæc occultatio ſignificatur per ſacramentum confeſſionis: & ideo ſicut profanaret Sacramentum, qui conficeret Corpus, & Sanguinem Chriſti de alio, quam de pane, & vino, ita eſſet revelans ſacrilegus ...... & 4. ſententiarum quæſt. 11. art. 1. ad 1 *Nec tamen ſigillum confeſſionis contra charitatem militat, quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato quod homo neſcit; Illud autem quod confeſſione ſcitur, eſt quaſi neſcitum, cum illud neſciat aliquis ut homo, ſed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis caſibus, quantum poteſt ſine revelatione confeſſionis, ſicut monendo eos, qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæreſim. Poteſt etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet ſuper Gregem ſuum: ita tamen, ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nutu, confitentem prodat.*

VI. Probatur Rationibus I. Omnia jura prohibent peccare contra juſtitiam; ſed violare ſigillum ſacramentale eſt peccare contra juſtitiam: ergo omnia jura prohibent violare ſigillum ſacramentale. Minor probatur; quia eſt peccare contra fidelitatem, unde quilibet taliter peccans ad damni refectionem tenetur. II. Omnia jura prohibent peccare contra religionem; ſed violare ſigillum eſt peccare contra religionem: ergo omnia jura prohibent violare ſigillum. III. Quod leges graviſſimis pænis puniunt, ſupponi debet ab omni jure vetitum; ſed leges graviſſimis pænis puniunt ſigilli violationem, ut ſuo loco dicemus: ergo ſigilli violatio eſt ab omni jure vetita. IV. Quod omni tempore fuit in Eccleſia ſervatum, dici debet a Chriſto præceptum; ſed Eccleſia omni tempore ſervavit ſacramentalis ſigilli obſervantiam: ergo hæc dici debet a Chriſto præcepta, ſi non ſcripto, voce tamen tradita, ſed ab Eccleſia conſtanti, & perpetua traditione ſervata. Ad hoc probandum adducitur teſtimonium Sozomeni lib. 7. hiſtoriæ cap. 16. ubi narrat: *Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maxime ſpectabilem, ſecretorum etiam quam maxime tenacem, ac ſapientem, huic officio præfecerunt: ad eum accedentes, qui peccarant, actu vitæ ſuæ confitebantur.*

Objiciunt I. Bonum commune præferendum eſt bono particulari; ſed aliquando revelatio ſigilli reſpicit bonum commune: ergo præferendum eſt bono particulari Pænitentis. II. Quando culpa, quæ revelatur, eſt levis, notabile damnum Confitenti non infert, & ex altera parte maximum bonum poteſt Eccleſiæ conferre; ſed maximum bonum præferri debet levi damno: ergo in hoc caſu licitum eſt violare ſigillum. III. Antiqua Eccleſiæ diſciplina quædam peccata publica pænitentia puniebat; ſed hoc erat violare ſigillum: ergo &c. IV. Aliqui ſunt caſus, quibus confeſſio integra fieri non poteſt ſine ſigilli ſacramentalis violatione; ſed integritas confeſſionis eſt de jure divino præcepta: ergo ſi violatio ſigilli eſt de jure divino prohibita, ſequitur, quod duæ divinæ leges inter ſe pugnent, & neſcitur quænam ex illis debeat alteri prævalere, ſicque in obſcuro ſalus noſtra remaneret.

Reſpondemus ad I. Quod obſervatio ſigilli reſpicit majus commune bonum, quam quod ex violatione reſpiciatur; quia hoc aliud vel eſſet bonum temporale, quod bono ſpirituali cedere debet; vel eſſet bonum alicujus perſonæ, civitatis, populi, & etiam totius mundi; obſervatio vero ſigilli reſpicit bonum totius Eccleſiæ, quæ præferenda eſt toti mundo: unde falſum eſt, quod obſervantia ſigilli ſit bonum ſolius Pænitentis, quum contineat decorem, & manutentionem ſacramenti pænitentiæ, quod pertinet ad totam Eccleſiam, & quod redderetur odioſum, ſi ſigilli violatio permitteretur,

Ad II. nunquam eſt leve damnum, quod per ſe deſtruit ſacramentum a Chriſto inſtitutum, & impedit animarum converſionem, quæ Chriſti ſanguine redemptæ ſunt; & ſic nunquam hoc damnum poſtponi debet damno cuicumque totius humani generis, quia hoc ſemper eſſet minus ſacramenti valore, animarum ſalute, & totius Eccleſiæ perverſione.

Ad III. Hæc reſpondet Juveninus in Commentario Diſſertatione 6. de

pæ-

pænitentia, quæſt. 5. de confeſſione
§. 3. „ Ex pænis, quibus lapſi damna-
„ bantur, colligi non potuiſſe I. Eos
„ grave aliquod in genere peccatum
„ commiſiſſe: Siquidem multos, vel
„ maxime pios, reperire erat, qui de-
„ votionis cauſa publicum pænitentiæ
„ ſtadium decurrerent. II. Contendi-
„ mus a fortiori dignoſci non potuiſ-
„ ſe crimen in ſpecie, in quod Pæ-
„ nitens lapſus fuiſſet: nam pleraque
„ ſcelera, aut eadem, aut non multum
„ diſſimili pæna caſtigabantur: Qui
„ v.g. jacebant in proſtratione, eadem
„ ſordida veſte induebantur, omnes
„ ſimul genufleſtebant, omnibus ſimul
„ imponebantur manus, omnes palam,
„ & ſolemniter, antequam inciperet fi-
„ delium miſſa, ab Eccleſia pellebantur.
„ III. Si quis ex pænitentia publica ve-
„ niſſet in genere in gravis alicujus cri-
„ nis ſuſpicionem, hinc tamen nullam
„ incurrebat notam infamiæ: imo cor-
„ dis contritio, quam præſeferebat, di-
„ ligentia, quam adhibebat in decur-
„ rendis præfixis ſibi ſtationibus, cætui
„ fidelium maxime erat ædificationi „.
Qui ſic Deo ſatisfecerit, inquit Cipria-
nus lib. de Lapſis, *qui pænitentiam fa-
cti ſui, qui pudore delicti, plus & virtu-
tis, & fidei de ipſo lapſus ſui dolore con-
ceperit: eſt auditus, & adjutus a Domi-
no, quam contriſtaverat nuper, lætam
faciet Eccleſiam, nec jam ſolam Dei ve-
niam merebitur, ſed coronam*. Tourne-
ly vero reſpondet, quod ſola peccata
publica, non occulta, publicæ pæniten-
tiæ legibus ſubijciebantur, ſaltem ex
Canonum præſcripto.

Ad IV. Caſus, qui proponitur a Juveni-
no citato eſt hic: „ Ubi tres tantum
„ eſſent Sacerdotes, quorum unus ab-
„ ſolveret alterum ab irregularitate, a
„ qua tamen abſolvendi facultatem
„ non habuiſſet: Is enim Sacerdos, qui
„ impendiſſet abſolutionem, integre
„ confiteri non poſſet tertio, niſi decla-
„ raret ſe requiſita poteſtate deſtitu-
„ tum quempiam Præsbiterum abſol-
„ viſſe ab irregularitate; ac proinde ſe
„ extitiſſe cauſam quod ille Præsbiter
„ irregularitate innodatus, ſacris de-
„ derit operam: „ & per hæc verba
„ idem ipſe reſpondet. „ Eo in caſu,
„ & ſimilibus aliis, quibus Sacerdos
„ non poteſt abſque ſigilli infractione,
„ ſui peccati, aut ſpeciem, aut gravi-
„ tatem accuſare, teneri eum præter-
„ mittere circumſtantiam hujuſmodi:
„ perinde enim ſe tunc habet, ac ſi
„ deeſſet copia Confeſſoris. Ratio eſt,
„ quia majus eſt vinculum ex ſigillo
„ confeſſionis contractum, quam ſit il-
„ lud, quod ex debito integre confi-
„ tendi contrahitur. Nec mirum; Nam
„ I. Quoties duo præcepta concurrunt,
„ illud, quod præter jus divinum poſi-
„ tivum, complectitur etiam jus natu-
„ rale, alteri præponderare debet: ergo
„ cum ejuſmodi ſit præceptum de ſecre-
„ to confeſſionis ſervando, alteri mere
„ poſitivo, quod eſt de integritate con-
„ feſſionis, debet anteponi; II. præceptũ
„ de non referando ſecreto Confeſſio-
„ nis eſt præceptũ negativum de re in-
„ trinſece mala, quæ proinde nullo in
„ caſu liceat: e contra præceptũ de con-
„ feſſionis integritate eſt præceptum
„ affirmativum, cujus omiſſio certis in
„ cumſtantiis innoxia eſſe poſſit. „

Ex hoc ſequitur arctiſſima ſacramenta-
lis Sigilli obligatio; quum enim ex
triplici illo jure, & precipue divino,
dependeat; inde fit, quod in nullo
prorſus caſu, aut poſſit, aut debeat,
rumpi, vel violari: unde Eſtius §. 14.
ſcribit „. Quod ſi quæres, in qua Scri-
„ ptura fundetur hoc jus divinum? re-
„ ſpondemus, in ea, quæ præcipit oc-
„ cultorum peccatorum Confeſſionem
„ cauſſa abſolutionis a Sacerdote obti-
„ nendæ; atque omnino in eo, quod
„ Chriſtus Sacerdotes conſtituit Vica-
„ rios ad ſolvendum, & ligandum, ſive
„ ad remittendum, & retinendum pec-
„ cata, videlicet Matth. 18. & Joan. 20.
„ Inde enim per ſe conſequens eſt, Sa-
„ cerdotem tanquam Chriſti Vicarium
„ debere per Confeſſionem peccata
„ cognoſcere; & quia a Confitente de-
„ teguntur in ordine ad abſolutionem,
„ ab eodem Sacerdote, tamquam Vi-
„ cario Chriſti, percipiendam, eadem
„ peccata debere cælare. Quamvis igi-
„ tur lege naturali quiſque teneatur ad
„ ſecreti ſibi commiſſi occultationem,
„ maxime quando ejus detectio ſpecta-
„ ret ad infamiam proximi; ac præte-
„ rea lege canonica graves pænæ con-
„ ſtitutæ ſint Sacerdotibus peccata ſibi
„ confeſſa revelantibus, ut patet ex
„ duobus Decretis ſupra citatis; præ-
„ cipua tamen vis hujus obligationis
„ naſci videtur ex jure divino, atque
„ ex ratione Sacramenti: quo fit, ut
„ nullo prorſus caſu, ne quidem peri-

„ culi vitæ, Reipublicæ, Regni, Animarum, nec ulla diſpenſatione eccleſiaſticæ Poteſtatis liceat, vel minimum peccatum ex confeſſione cognitum detegere. Hoc autem non ita eſſet, ſi ex ſola lege naturali, vel humana hæc obligatio naſceretur. Nam in multis caſibus alia ſecreta prodi poſſunt, & in legibus humanis poteſt ab homine diſpenſari; atque hinc etiam patet, majus eſſe hoc vinculum, quam ſit ulla promiſſio ſervandi ſecreti etiam jure Jurando firmata, quandoquidem & hic interdum diſpenſatio locum invenit. „ Cum quo

Dicimus II. Ita eſſe arctam ſacramentalis ſigilli obligationem, ut in nullo caſu, aut poſſit, aut debeat, violari.

I. Probatur. Quæ fiunt in ſacramentis externis ſunt ſigna illorum, quæ fiunt in ſacramentis internis: ergo etiam quod fit in externa obſervatione Sigilli ſacramentalis es ſignum illius, quod fit in interno confeſſionis ſacramentalis: atqui hoc non poteſt eſſe, niſi quod Pænitens exterius ſe Sacerdoti ſubjiciens ſit ſignum ſubjectionis, qua interius ſe ſubjicit Chriſto; & pariter quod Sacerdos Pænitentem abſolvens exterius eſt ſignum, quod Chriſtus abſolvit interius: ergo quando Sigillum ſacramentale violatur tota injuria fit Chriſto, cujus vice Sacerdos peccata audit, & abſolvit; ſed injuria facta Chriſto eſt atrociſſima: ergo atrociſſima eſt Sigilli violatio, ergo arctiſſima eſt Sigilli obligatio.

II. Probatur. Defectus in munere, quod Chriſtus inſtituit, & Chriſtus impoſuit illi, quẽ ad id muneris elegit, eſt praviſſimus, & omni gravitate puniendus; ſed Chriſtus inſtituit cum ſacramento Pænitentiæ Sigillum eidem ſacramento annexum, & illius munus Sacerdoti impoſuit: ergo graviſſimus eſt defectus in Sacerdote, & omni ſevetitate puniendus, violare Sigillum.

III. Probatur. Ex Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 5. hæc habentur. *Cæterum quemadmodum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ad aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit, non eſt tamen hoc præcepto divino mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno unanimique conſenſu ſecreto confeſſio ſacramentalis, qua ab initio ſancta Eccleſia uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata, manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.* In quibus Concilii verbis obſervare oportet, quod ſecreta confeſſio fuit ſemper a Patribus obſervata, tanquam a primo Eccleſiæ ævo a Chriſto Domino inſtituta; & proinde, quod eam in nullis caſibus licitum ſit violare.

Opponunt I. Leo magnus Epiſtola 80. ſcribit ad Epiſcopos Campaniæ, peccata in ſacramentali Confeſſione audita non eſſe detegenda, & aliam non non addit rationẽ, niſi hanc; ne Fideles ſcilicet a confeſſione arceantur; nullam autem fecit mentionem juris naturalis, & divini, & eccleſiaſtici: ergo ſignum eſt, quod altera apud ipſum ratio non erat; ſed hæc ratio non eſt tam arcta, ut nos intendimus; ergo &c. II. Socrates lib. 5. cap. 19. hiſtoriæ, & Sozomenus lib. 7. cap. 17. hiſtoriæ, narrant quod Pænitentiarii in ſingulis urbibus conſtituti peccata hominum publicabant, dum eos ad publicam pænitentiam adigebant; & nihilominus nulla eccleſiaſtica pæna fuiſſe mulctatos, dicunt. III. Integritas in confeſſione eſt jure divino præcepta, & nihilominus ſuper ea in aliquibus caſibus diſpenſatur: ergo pariter, quanvis Sigillum ſacramentale ſit jure ivino præceptum, poſſunt tamen dari caſus, in quibus ſuper eo diſpenſetur. IV. Conſervatio propriæ vitæ eſt de jure divino, & naturali: ergo ſaltem cum periculo propriæ vitæ non eſt ſervandum ſacramentale Sigillum. V. Eccleſia poteſt ſub excommunicationis pæna præcipere Confeſſario, ut detegat peccatum aliquod in confeſſione auditum, & hoc ob bonum publicum ipſius Eccleſiæ: ergo ius divinum aliquando cedere debet juri eccleſiaſtico. VI. Confeſſarius ſi a judice competenti in-

interrogetur de auditis in confeſſione, debet juridice reſpondere: ergo non tenetur ſervare Sigillum. VII. Saltem de conſenſu, & licentia Pœnitentis poteſt Confeſſarius illius peccatum revelare: ergo datur caſus, in quo licitum ſit violare Sigillum. VIII. Proponuntur quidam caſus a Guillelmo Altiſiodorenſi in Summa lib. 4. tract. 6. quæſt. 4. & ſunt: vult Petrus ducere in uxorem Franciſcam, quam Confeſſarius in confeſſione ſcivit rem habuiſſe cum Paulo, qui erat Petri Frater; Epiſcopus eidem Confeſſario præcipit, ut eos matrimonio conjungat. Inſuper hoc ipſum impedimentum ſcit Nicolaus in confeſſione, & ne excommunicationem incurrat in proclamatione comminatam, illud Parocho revelat. Denique, novit in confeſſione Sacerdos aliquem Clericum eſſe irregularem, & ea irregularitate, quæ diſpenſari non poteſt; Si Clericus ille vult ad ſacros ordines aſcendere, poteſt Sacerdos irregularitatem ſuam revelare: & ad hos tres caſus dicit Willelmus idem, quod Doctores Pariſienſes affirmative reſponderunt; & illorum rationes has fuiſſe aſſerit. I. Quia tenetur tum Confeſſarius, tum Epiſcopus, impedire malum quantum poteſt. 2. quia in fraterna correptione non dicitur proditor criminis ille, qui illud revelat ei, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe; ſic Sacerdos iſte ſi illud revelat Epiſcopo, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe, non peccat. 3. quia ille qui eſt mortuus, ſi viveret, deberet velle, quod revelaretur. IX. Cæſarius, Monachus Ciſtercienſis, refert quod quidam Monachus, qui Sacerdos non erat, quotidie celebrabat; & quotidie aperiens peccatum ſuum in confeſſione, nunquam tamen ab ipſo ſe abſtinebat; & quod relatus caſus ad Innocentium III hic reſpondit, confeſſionem eſſe revelandam, quia illa non erat Confeſſio, ſed blaſphemia. X. Epiſcopus habebat voluntatem conferendi cuidam Clerico beneficium, at poſtea noſcens in confeſſione illum eſſe flagitioſum, noluit ei beneficium dare, & docetur a S. Thoma, quod hoc potuit licite facere. XI. Epiſcopus pariter ſtatuerat Parochum ſuo munere privare; & noſcens in confeſſione illud hujuſmodi munere vere indignum eſſe, idem S. Thomas docet quod poteſt ſe in prima ſua voluntate confirmare. XII. Communiter admittitur, quod poſſit Sacerdos uti ſcientia in confeſſione habita ad procurandum aliquod ſibi bonum, vel ad elongandum aliquod a ſe malum: ergo &c.

Reſpondemus ad I. cum Eſtio loco citato:,, quod ergo Leo Epiſtola 80. ad
„ Epiſcopos Campaniæ prohibet pecca-
„ ta Pœnitentium publicari, ne per hoc
„ multi a pœnitentiæ remediis arcean-
„ tur, una quidem cauſa eſt hujus Si-
„ gilli, non tamen præcipua, neque per
„ ſe ſufficiens. Quamquam eo loco
„ Pontifex non agit de publicatione
„ peccatorum, quæ fieret per Sacerdo-
„ tes, ſed per ipſos Pœnitentes, aut per
„ Sacerdotes cum Pœnitentium con-
„ ſenſu, & voluntate.,,

Ad II. Idem Eſtius reſpondet, eam peccatorum publicationem, vel ab ipſis Pœnitentibus, ut apud Leonem, hortatu tantum, vel etiam juſſu Pœnitentiarii, conſuetam fieri; vel a Pœnitentiario quidem, ſed ex conſenſu Pœnitentium.

Ad III. Dicitur, quod hæc eſt diſparitas inter integritatem confeſſionis, & obſervantiam Sigilli ſacramentalis, quod quando urget neceſſitas ex Scriptura, & Patrum traditione, ſufficit perfecta contritio ad ſalutem ſine ulla, aut ſaltem integra peccatorum confeſſione, quia homines ad impoſſibile non tenentur: Ex Scriptura vero, & ex Patribus, non habemus, quod poſſit in aliquo caſu confeſſionis Sigillum infringi.

Ad IV. Dicimus, quod etiam cum periculo propriæ vitæ debet ſervari Sigillum; quia Sacerdos, quando ſuſcipit munus audiendi confeſſiones, tacito pacto ſe obligavit etiam cum vitæ ſuæ diſcrimine ſe obſervare ſecretum, & bonum publicum Eccleſiæ proprio & privato vitæ ſuæ bono præponere.

Ad V. Negatur omnino antecedens, quia Eccleſia nunquam mandare poteſt, quod ſit juri divino contrarium. Quod ſi aliquis Eccleſiæ miniſter id tentaverit, nemo eidem debet obtemperare, nec excommunicationis pœnam timere, quia nulla eſt, & manifeſte injuſta. Unde ſubdit Tournely. Interpres Decretorum apud Gra-

Digitized by Google

tianum, de Pœnitentia diſt.6. c.2.turpiter lapſus eſt, ut & in aliis bene multis, cum aliter pronunciavit.

Ad VI. Tres ſunt reſponſiones; prima eſt Eſtii, qui dicit, poſſe ſimpliciter Sacerdotem reſpondere, ſe neſcire; quia nempe neſcit ut teſtis, qui teneatur reſpondere verum Judici illi, qui interrogat. Judex enim non poteſt interrogare Sacerdotem de iis, quæ novit in confeſſione; adeoque ipſe eidem reſpondere non tenetur. Secunda eſt Maldonati, qui vult Sacerdotem in eo caſu debere dicere, ſe nihil habere dicendum; & hæc ſunt ſua verba de Pænit c.3. „. Aliud con„ ſilium mihi magis probatur, ne Sa„ cerdos dicat, ſe neſcire, ſed conſi„ ſtat in jure ſuo, & fortiter reſpon„ deat, ſe nihil poſſe dicere, quod au„ dierit in confeſſione, in unam aut al„ teram partem. Nam hac ratione & „ cavet mendacium, & magis defendit „ jus eccleſiaſticum, & nullum relin„ quit locum ſuſpicandi, aut cuncta„ tione aut modo reſpondendi. „. Tertia eſt S. Thomæ 1.2. q.10. ar. 1. ad 2. docentis. „. Dicendum, quod de illis, „ quæ homini ſunt commiſſa in ſecreto „ per confeſſionem, nullo modo debet „ teſtimonium ferre; quia hujuſmodi „ non ſcit ut homo, ſed tanquam Dei „ miniſter, & majus eſt vinculum ſa„ cramenti quolibet hominis præcepto. „ Circa ea vero, quæ aliter homini ſub „ ſecreto committuntur, diſtinguen„ dum eſt: quandoque enim ſunt talia, „ quæ ſtatim cum ad notitiam hominis „ venerint, homo ea manifeſtare tene„ tur: puta ſi pertinent ad correptio„ nem multitudinis ſpiritualem, vel „ corporalem, vel in grave damnum „ alicujus perſonæ, vel ſi quid aliud eſt „ hujuſmodi, quod quis propalare te„ netur vel teſtificando, vel denun„ ciando; & contra hoc debitum obli„ gari non poteſt per ſecreti commiſ„ ſum. „.

Ad VII. Hæc eſt reſponſio Tournely, cui nos ſubſcribimus: „ Diſcordes eſſe „ hac in parte Theologos, aliiſque af„ firmantibus, negantibus aliis; quo„ rum momentis hic ex utraque parte „ prætermiſſis, dicimus, quod & ſi ſpe„ culative loquendo, poſſit Sacerdos, „ conſentiente pœnitente, ejus ſecre„ tum revelare; in praxi tamen parce, „ & multa cum prudentia utendum eſſe „ hac Pœnitentis licentia, propter gra„ viſſima, quæ inde naſci poſſunt, in„ commoda. „ Notandum inquit Eſtius in 4. diſtin. 17. §. 14. Sacerdotem tali conceſſione non facile; *ſed prudenter, & nonniſi magna utilitate exigente, uti debere; idque apud eos tantum, quibus omnino opus ſit peccatum innoteſcere; ac multo magis cavendum, ne ſubreptive aut doloſe ſciat extra confeſſionem, & ſic detegat; qua in re præter fraudem, etiam ſacrilegii crimen admitteretur*.

Ad VIII. Præfatus Willelmus ad tres propoſitos caſus ita reſpondet: quia, ut ipſe refert, ita reſponderunt Doctores Pariſienſes; nimirum ad primum, Sacerdotem, qui ex confeſſione cognovit occultum illud impedimentum, teneri illud revelare; & hæc ſunt verba Willelmi. „ Ad hoc ſolent „ dicere Magiſtri, quod in hoc debet „ Sacerdos revelare confeſſionem, & „ non infringit ſigillum confeſſionis, „ ſed aperit; quia infringere importat „ deformitatem, eſt enim infringere „ indebite revelare. „ Ad alia dicebant „ Pariſienſes, „ quod damnum accidit, „ ſi taceat: ſcit enim quiddam, quod „ eſt contra Deum, & ſi ſcirent illi, qui „ conjunguntur, deberent ſe ſeparare. „ Et rationes ipſorum erant I. quia te„ netur tum Confeſſarius, tum Epiſco„ pus, impedire malum quantum poteſt. „ II. quia in fraterna correptione non „ dicitur proditor criminis ille, qui „ illud revelat Epiſcopo, qui prodeſſe „ poteſt, & non obeſſe, & non peccat. „ III. Quia ille, qui eſt mortuus, ſi vive„ ret, deberet velle, quod revelaretur. „ Ad hæc tamen addit Tournely, quæ ſequuntur verba: „ Verum, qui ſint illi „ Magiſtri Pariſienſes, an aliqui dumta„ xat privati, an Facultas ipſa Theolo„ gica, non apparet; nec præponderare „ poteſt iſta reſponſio tot ſolidiſſimis, „ quæ hactenus prolata fuere, momen„ tis, maxime poſt decretum Latera„ nenſe anni 1225. & Clementis VIII. „ anni 1594. Quem porro cordatum „ virum movebit iſta Magiſtrorum illo„ rum ratio? *Sacerdos in dicto caſu non* „ *infringit ſigillum* (quod deformitatem „ importat) *ſed aperit*. Egregia vero ſubtilitas, & argutia. „

Ad IX. dicitur, quod omnes reſpuunt illam Cæſarii narrationem, & uti fabuloſam irrident: & ratio ipſorum eſt, quia impoſſibile omninò videtur, In-

Innocentium III., Romanum Pontificem, aliud ſtatuiſſe in Concilio Lateranenſi IV. & aliud Abati illi Ciſtercienſi reſpondiſſe.

Ad X. & XI. S. Thomas Quodlibeto 5. quæſt. 7. art. 13. hanc firmat doctrinam: ſi vel non conferendo beneficium, vel ab officio removendo Clericum, ſuſpicio eſſe poſſit violati ſigilli confeſſionis, Epiſcopum non poſſe, aut beneficium non conferre, aut Clericum ab officio removere; poſſe vero, ſi nulla ſit ſuſpicio; nulla autem ſuſpicio eſſe poteſt, ſi Epiſcopus nulli conſilium ſuum detexiſſet. Sic reſpondet Tournely, qui addit: Tutius videtur Legem à Clemente VIII. datam obſervare.

Ad XII. Communis doctrina eſt, quod non poſſit Sacerdos ob aliquod temporale detrimentum evitandum dicere aliquid, ex quo ſequatur indirecta ſigilli infractio. Poteſt autem Sacerdos ea notitia uti, ut ferventius oret pro Pœnitente, ut ipſum obſervet, & cuſtodiat diligentius, ut de aliis eum interroget, ut eidem opportuna media ad ſalutem proponat. Proponuntur autem caſus aliqui, in quibus Confeſſarius de opportunis remediis providetur, ne in tam perniciosum facinus incidat. Et ſic à Tournely enumerantur. I. Sacerdos, qui ex ſacramentali confeſſione novit ſibi paratas eſſe inſidias, v.g. vinum, quo uti debet in ſacrificio miſſæ, veneno infectum eſſe, ſi à ſacro celebrando ſe diſpenſare non poteſt, nec mortem effugere, niſi detegendo reum criminis, debet potius ſe morti obiicere, quam ſecretum confeſſionis aperire. II. Non poteſt Sacerdos excommunicatum, quem ex ſola confeſſione cognovit, vitare: Sicut nec Parochus, qui eadem via novit impedimentum dirimens eſſe inter eos, qui matrimonio conjungi poſtulant, poteſt matrimonium denegare; aut etiam indigno publice petenti Eucharistiam. III. Non poteſt Superior Sacerdos notitia per confeſſionem comparata uti, ut Pœnitentem ſibi ſubditum exterius puniat, ab aliquo officio arceat, aut ſuum ipſi ſuffragium pro aliquo munere deneget. Limitationem apponit Suarez, ſi nempe ſuffragium publice ferendum ſit, ſecus ſi occulte: uno verbo, non poſſunt Superiores uti notitia illa ad exteriorem gubernationem. Ita decreto ſuo anni 1594. die 26. Maji prohibuit S. P. Clemens VIII. *Tam Superiores*, inquit, *pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii qui poſtea ad ſuperioritatis gradū fuerint promoti, caveant diligentiſſime, nec ex notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*. Et die 15. Decembris anni 1682. Decr. S. Romanæ Inquiſitionis proſcripta eſt ſequens propoſitio, quæ ſpectat uſum ſcientiæ ex confeſſione comparatæ: „ Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, aut gravamine Pœnitentis, niſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Hanc autem propoſitionem auctores limitabant, nempe, quod ſit intelligenda (ſunt verba decreti) de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine Pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo gravius gravamen ejusdem Pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Hanc vero propoſitionem DD. Conſultores, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine Pœnitentis, ſtatuerunt omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione, & præſenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere.

Ad aliam Diſſertationis partem devenientes, in qua quæritur, quænam ſit ſigilli ſacramentalis materia? Sunt qui volunt, omnia, & ſingula peccata cum ſuis circumſtantiis, quæ per confeſſionem ſacramentalem cognita ſunt Sacerdoti, eſſe materiam ſigilli confeſſionis: etiam illa, quæ quamvis per ſe non ſint peccata, ex peccatis tamen oriuntur, ut irregularitas, defectus corporis occultus &c.: pariter peccata publica, quæ in ſecreta confeſſione dicuntur, ita ſcilicet ut non poſſit dicere Confeſſarius ſe illa in confeſſione audiviſſe. Alii vero rectius, & expreſſius dicunt, illa omnia cadere ſub ſacramentale ſigillum, quorum detectio ſacramentalem confeſſionem reddit fidelibus odioſam; unde ſi quis dicat, Pœnitentem eſſe ſpurium, vel mulierem putridum ha-

bere in ore flatum, & alia hujuſmodi, quæ in confeſſione cognoſceret, ſigillum frangeret; quia per hoc redderet confeſſionem odioſam. Dona autem ſupernaturalia, videlicet virtutes, revelationes &c. non ſunt materia ſigilli ſacramentalis, ſed naturalis, durante tamen vita Pænitentis, quia poſt mortem poſſunt manifeſtari.

Dicimus III. materiam ſigilli ſacramentalis eſſe illa omnia, quæ reddunt Pænitentibus confeſſionem odioſam.

I. Probatur. Illa omnia cadunt ſub ſigillum ſacramentale, quæ obſcurare, & diminuere poſſunt famam Pænitentis, & quæ ex confeſſione cognoſcuntur; ſed hæc ipſa reddunt confeſſionem odioſam: ergo illa omnia cadunt ſub ſigillum, quæ reddunt confeſſionem odioſam. Major eſt certa; quia ad hoc inductum eſt ſigillum ſacramentale, ut Pænitentium famæ conſuleretur. Minor negari non poteſt, quia cuique diſplicet propriæ famæ obſcuratio, vel diminutio. Conſequentia ſequitur.

II. Probatur. Illud omne cadit ſub ſigillum, quod ſcitur a Confeſſario per confeſſionem, & dicitur a Pænitente in eadem cum rubore,& repugnantia; ſed hoc omne, ſi ſciatur, vel manifeſtetur, reddit confeſſionem odioſam: ergo illud omne cadit ſub ſigillum, quod reddit confeſſionem odioſam. De majori non eſt dubium, tum ex parte Confeſſarii, qui aliter illud omne neſciviſſet, niſi per confeſſionem audiviſſet; tum ex parte Pænitentis, qui aliter illud omne non dixiſſet, niſi in confeſſione aperuiſſet. Minor nec pariter negari poteſt; quia quod dicitur cum rubore,& cum repugnantia uni, nemo vult, ut ab aliis ſciatur. Conſequentia recte infertur.

III. Probatur. Quod ſcitur per confeſſionem, ſcitur, ut Deus, & non ut homo; ſed nemo Pænitens ſuſpicari unquam poteſt, quod Deus propalet ſecretum ſuum, præcipue ſi reſpicit famam ſuam: ergo ſi Confeſſarius illud propalat,ut homo loquitur,& non ut Deus; ſed quod dicit Confeſſarius, ut homo, & non ut Deus, reddit confeſſionem odioſam: ergo &c. Probatur minor ſubſumpta;quod loquitur Confeſſarius,& Deus non loquitur, ſed reticet, cum peccato loquitur, & non ut Deus: Sed quod cum peccato loquitur Confeſſarius, diſplicet Pænitenti: ergo quod loquitur Confeſſarius ut homo, & non ut Deus, odioſum reddit Pænitenti.

Arguunt I. Voluntas peccandi, quæ non habuit peccati effectum, non cadit ſub ſigillum; ſed voluntas illa reddit confeſſionem odioſam Pænitenti: ergo non omne, quod reddit confeſſionem odioſam Pænitenti, cadit ſub ſigillum. II. Si Confeſſarius non abſolvit Pænitentem, non eſt confeſſio; ſed ubi non eſt confeſſio, non eſt obligatio ſigilli: ergo in illo caſu non eſt obligatio ſigilli: At ſi diceretur a Confeſſario, quod non abſolvit, hoc eſſet odioſum Pænitenti: ergo non omne, quod eſt odioſum Pænitenti,cadit ſub ſigillum. III. Peccatum Complicis non eſt peccatum Pænitentis; ſed quod non poteſt peccatum Pænitentis non poteſt reddere eidem confeſſionem odioſam: ergo vel non cadit ſub ſigillum peccatum complicis adeoque revelari poteſt: vel ſi cadit, dicendum eſt cadere ſub ſigillum, quod non reddit confeſſionem odioſam. IV. Dicere Pænitentem eſſe ſcrupuloſum non eſt dicere aliquid, quod ipſi reddat confeſſionem odioſam; ſed Confeſſarius, qui dicit Pænitentem eſſe ſcrupuloſum, frangit ſigillũ ſacramẽtale: ergo frangit ſigillum ſacramentale, quod non reddit confeſſionẽ odioſam Pænitenti.

Reſpondemus ad I. negando majorem; & ratio eſt, quia voluntas illa eſt propoſitum peccandi, propoſitum autem peccandi eſt verum peccatum: ergo voluntas illa peccandi eſt verum peccatum: ergo voluntas illa peccandi, quanvis nullum habuerit effectum, cadit tamen ſub ſacramentale ſigillum.

Ad II. negatur major, & dicitur quod confeſſio illa eſt vere ſacramentalis, licet non completa; eſt enim pars ſacramenti, etſi non conjuncta cum forma ſacramenti, quæ eſt abſolutio; ex omni autem confeſſione ſacramentali, ſive completa, ſive incompleta, naſcitur obligatio ſigilli.

Ad III. dicitur,peccatum complicis cadere ſub ſigillum; & hoc tum quia reddit odioſam confeſſionem complicis;tum etiam,quia reddit odioſam ipſi Pænitenti, quia ex peccato complicis, quod aliquis ſciat poteſt devenire in cognitionem peccati ipſius Pæ-

Pænitentis. Et hæc eſt doctrina Giribaldi, qui tractatu 7. de ſacramento Pænitentiæ cap. 18. de ſigillo confeſſionis dub. 4. hæc ſcribit: „ Quæres, „ An ſolum peccatum Pænitentis, ſed „ etiam peccatum complicis cadat ſub „ ſigillo ſacramentali? Contingere ali- „ quando ſolet, Pænitentem, ſive ex „ neceſſitate ad explicandum peccatum „ proprium, ſive abſque neceſſitate ex „ ſimplicitate & nuditate manifeſtare „ in confeſſione peccata aliena, ſive „ complices ſui peccati, quæritur ergo „ an iſta debeant ſub ſigillo celari? „ Reſp. affirmative, quia id ſpectat ad „ ſecuritatem, & libertatem confeſſio- „ nis, cum ex manifeſtatione peccati „ complicis ſæpiſſime cognoſci poteſt „ peccatum Pænitentis; tum quia illa „ manifeſtatio, ſive ex neceſſitate, ſi- „ ve ex ſimplicitate, fuit ordinata ad „ explicandum peccatum proprium, & „ ſic debet ſub ſigillo celari; ita cum „ Soto, Ledeſma, Palud., Suarez, Lu- „ go, Maldero, Villalobos, & aliis „ Averſa quæſt. 18. ſect. 4. quod adeo „ verum putat Ant. a Spiritu S. num. „ 1529. ut nec de licentia Pænitentis „ poſſit Confeſſarius manifeſtare pecca- „ tum complicis: oppoſitum tenent „ Suarez, Hurtadus, Præpoſit. & Mal- „ der., apud Averſam, quia ſigillum „ obligat dumtaxat in favorem Pæni- „ tentis, quo cedente juri ſuo, factum „ complicis non debet amplius ſigillo „ gaudere ſacramentali; remanet ta- „ men ſigillum naturale conſervandi „ famam proximi; quare, ſuppoſita li- „ centia Pænitentis, manifeſtatio com- „ plicis non eſſet ſacrilega contra Reli- „ gionem Sacramenti, eſſet tamen in- „ juſta contra famam proximi pro qua- „ litate, & gravitate rei. „

Ad IV. Idem Giribaldus citato loco dicit: „ quod eſſe ſcrupuloſum, timi- „ dum, puſillanimem, & alia hujuſmodi, „ licet in ſe non ſint peccata, reductive „ tamen ſpectant ad materiam confeſ- „ ſionis, quæ gravis & odioſa redditur, „ non ſolum per manifeſtationem pec- „ catorum, ſed etiam eorum omnium, „ quæ vel per ſe, vel per accidens, di- „ recte, vel indirecte, verecundiam, „ vel confuſionem, vel aliquod dam- „ num pænitenti afferre poſſunt; ſic Ho- „ mobonus cap. 20. part. 1. exam. quæſt. „ 111. Averſa, quæſt. 18. ſect. 4., & apud „ ipſum Sotus, Suarez, Coninch, Bona- „ cina, & alii; quanvis Diana reſol. 50. „ teneat, non frangi ſigillum a Confeſ- „ ſario dicente, Petrum ſibi caput ob- „ tundere ſuis minutiis, aut ſuis ſcru- „ pulis; ita etiam Lugus, & Averſa; „ quanvis cavendum ſit, ne cum offen- „ ſione Pænitentis, aut ſcandalo alio- „ rum, hujuſmodi Pænitentis defectus in „ fabulam, aut deriſionem adducat; „ quod verum puto, ſi hujuſmodi de- „ fectus ſint per ſe noti extra confeſſio- „ nem, ſi enim non cognoſcantur, niſi „ ex confeſſione, cenſeo etiam illos ca- „ dere ſub ſigillo, quia talis manifeſta- „ tio poteſt Pænitenti obeſſe, ne eliga- „ tur in Prælatum, vel in alia officia, ut „ recte advertit Thomas Tambur. in „ method. confeſſionis cap. 3. §. 10. n. 19.

Pro illa Diſſertationis parte, in qua quæritur, quas obliget perſonas ſigillum ſacramentale? Hennus hanc firmat concluſionem: „ Omnes illi „ obligantur ad ſigillum, qui proxime „ vel remote, directe vel indirecte, „ verbis, aut ſignis, aliquam materiam „ ſigilli norunt ex confeſſione. „ Tournely magis in particulari dicit: „ „ Obligare I. Sacerdotes, qui confeſ- „ ſiones exceperunt; II. Superiores, a „ quibus poſtulata eſt licentia abſolven- „ di a caſibus quibuſdam reſervatis; „ III. Doctores, ſeu illos omnes, qui „ conſuluntur de re ad confeſſionem „ ſacramentalem pertinente; IV. In- „ terpretem aut Internuntium, cujus „ ope Pænitens uteretur ad ſua pecca- „ ta Sacerdoti detegenda; V. Eos, qui „ furtive aut caſu, confeſſionem au- „ diunt. Addunt nonnulli & eos, qui „ ſcriptam alicujus confeſſionem repe- „ riunt; VI. Laicum, qui ſe Sacerdo- „ tem finxit, & confeſſionem alicujus „ audivit. „ Giribaldus citato loco dub. 2. aſſerit, ad ſigillum ſacramentale teneri principaliter Confeſſarium, Interpretem, Illum, qui prope confeſſionale exiſtens peccata audivit, Superiores a quibus habetur facultas abſolvendi a reſervatis, alioſque, qui occaſione ſacramentalis confeſſionis peccatorum notitiam habent; & hæc quidem inconcuſſa ſunt, ſolum ergo remanet difficultas de Pænitente, an ipſe teneatur ad ſigillum: & de illo, qui legit cartam, in qua a Pænitēte ſcripta fuerunt peccata; pro quibus.

Dicimus IV. Pænitentem non teneri ſub ſigillo ad non manifeſtandum pec-

peccata, quæ ipſemet in confeſſione aperuit; teneri tamen ſub ſigillo naturali ad cælandum defectus, ſi quos ratione confeſsionis in Confeſſario agnovit.

Prima Concluſionis pars probatur I. Sigillum ſacramentale inductum eſt in favorem Pænitentis; ſed quilibet poteſt juri ſuo cedere: ergo pariter poteſt Pænitens juri ſuo in ſigillo ſacramentali cedere: ergo poteſt peccata ſua, quæ jam Confeſſario aperuit, alteri narrare ſine ſigilli ſacramentalis fractione.

II. probatur. Si aliqua eſſet ratio, ob quam non poſſet Pænitens peccata ſua in confeſsione dicta alteri narrare, maxime eſſet ſcandalum, quod ingereret illi, cui narraret, vel aliis, qui ipſum audirent; ſed ſcandalum præciſe qua tale non importat ſigilli ſacramentalis fractionem: ergo Pænitens ſua peccata alteri narrando, quanvis ſcandali criminis reus eſſet, non per hoc tamen eſſet reus violati ſacramentalis ſigilli.

Secunda Concluſionis pars probatur I. Pænitens tenetur ſervare ſilentium in iis, quæ Confeſſarium reſpiciunt, quemadmodum tenetur Confeſſarius erga ipſum, quanvis non eodem modo; ſed non tenetur ſervare ſigillum ſacramentale: ergo tenetur ſervare ſigillum naturale: major eſt certa, quia debet ſervari ſuo modo æqualitas inter Confeſſarium, & Pænitentem.

II. Probatur. Pænitens manifeſtans defectus Confeſſarii, quos in confeſſione agnovit, non facit injuriam ſacramento, ſed tantum facit injuriam Confeſſario; ſed quia non facit injuriam ſacramento, non violat ſigillum ſacramentale: ergo, quia facit injuriam Confeſſario, violat ſigillum naturale.

Dicimus V. Illum, qui invenit cartam, in qua a Pænitente ſcripta fuerunt peccata, teneri peccata cælare, non ſub ſigillo ſacramentali, ſed ſub ſigillo naturali. Concluſio eſt Suarez, & aliorum contra Facundez, & plures alios, quos citat, & ſequitur Diana.

Prima concluſionis pars probatur I. Scriptura illa non eſt confeſſio ſacramentalis; ergo quæ in illa continentur poſſunt manifeſtari abſque Sigilli ſacramentalis læſione, quod tantum in confeſſione locum habet. Probatur antecedens. Scriptura illa eſt præparatio ad confeſſionem: ergo non eſt confeſſio ſacramentalis.

II. Probatur. Quod inſervit ad peccatorum memoriam, vel excitandam, vel conſervandam, non ingreditur Confeſſionis ſacramentalis rationem; ſed quod non ingreditur ſacramentalis confeſſionis rationem, nullam inducit Sigilli obligationem: ergo qui invenit cartam, de qua loquimur, nullam contrahit Sigilli ſacramentalis obligationem.

Secunda Concluſionis pars probatur, quia, ut ait Giribaldus. „ tenetur tamen, qui cartam invenit eam cælare ſub ſecreto naturali, & ſub debito juſtitiæ, & peccabit mortaliter, non ſolum revelans, quæ legerit, ſed etiam apud ſe legens, quando cognoſcit in ea carta contineri peccata; quia facit injuriam alteri ſic explicando ejus peccata: & inde Iudex non poteſt uti tali notitia, nec inquirere de hujuſmodi peccatis, ſive per ſe inveneit, & legerit cartam, ſive cognoſcat Teſtes hac via didiciſſe delicta alterius; & multo minus illa judicialiter punire, quia illa delicta ſunt ſecreta, & illorum manifeſtatio cederet in gravem irreverentiam ſacramenti, pro cujus ſuſceptione illa Scriptura facta eſt, ut admittunt non ſolum auctores primæ ſententiæ, ſed etiam Averſa ſect. 5.„

Arguunt I. Etſi Pænitens non teneatur cælare peccata ſua, tenetur tamen cælare illa, utpote in confeſſione dicta, quia tunc peccata illa ſunt pars Confeſſionis ſacramentalis: ergo ad illa cælanda ut pote in confeſſione dicta, ſub ſigillo ſacramentali tenetur. II. Pænitens poteſt cognoſcere defectus Confeſſarii etiam extra confeſſionem: ergo ſi illos in confeſſione cognoſcit, non tenetur eoſdem ſub ſigillo naturali occultare. III. Carta illa eſt quædam incohatio confeſſionis: ergo eſt pars illius: ergo inducit ſacramentalis ſigilli obligationem. IV. Quanvis carta, de qua loquimur, non inducat obligationem ſigilli, ſi confeſſio eſt facienda, inducit tamen, ſi confeſſio eſt facta; ſed qui invenit cartam neſcit an Confeſſio ſit facienda, vel facta: ergo ſemper contrahit obligationem ſigilli. Major pro-

probatur; quia ex dictis a nobis, qui audit peccata, quæ Pænitens confitetur, ad ſigillum tenetur: ergo pariter tenetur ad ſigillum qui legit peccata Confeſſionis jam factæ.

Reſpondemus ad I. negando antecedens, quia ſigillum confeſſionis non obligat Pænitentem, ſed Confeſſarium: ergo poteſt Pænitens peccata ſua alteri narrare etiam utpote in confeſſione dicta; nullam enim injuriam facit, nec Sacramento, nec Confeſſario; et ſi aliquam ſibi ipſi facit, poteſt juri ſuo renuntiare, ut dictum eſt.

Ad II. Diverſus eſt caſus, quando Pænitens cognoſcit defectus Confeſſarii extra confeſſionem, & quando cognoſcit in confeſſione; ſicuti diverſus eſt caſus, quando Confeſſarius ſcit peccata Pænitentis in confeſſione, & quando ſcit extra confeſſionem: unde pari & proportionato modo in utroque caſu loquendum eſt.

Ad III. Negatur antecedens quia carta illa non eſt inchoatio confeſſionis, ſed præparatio ad illam; præparatio autem confeſſionis non eſt confeſſio, quia præparatio ordinatur ad confeſſionem faciendam; ergo non eſt confeſſio.

Ad IV. dicitur, quod hæc eſt diverſitas inter illum, qui in carta legit peccata, & inter illum, qui audit peccata in confeſſione, quod hic ſcit, & noſcit peccata ratione confeſſionis, cui fortuito redditur præſens, & proinde tenetur ſervare reverentiam Sacramento ſervando ſilentium, quod eidem Sacramento divino præcepto eſt annexum; non ſic autem, qui legit in carta, ut de ſe patet.

Pro ultima tandem Diſſertationis parte, in qua quæritur de pœnis, quæ ſunt a Legibus ſtatutæ contra ſigilli ſacramentalis Violatores, dicimus, quod cap. *Sacerdos*, & can. *utriuſque ſexus* imponitur pœna depoſitionis, non quidem latæ ſententiæ, ſed ſententiæ a Judice ferendæ. Imponitur quoque pœna irregularitatis, nec etiam ipſo facto incurrenda, ſed poſt Judicis ſententiam. Ulterius imponitur perpetua pellegrinatio, vel perpetua pænitentia in monaſterio perficienda; ut ex iiſdem textibus eruitur.

Hinc occurrit caſus, in quo ſi Confeſſarius dicat, ſe habuiſſe licentiam a Pænitente manifeſtandi aliquod peccatum ſuum, & Pænitens negat ſe hanc licentiam dediſſe, cui credendum ſit? Suarez citat Theologos, qui dicunt, Confeſſario imponi onus probandi; alii autem aliter diſcurrunt. Omnes tamen unanimiter advertunt, Confeſſarium rariſsime, & maxima cum prudentia, uti debere hac licentia, ſi ipſam a Pænitente obtinuerit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCLXXXIII.

De ſatisfactione ſacramentali. An neceſſaria ſit in ſacramento pænitentiæ ſatisfactio ſacramentalis? & quid de ea ſenſerint hæretici, ſive antiqui, ſive novatores? Quo tempore impleri debeat? & an debeat præcedere, an ſubſequi abſolutionem?

SAtisfactio quæcunque ſupponit debitum, & ipſa in genere *eſt cujuscunque debiti ſolutio*. Ex peccato, quia eſt offenſa Dei, oritur etiam debitum, quod reſultat ex delicto, & dicitur reatus. Hic autem reatus triplex eſt, nimirum reatus culpæ, reatus pœnæ æternæ, & reatus penæ temporalis. Hic ultimus reatus luendus eſt quoque poſt culpæ, & pœnæ æternæ condonationem; & hic eſt ille, qui per ſatisfactionem ſacramentalem ſolvitur. Proinde reatus hic non intelligitur de ſatisfactione divina; hanc enim Chriſtus plenam, & perfectam proprio ſanguine ſolvit Deo Patri; ſed intelligitur de ſatisfactione humana, quæ pariter ex Chriſti ſanguinis pretio valorem habet: ut docet S. Joannes epiſt. 1. cap. 2. *Ipſe enim eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*: Et Concil. Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8. *In quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.*

Hæc ſatisfactio humana pro peccato deſcribitur a Juenino in comm. de Pænit. diſſ. 6. q. 6. cap. 1. ex Auctore libri de vera & falſa pænitentia cap. 8 *Pœnitentia* (ſic enim ſatisfactionem aliquando vocarunt Patres) *eſt quædam dolentis vindicta voluntarie in ſe pœnitentis quod commiſiſſe ſe dolet*. Et ab eodem dividitur in ſatisfactionem in pæna, & ſatisfactionem pro pæna; prima dicit etiam propaſſionem, & vult eſſe pænam a lege determinatā, ut eſt carcer, tryremes &c. in hac vita; infernus & purgatorium in altera: ſecunda eſt, in quam pæna ipſa commutatur. Et hæc deſcribitur, quod ſit *pœnæ temporalis acceptatio, ac voluntaria perpeſſio, quam Pœnitens vel ſibi ſponte imponit in ordine ad Sacramentum, vel a Sacerdote injunctam habet, ad repaandam injuriam Deo per peccatum illatam, & expungendam pœnam temporalem*, Ita Tournely de Sacram. Pænit. q. 7. art. 1. qui ſubdit: „Satisfactio „ vero illa, vel antecedit Sacramen- „ tum, vel ſequitur. Prior diſponit ad „ Sacramentum, & meritoria dicitur „ de congruo; altera vero gratiam ſa- „ cramentalem ſupponit, & meritoria „ dicitur de condigno. Quæ antevertit „ Sacramentum, ad culpam, & pænam „ æternam ſimul ac temporalem ex- „ pungendam; quæ autem ſequitur, ad „ pænam dumtaxat temporalem refer- „ tur.„. Deſcendens atuem hic idem Theologus ad cōtroverſiam hanc aperiendam, hæc addit. „ Præſentis con- „ troverſiæ hic ſtatus eſt. 1. an dimiſſa „ culpa, & pæna æterna, ſuperſit ad- „ huc aliqua temporalis in ultionem, & vin-

„ vindictam peccati luenda ſive in hac
„ vita, ſive in altera, in eo loco, qui
„ vulgo *Purgatorium* dicitur? 2. an pæna
„ illa piis, ac laborioſis operibus no-
„ ſtris expungi, ac redimi poſſit? 3. an
„ per illam pænam vere Deo ſatisfacia-
„ mus, nec tantum utilis illa ſit reſpectu
„ divinæ juſtitiæ ad eam placandam, &
„ obedientiam a Deo debitæ pænæ
„ temporalis relaxationem? Affirmant
„ omnes Orthodoxi, negant noſtri No-
„ vatores, rati hujuſmodi ſatisfactio-
„ nes humanas infinitæ Chriſti ſatisfa-
„ ctioni derogare, ac injurioſas eſſe,
„ nec valere niſi corā Eccleſiæ.„ Patres,
„ inquit Calvinus L. 3. Inſtit. c. 4. n. 39.
„ ſatisfactionem vocarunt, non com-
„ penſationem, quæ Deo redderetur,
„ ſed publicam teſtificationem, qua qui
„ excommunicatione mulctati fuerant,
„ cum in communionem recipi vellent,
„ Eccleſiam reddebant de ſua peniten-
„ tia certiorem. Atque ita docebantur
„ non Deo, ſed Eccleſiæ ſatisfacere„.
Verum quia non tantum Novatores Hæretici, ſed etiam antiqui hujuſmodi erroris inſimulantur, inde eſt quod eorum catalogum facientes, ut in aliis de more fecimus, eoſdem hoc pacto adnumeramus, quemadmodum a Coccio Tom. 2. Theſauri Theologici lib. 7. art. 4. adnumerantur.

Primo ponuntur Novatiani, qui a Lapſis exigebant quidem opera ſatisfactionis, attamen non tantum iis tribuebant, ut iis præſtitis Pænitentes abſolverent, & in Eccleſiam reciperent. Affertur pro teſte Cyprianus epiſt. 52.

Secundo Audejani, vel Audiani, qui ſub Valentiniano ſeniore Imperatore floruerunt, & nullam injungebant Pænitentibus mulctam. Adducitur Theodoretus, Hæreticarum Fabularum lib. 4. c. 10. ubi ait: *Deinde Confeſſis dant veniam, non tempus ad pænitentiam definientes, ſicut Eccleſiæ leges præcipiunt, ſed poteſtate condonantes.*

Tertio ponuntur Meſſaliani, de quibus ex Damaſceno, de Hæreſibus, hæc ſcribit Coccius: „ Meſſaliani eos, qui ad
„ ſe graviſſimis criminibus inquinati
„ confugiunt, nullo extante fructu pæ-
„ nitentiæ, ſine Sacerdotis auctoritate,
„ nulla habita ratione graduum, qui
„ Canonibus Eccleſiaſticis excipiuntur,
„ primo quoque die ſe expiaturos pro-
„ fitentur, dummodo in illam eorum
„ ſermone omnium celebratam oratio-
„ nem apud eos exercitati ſine dolo, ac
„ ſimpliciter ſacris, quæ probant ini-
„ tientur.„

Quarto ſunt novi Manichæi, de quibus narrat Eymericus par. 2. q. 13. quod dixerint, ſuam ſectam ſuſcipientes eſſe abſolutos ab omnibus peccatis ſuis ſine alia quacunque ſatisfactione, & abſque reſtitutione, ſi haberent aliquid de alieno, dummodo ſervent ſectam, & ordinem illum.

Quinto Piggardi, de quibus dicit Ioannes Schechra epiſt. ad Eraſmum, quod effutientes dixerint, pænitentiam a Sacerdote injunctam pro peccatis eſſe fucum, & tectorium hypocritarum.

Sexto Lutherus in Aſſertionibus ar. 5. has proferre blaſphemias non erubeſcit. „. Satisfactionem negavi, qua-
„ lem ipſi docent, quod mihi non erit
„ difficile probare. Oſtendant, ſi poſ-
„ ſunt, ubi in tota Scriptura unus apex,
„ aut jota ſcribatur pro peccato mor-
„ tali uno debere ſutisfieri ſeptem an-
„ nis? Dicant, ubi pro differentibus
„ peccatis differentes pænas ſtatuant
„ Chriſtus, & Apoſtoli? Non ne hæc
„ poſtea ſunt inventa ab Epiſcopis?
„ Imo dent unum ex antiquis Patribus,
„ in quo legantur quadragenæ, ſepte-
„ næ, & ſimilia. Vehementer odi ac
„ ſublatum vellem hoc vocabulum *Sa-*
„ *tisfactio*, quod non modo in Scriptu-
„ ris non invenitur, ſed & periculoſum
„ habet ſenſum, quaſi Deo quiſquam
„ poſſit pro ullo peccato ſatisfacere,
„ cum gratis ille ignoſcat omnia.„ Et
„ ſer. de pænitentia.„. Poſt peccata
„ etiam graviſſima ſatisfactio nulla fa-
„ cienda eſt a nobis, ne ſatisfactioni
„ Chriſti derogemus.„

Septimo Melanchthon diſput. de Pænitentiæ partibus, dixit. „ Satisfactio-
„ nes repudiamus, quæ multis modis
„ obſcurant Evangelium.„. Et in prima editione locorum communium cap. de Pænitentia. „ Satisfactio nulla
„ eſt præter Chriſti mortem; quæ vero
„ pænitentibus ſatisfactiones imponun-
„ tur, hominum inventa ſunt.„. Et in poſtrema editione locorum communium.„. Cruciatus ultro accerſiti per-
„ tinent ad regulam: *Fruſtra me colunt*
„ *mandatis hominum*.„. Et in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, art. de confeſſ. & ſatisfact: „ Sed tamen fatentur
„ Adverſarii, quod ſatisfactiones non
„ proſint ad remiſſionem culpæ; verum

fin-

„ fingunt ſatisfactiones prodeſſe ad re-
„ dimendas pænas, ſeu purgatorii, ſeu
„ alias . . . . Hæc tota res eſt commen-
„ titia, ac recens conficta, ſine aucto-
„ ritate Scripturæ, & veterum Scripto-
„ rum Eccleſiaſticorum. „

Octavo Kemnitius in ſuo examine par. 2. „ Quod dictum eſt, optimam, & aptiſſimam eſſe pænitentiam novam
„ vitam, hanc habet ſententiam: Poſt
„ acceptam fide propter Chriſtum re-
„ miſſionem peccatorum, non requiri
„ præterea aliam ſatisfactionem, aut
„ expiationem pro peccatis, cum ſimus
„ in Chriſto conſummati; ſed requiri
„ illud, quod Scriptura præſcribit:
„ *Deſine a malo, & fac bonum*. „.

Nono Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 25. „ Tertium locum ſatisfactionis in Pæ-
„ nitentia aſſignant, de qua quidquid
„ blaterant uno verbo ſubverti poteſt.
„ Dicunt non ſufficere Pænitentia pec-
„ catis præteritis abſtinere, niſi de iis,
„ quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo: eſſe au-
„ tem adminicula, quibus peccata re-
„ dimas, lacrymas, jejunia, charitatis
„ officia &c. Talibus mendaciis oppono
„ gratuitam peccatorum remiſſionem,
„ qua nihil in Scripturis clarius prædi-
„ catur. „. Inſuper §. 30. ſubdit, quod peccatorum pænæ nullis operibus redimi poſſunt, dicens de lege veteris teſtamenti. „ Qui fit, ut nullis pror-
„ ſus operibus admiſſa delicta procura-
„ re jubeat, ſed ſola in expiationem ſa-
„ crificia requirat, niſi quod ita teſtari
„ vult, unicum eſſe ſatisfactionis genus,
„ quo judicium ſuum placatur? Nam
„ quæ tunc immolabant ſacrificia Iſ-
„ raelitæ, non hominum opera cenſe-
„ bantur, ſed a ſua veritate, hoc eſt
„ unico Chriſti ſacrificio, æſtimaban-
„ tur. „ Tandem §. 31. & 32. aſſerit expreſſe, quod Deus nullas expetit pænas a Juſtis hominibus in præteritorum ſcelerum vindictam.

Decimo Michael Bajus prop. 77. dixit. „
„ ſatisfactiones laborioſæ Juſtificato-
„ rum non valent expiare de condigno
„ pænam temporalem reſtantem poſt
„ culpam condonatam. „

Dicimus I. etiam poſt peccatum remiſſum quoad culpam, aliquando remanere aliquam pænam temporalem a peccatore expiandã; hanc expiari per ſatisfactionem ſacramentalem; proinde hanc jure a Confeſſariis imponi.

Prima Concluſionis pars I. Probatur ex Scripturis. II. Reg. 12. Nathan dixit Davidi, quod licet a Deo dimiſſum fuiſſet peccatum ſuum, adhuc tamen ei remanebat onus pro illo temporales pænas ſuſtinendi. *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris*: en remiſſio culpæ: *Verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi, ecce morietur*: en comminatio pænæ temporalis. Inſuper, II. Reg. 24. remittitur Davidi culpa, pro Populi enumeratione commiſſa; ſed nihilominus ab eo temporalis pæna exigitur: *Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio: elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi*: Scilicet vel bellum, vel famem, vel peſtem: En pæna temporalis, quæ poſt dimiſſum peccatum enumerationis populi exigitur a Gad, Propheta, Dei nomine. Ulterius, Exodi 31. ad Moyſis preces condonavit Deus Populo vituli adorationem, ſed eidem Moyſi dixit: *Ego in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*; quod niſi de temporali pæna nequit intelligi. Pariter ad Moyſis preces Num. 14. pepercit Deus Populi murmurationem: ſed pænam temporalem comminatus eſt, & exegit: *Dimiſi juxta verbum tuum*; ſed ſubdit num. 22. *Omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna, quæ feci . . . . non videbunt terram*.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Siricius ep. ad Himerium, Tarraconenſem Epiſcopum, c. 3. „ Adjectum eſt
„ etiam, quoſdam Chriſtianos ad apo-
„ ſtaſiam, quod dici nefas eſt, tran-
„ ſeuntes. & idolorum cultum, ac ſacri-
„ ficiorum contaminatione profanatos,
„ quos a Chriſti corpore & ſanguine,
„ quo dudum redempti fuerant rena-
„ ſcendo, jubemus abſcindi. Et ſi re-
„ ſipiſcentes, forte aliquando fuerint
„ ad lamenta converſi, his, quandiu
„ vivunt agenda pænitentia eſt, & in
„ ultimo fine ſuo reconciliationis gra-
„ tia tribuenda. „ Sixtus III. *de malis Doctoribus & operibus Fidei*; vel quiſquis alius hujus epiſtolæ ſit auctor. „.
„ Si quis poſt ſanctum lavacrum fidem
„ dereliquerit, jam non per ſolam fi-
„ dem, ut ante baptiſmum, veniam
„ ſperat, ſed fletu, planctu, abſtinen-
„ tia, jejunio, cilicio, etiam & cinere,
„ omnique genere lamentationis im-

plo-

plorat. Sed unde hic humanis mentibus error obrepſerit, ante omnia noſſe debemus, qui Chriſti fidem, non tam ad deſtruenda, quam ad protegenda cenſeat peccata veniſſe. Proteguntur enim plurimum, cum ſecuritatis ſolatio nutriuntur. Maxima enim ſecuritas eſt, ut per fidei ſuffragium, aut parvo ſupplicio, aut nullo, expianda credantur, quæ ante gratiæ tempus ſeverius vindicabantur. Quod ſi ita eſt, neſcio, quomodo Chriſtus Dominus non venerit ſolvere legem, ſed adimplere, ſi per ejus credulitatem diſciplina non aucta eſt, ſed minuta. Timoris autem cauſa ſublata eſt, ſi pæna dimota eſt: dimota vero eſt, ſi abſque ulla pænitendi ſatisfactione ſub aliquo impunitatis fine concluſa eſt. „ Leo magnus ep. 91. ad Theodotum, Epiſcopum Forojulienſem; cap. 2. „ Mediator Dei & hominum homo, Chriſtus Jeſus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut Confitentibus actionem pænitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. „ Gelaſius Epiſtola ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos cap. 23. *Viduæ, quæ propria voluntate profeſſam priſtini conjugii caſtitatem mutabili mente calcaverunt, periculi eorum intererit, quali Deum ſatisfactione placare debeant: quia (juxta Apoſtolum) primam fidem irritam fecerunt.* Vigilius Papa Epiſtola ad Cæſarium Arelaten. de pænitentia Theodoberto, Regi Francorum injungenda: ob inceſtuoſas nuptias contractas: *Si pro obſervatione cœleſtium mandatorum Catholicæ filios Eccleſiæ opportune Sacerdotes ſingulos deces inſtruere, quanto magis his, qui devotione laudabili de rebus ſibi dubiis ad ſtudium veniunt conſulendi, competenti neceſſe eſt ordine reſponderi? Hinc eſt, quod glorioſi filii noſtri Theodoberti interrogationem, qua nos per Modericum, virum illuſtrem, Legatum ſuum, credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam ſuam deſiderat informari, cujusmodi pænitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum uxore patris ſui præſumpſit inire conjugium. Cui nos equidem miſſis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in ſubjectis inveniet: Hoc indicare curavimus, quoniam tale commiſſum non parva cordis afflictione valeat expiari. Sed quia modus pænitentiæ, præſentium potius Sacerdotum inſpectioni committitur, ut juxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſis indulgeri remedium: tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum. Quapropter charitas tua totius facti qualitate, ac pænitentis ipſius compunctione perſpecta, prædictum glorioſum Regem, filium noſtrum, & de temporis obſervatione non omittat inſtruere, & ne ulterius tale aliquid præſumatur inſtanter expoſcat. Illud quam maxime præcavendum, ut ne ipſe, qui hoc noſcitur admiſiſſe, ad eoſdem vomitus revertatur, ſed diviſis etiam habitationibus commanentes, ab omni ſuſpicione commiſſi facinoris reddantur immunes.* Gregorius Magnus lib. 9. Moral. cap. 17. *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc homo in ſe pænitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic David audire poſt confeſſionem meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum. Et tamen multis poſt cruciatibus afflictus, ac fugiens reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit. Sic nos ſalutis unda a culpa primi parentis abſolvimur, ſed tamen reatum ejuſdem culpæ diluentes, abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur: ſciens, quod non parcit delinquenti, quia delicta noſtra, ſive per nos, ſive per ſemetipſum reſecat, etiam cum relaxat. Ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare.* Et ad cap. 15. lib. 1. Regum: *Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis aurem non ſequitur afflictio pænitentiæ? Tria quippe in uno quoque conſideranda ſunt veraciter pænitente, videlicet, converſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non convertitur, quid prodeſt ei, ſi peccata confiteatur? Peccatum, quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem ſunt, qui peccata confitendo aperiunt, ſed confitendo nequaquam deteſtantur. Hi profecto confitendo nihil agunt: quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Tertia ſpecies, ideſt vindicta, quaſi medicina neceſſaria eſt, ut*

apoſtema reatus, quod converſione compungitur, confitendo purgetur, aſſictioniſque medicina ſanetur. Signum ergo veræ confeſſionis, non eſt in oris confeſſione, ſed in aſſictione pœnitentiæ. Tunc namque bene converſum peccatorem cernimus, cum digna aſſlictionis auctoritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Homilia 34. ſuper Evangelia: *Cogitandum ſummopere eſt, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, a quibusdam etiam licitis ſtudeat abſtinere; quatenus per hoc Conditori ſuo ſatisfaciat; Et qui commiſit prohibita, ſibimetipſi abſcondere debeat etiam conceſſa, & ſe reprehendat in minimis, qui ſe meminit in maximis deliquiſſe.* Gregorius Secundus Epiſtola 8. ad Bonifacium; *De his vero dicimus, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, ut toto vitæ ſuæ tempore corpus non ſuſcipiat dominicum, niſi tempore exitus pro viatico: abſtineat a potu vini, & carnis commeſtione donec vixerit, jejunet ſecundam, quartam. & ſextam ferias, ut ſic poſſit deflendo diluere commiſſum ſcelus.* Nicolaus Primus, apud Gratianum 12. q. 2. de viro Frontario: *De viro Frontario, nefando Burgando nomine, qui rabie inſana commotus diabolicis ſe irretire laqueis non dubitavit, atque Gentilium more per abrupta itinera, & compita inſidians vobis in veſtræ Eccleſiæ villa, una cum Clericis veſtris manentibus, & populum ſalubribus inſtruere dogmatum monitis decertantibus, paneque ſpiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propria ſalutis deſiderium habentibus, Sancta Apoſtolorum Petri, & Pauli limina viſitantibus, collectis malitiæ ſuæ ſequacibus; & iniquitatis complicibus, nefarias invaſiones, & deprædationes violentas inferre dæmoniaco auſu præſumpſit: & ut Epiſtolæ veſtræ textus eloquitur, ſacrum Altare, ſacraque dominici corporis, & ſanguinis vaſa, inſuper, & ſanctum Chriſma pollutis arripere manibus, quaſi vilia, & ad uſum communem apta, præſumpſit, dilectio nos veſtra conſulit, ſi ipſi, vel qui cum eo in tam impio, & iniquo ſcelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tracti divina venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo conſtringatis, noſtræ inſtitutionis cenſuram expoſcere curaſtis. De quibus, ſi tamen ita eſt, jubemus eum ad pœnitentiam quandoque reverti acceleraverint, uno anno extra Eccleſiam Dei conſiſtere, cujus ſacratiſſima vaſa extra ritum fidei chriſtianæ diripiendo auferre non dubitaverint: ſecundo vero anno ante fores Eccleſiæ ſine communione maneant: tertio vero anno Eccleſiam Dei ingrediantur, & inter audientes adſtent ſine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis, & Reſurrectionis Dominicæ dies: quarto præterea anno, ſi his prioribus tribus annis eorum fructuoſus fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium reſtituantur, totaque mentis intentione ſpondentes, talia ſe ulterius nunquam facturos, corpus, & ſanguinem Domini ſuſcipere mereantur, & uſque ad ſeptimum annum tribus in hebdomada diebus ſine eſu carnis, & vini potione, maneant pœnitentes.* Innocentius III. ſer. 1. in ſolemnitate Mariæ Magdalenæ: *Quia magnum fuit ejus peccatum, magno ſatisfecit dolore; quia multum, multo ſatisfecit labore; quia notorium, notabili ſatisfecit pudore. Hæc tria ſunt, quæ dignam ſatisfactionem perficiunt, dolor in corde, pudor in ore, labor in opere; ut juxta Salamonis ſapientiam, per quæ quis peccavit, per hæc torqueatur. Veniens ergo peccatrix ad fontem miſericordiæ abſolvenda, magno dolore turbata, lacrymis pedes ejus rigavit. notabili confuſa pudore ſtetit retro ſecus pedes ipſius, & obſculabatur eos.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Ancyranum anno 316. habitum, Canone 4. de iis, qui vi ſacrificaverunt, & propterea ad Idola pranſi ſunt: *Quicumque abducti quidem, & lætiore habitu acceſſerunt, & veſte ſumptuoſiore uſi ſunt, & parati prandii, non egre id ferentes, participes fuerunt, viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni, ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id, quod perfectum eſt, accedere.* Concilium Neocæſarienſe anno 316. habitum, Canone 2. *Fæmina ſi duobus fratribus nupſerit, extrudatur uſque ad mortem. Sed in morte propter humanitatem, ſi dixerit, quod ubi convaluerit, ſolvet matrimonium, habebit pœnitentiam. Sed ſi mortua fuerit mulier exiſtens, vel ejus marito tali conjugis, difficilis eſt pœnitentia.* Concilium Nicænum I. can. 11. *De iis, qui ſine neceſſitate, vel ſine facultatum ſuarum abla-*

ablatione, vel ſine periculo ullo, vel aliquo ejuſmodi, tranſgreſſi ſunt quod ſub Licinii tyrannide factum eſt; Synodo viſum eſt, etſi humanitate indigni ſint, clementia tamen, & benignitate in eos uti. Quicunque ergò germana & vera pænitentia ducuntur, tres annos inter Auditores exigent ut fideles, & ſeptem annos proſternentur ſupplices: duobus autem annis abſque oblatione erunt: Orationū cum populo participes. Et Canone 12. *Qui autem a gratia quidem evocati, & primum ſuum ardorem oſtenderunt, & ſingula depoſuerunt, poſtea autem, ut canes ad ſuum vomitum reverſi ſunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent & beneficii militiam aſſequerentur, hi decem annis proſternentur ſupplices, etiam poſt triennii auditionis tempus. In his omnibus examinare convenit conſilium, & ſpeciem pænitentiæ. Quicunque enim, & metu, & lacrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem & opere, & habitu oſtendunt, hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum eſt, merito orationum communionem habebunt, cum eo quod liceat etiam Epiſcopo humanius aliquid de iis ſtatuere.* Concil. Laodicenſe an. 360. Canone 2. *Oportet eos, qui in diverſis delictis peccant, & in oratione confeſſioneque, & pænitentia fortiter perſeverant, & ſe a malis perfecte convertunt, tempore pænitentiæ, eis pro delicti proportione dato, propter Dei miſerationes, & bonitatem offerri communioni.* Concilium Conſtantinopolitanum, quod dicitur Trullanum, Canone 102. *Oportet eos, qui poteſtatem ſolvendi, & ligandi a Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccavit, ad eam converſationem promptum ſtudium, & ſic morbo convenientem afferre medicinam: ne ſi in utraque immoderatione utatur ab ejus, qui laborat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius, & multiformis, & multas incommodi propagines germinans: eo quibus malum multum diffunditur, & ulterius progreditur, donec viribus medentis reſiſtat. Quare qui medicinæ ſcientiam in ſpiritu profitetur, oportet eum primum ejus, qui peccavit, affectionem conſiderare, & ſive vergit ad ſanitatem, ſive contra, propriis moribus provocare, ut per ſe morbum aſpiciat, & quomodo ejus, quæ intercedit, vitæ rationis, converſioni-que curam gerat; & ſi artificii non reluctatur, & ulcus animæ auget per impoſitorum medicamentorum adjectionem, ſic quoque miſericordiam, prout dignus eſt, impertiri. Omnem enim rationem init Deus illi, cui paſtoralis traditus eſt, principatus, ut errantem ovem reducat, & ei, quod eſt a ſerpente vulneratum, medeatur, & neque per diſperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ diſſolutionem, & contemptum fræna relaxet: ſed una quidem omnino ratione, ſive per acriora medicamenta affectioni reſiſtat, & ne ulcus cicatricem obducat, obnitantur, fructus pænitentiæ examinans, & ſapienter diſpenſans, & gubernans hominem, qui ad ſuperiorem illuminationem vocatur.* Concilium Illiberitanum IV. ſeculo coactum cap. 5. *Si qua fæmina, furore zeli accenſa, flagellis verberaverit ancillam ſuam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum ſit, voluntate, an caſu, occiderit: ſi voluntate, poſt ſeptem annos: ſi caſu, per quinque annorum tempora, acta legitima pænitentia, ad communionem placuit admitti: Quod ſi infra tempora conſtituta fuerit infirma, accipiat communionem.* Cap. VII. *Si quis forte fidelis poſt lapſum mœchiæ poſt tempora conſtituta acta pænitentia denuo fuerit fornicatus, placuit, eum nec in fine habere communionem.* Concilium Arelatenſe II. Cap. X. *De his, qui in perſecutione prævaricati ſunt, ſi voluntarie fidem negaverint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, ut quinque annos inter Catechumenos exigant, & duos inter diſcommunicantes, ita ut communionem inter pænitentes non præſumant. In poteſtate tamen, vel arbitrio ſit Epiſcopi, ut ſi eos ex animo errorem deflere, & agere pænitentiam viderit, ad communionem pro eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.* Et Cap. XI. *Si quis vero dolore victi, & pondere perſequutionis, negare, & ſacrificare compulſi ſunt, duobus annis inter Catechumenos, triennio inter Pænitentes habeantur a communione ſuſpenſi.* Et Cap. XII. *De his autem, qui in pænitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum vacuum communione debere dimitti: ſed pro eo, quod honoraverit pænitentiam, oblatio illius recipiatur.* Et Cap. XXIV. *Eos, qui falſa fratribus capitula objeciſſe convicti fuerint, placuit uſque ad*

Digitized by Google

exitum non communicare (ſicut Magna Synodus ante conſtituit) niſi digna ſatisfactione pænituerint. Concilium Valentinum Cap. III. *Circa eorum vero perſonas, qui ſe poſt unum, & ſanctum lavacrum, vel prophanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lavatione polluerunt, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſervandam, ut his, juxta ſynodum Nicænam, ſatisfactionum quidem auditus non negetur, ne infidelibus lacrymis, vel ſolatii janua deſperatione claudatur: acturi vero pænitentiam uſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plane ſperare debebunt, qui ejus largitatem, & ſolus obtinet, & tã dives in miſericordia eſt, ut nemo deſperet.* Concilium Toletanum I.Cap. XVI. *Devotam peccantem non recipiendam in Eccleſiam, niſi peccare deſierit: & ſi deſinens egerit aptam pænitentiam decem annis, recipiat communionem. Priuſquam autem in Eccleſiam admittatur ad orationem, ad nullius convivium chriſtianæ mulieris accedat. Quod ſi admiſſa fuerit, etiam hæc, quæ eam receperit, habeatur abſtenta; corruptorem etiam par pæna conſtringat.* Concilium Arauſicanum I. Cap. III. *Qui recedunt de corpore pænitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eos communicare, quod morientis ſufficit conſolationi ſecundum definitiones Patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter Viaticum nominaverunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine Pænitentium, ut oſtenſis neceſſariis pænitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.* Concilium Venetum Cap.I. *Itaque cenſemus homicidas, & falſos teſtes a communione eccleſiaſtica ſubmovendos, niſi pænitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.* Concilium Toletanũ III.Cap.II. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniæ Eccleſias non ſecundum Canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pænitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris ſe reconciliare expoſtulent: & ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pænitentia, hoc eſt, ut prius eum, quem ſui pænitet facti, a communione ſuſpenſum, faciat inter reliquos pænitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere. Expleto autem ſatisfactionum tempore, ſicuti ſacerdotalis contemplatio probaverit eum communioni reſtituat. Hi vero, qui ad propria vitia vel infra pænitentiæ tempus, vel poſt reconciliationem relabuntur, ſecundum priorum Canonum ſeveritatem damnentur.* Concilium Cabilonenſe I. Cap.VIII. *De pænitentia vero peccatorum, quæ eſt medela animæ utilem omnibus hominibus eſſe cenſemus: & ut Pænitentibus a Sacerdotibus, facta confeſſione, indicatur pænitentia, univerſitas Sacerdotum noſcitur conſentire.* Concilium Turonenſe. III. Cap. XXII. *Epiſcopis & Preſbyteris diligenti cautela pertractandum eſt, qualiter hominibus, ſua delicta confitentibus, tempus abſtinendi adſcribant, ut juxta modum peccati Pænitentibus abſtinentia indicetur. Quoniam vero ab aliquibus Sacerdotibus indiſcrete hæc judicia proferuntur: ideo neceſſarium videbatur nobis, ut cum omnes Epiſcopi ad ſacrum palatium congregati fuerint, ab iis edoceri, cujus antiquorum liber pænitentialis potiſſimum ſit ſequendus.* Concilium Lateranenſe IV.cap. XXI. *Omnis utriuſq. ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis venerit, omnia ſua peccata confiteatur fideliter ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam pænitentiam ſibi propriis viribus ſtudeat adimplere &c. Sacerdos ſit diſcretus & cautus, & more periti medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens peccati circumſtantias, ex quibus intelligat, quale illi conſilium debeat exhibere, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.* Concilium Tridentinum ſeſſione VI.Cap.XIV. *Itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pæna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto, una cum culpa remittitur, ſed pro pæna temporali; quæ, ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quã acceperunt ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pænitentia ſcriptum eſt; Memor eſto, unde excideris: Age pænitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus; Pænitentiam*

tiam agite, & facite fructus dignos pœ-
nitentiæ. Et Canone XXX. Si quis poſt
acceptam juſtificationis gratiam, cui-
libet peccatori pœnitenti ita culpam
remitti, & reatum æternæ pœnæ dele-
leri, dixerit, ut nullus remaneat rea-
tus pœnæ temporalis exſolvendæ, vel in
hoc ſeculo, vel in futuro Purgatorio,
antequam ad regnum cœlorum aditus pa-
tere poſſit, anathema ſit. Et ſeſſione XIV.
Cap. VIII. & Can. XII. Definivit poſt
culpam remiſſam remanere debitum
pœnæ temporalis ſolvendū: Falſum om-
nino eſt. ait ſeſſ. XIV. C. VIII. & a verbo
Dei alienum, culpam a Domino nun-
quam remitti. quin univerſa pœna etiam
condonetur. Perſpicua enim & illuſtria
in ſacris litteris exempla reperiuntur,
quibus præter divinam Traditionem,
hic error. quam manifeſtiſſime revincitur
Rationē iſtam illico ſubjungit ſyno-
dus Quia divinæ juſtitiæ ratio exigere
videtur, ut aliter ab eo in gratiam reci-
piantur, qui ante Baptiſmum per igno-
rantiam deliquerint: aliter vero qui ſe-
mel a peccati & Dæmonis ſervitute li-
berati, & accepto Spiritus Sancti dono,
ſcienter templum Dei violare, & Spiri-
tum Sanctum contriſtare non formida-
verint. Et divinam Clementiam decet,
ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione pec-
cata dimittantur, ut occaſione accepta,
peccata leviora putantes, velut injurii,
& contumelioſi Spiritui Sancto in gra-
viora labamur theſauri antes nobis,
iram in die iræ, & Can. XII. ejusdem
ſeſſ. Si quis dixerit totam pœnam ſimul
cum culpa remitti ſemper a Deo, ſa-
tis factionemq. pœnitentium non eſſe
aliam quam fidem, qua apprehendunt
Chriſtum pro ejs ſatisfeciſſe, anathema
ſit.

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Juſti-
nus Marryr in dialogo cum Tripho-
ne. „ Hic vero, qui peccatorum pœ-
„ nitentiam egerit, accipiet a Deo re-
„ miſſionem peccatorum, non tamen
„ ita, ſicut vos ſeducitis voſmetipſos,
„ & alios itidem veſtri hac in re perſi-
„ miles, qui dicunt, etiamſi peccato-
„ res ſint, non imputaturum eſſe Do-
„ minum illis peccatum, ut modo
„ Deum agnoſcant. Hujus rei teſtimo-
„ nium unum habemus Davidis, qui ei
„ propter gloriationem ſuam accidit,
„ lapſum. Cujus peccatum tum demum
„ remiſſum eſt, cum ita ploravit, & la-
„ mentatus eſt ſicut de eo ſcriptum
„ eſt. Verum enim vero ſi viro tanto
„ non eſt prius noxa dimiſſa, quam pœ-
„ tententiam egit, & tum demum,
„ cum tantopere flevit, & res tantas
„ fecit magnus iſte Rex, & Propheta,
„ quam tandem impuri iſti, & nullius
„ mentis comploratique adeo homi-
„ nes, niſi lamentati fuerint, planxe-
„ rint, & pœnitentiam egerint, ſpem
„ habere poſſunt, non imputatum illis
„ iria Domino peccatum?„ Irenæus lib.
„ I. cap. IX.„ Nam cum eſſet uxor ejus
„ ſpecioſa, & ſententia, & corpore cor-
„ rupta eſſet a Mago iſto, & ſecuta eum
„ eſſet tempore multo, poſt deinde
„ cum magno labore fratres eam con-
„ vertiſſent, omne tempus in exomo-
„ logeſi conſummavit; plangens & la-
„ mentans ob hanc, quam paſſa eſſet ab
„ hoc Mago. corruptelam. „. Clemens
Alexandrinus lib: VI. Stromaton.
cap. VI. „ Cum ergo per multam di-
„ ſciplinam vitia exuerit, qui nobis eſt
„ fidelis tranſit ad maximum ſuppli-
„ cium, quod eſt melius priore man-
„ ſione, inferens proprietatem pœniten-
„ tiæ eorum peccatorum,. quæ admiſit
„ poſt Baptiſmum. Cruciatur ergo ad-
„ huc amplius, cum, vel nondum, vel
„ ne omnino quidem ea aſſequatur,
„ quorum videt alios eſſe participes.
„ Præterea autem pudore efficitur ob
„ ea, quæ deliquit, quæ quidem ſunt
„ fideli maxima ſupplicia. Quod ſi for-
„ te ceſſaverint cruciatus in implendis,
„ quas luunt, pœnis, & expiandis, quæ
„ admiſſa ſunt ab unoquoq. delictis, ha-
„ bent tamen maximum permanentem
„ dolorem, quod cum ſint inventi di-
„ gni alio ovili, non una ſint cum iis,
„ qui ſunt gloria affecti propter juſti-
„ tiam. „ Origenes in Leviticum Ho-
„ mil. II. „ Eſt adhuc ſeptima, licet du-
„ ra, laborioſa, per pœnitentiam re-
„ miſſio peccatorum, & cum lavat pec-
„ cator lacrymis ſtratum ſuum, & fient
„ ei lacrymæ ſuæ panes die, ac nocte,
„ & cum non erubeſcit Sacerdoti Do-
„ mini indicare peccatum, & quærere
„ medicinam &c. Si in amaritudine fle-
„ tus, luctu, lacrymis, & lamentatione
„ confectus fueris, ſi carnem tuam ma-
„ ceraveris, & jejuniis, ac multa abſti-
„ nentia aridam feceris, & dixeris: ſi-
„ cut frixorium confrixa ſunt oſſa mea,
„ tunc ſacrificium ſimilam a ſartagina,

vel

,, vel a craticula obtuliſſe te noveris.,,
,, Euſebius Cæſarieñſis in Hiſtoria Eccle-
,, ſiaſtica lib: V. Cap. XXVII. Natalius
,, Confeſſor a Theodoro & Aſclepio-
,, dato fraude ac dolo deceptus fuit :
,, & ab illis ſalario quodam, & merce-
,, de perſuaſus, ut illius erroris Epiſco-
,, pus crearetur, ea lege nimirum, ut
,, centum quadraginta denarios menſ-
,, truos iſti ei perſolverent. Qui qui-
,, dem cum ſe in illorum ſocietatem
,, dediſſet, per viſiones quaſdam a Do-
,, mino ad ſe demiſſa. ſæpe numero ad-
,, monitus fuit. Cæterum quoniam erat
,, primæ apud illos Sedis Epiſcopalis
,, appetitione tanquam hamo ineſca-
,, tus, & turpi quæſtu (qui multis ad-
,, fert perniciem) irretitus.& propterea
,, lentius, tardiuſq. Dei viſionibus ani-
,, mum attendit: tandem poſt integram
,, noctem a Sanctis Angelis flagris, &
,, verberibus uſque adeo acerbe, & gra-
,, viter cæsus fuit, ut cum primo ma-
,, ne ſu geeet cilicio, & ſacco indutus,
,, cineribus aſperſus, cum magno mæ-
,, rore, & lacrymis ad pedes Zephirini
,, Pantificis ſe ſupplicem obiiceret : &
,, non modo ad Cleri, ſed ad laicorum
,, etiam genua advolveretur, ita uti
,, miſericordis Chriſti Eccleſia, illum
,, magnopere commiſerata, lamentis
,, una ſe dederit. Attamen ille, licet
,, multis precibus uſus fuiſſet, & pla-
,, garum vibices, quas pertulerat, oſten-
,, diſſet, vix tandem in communio-
,, nem Eccleſiæ receptus fuit.,, Cyril-
lus Hieroſolymitanus Catecheſi II.,,
,, Beatus David, quamvis audiverit
,, Dominum tranſtuliſſe peccatum ip-
,, ſius, non abſtinuit tamen a pæniten-
,, tia : verum loco purpuræ ſacco ute-
,, batur, & loco aurei throni in terra
,, cinereque Rex ſedebat : neque tan-
,, tum in cinere ſedebat, verum etiam
,, cinere veſcebatur; quemadmodum
,, ipſe dicit : *quod cinerem tanquam pa-
,, nem manducabam* : vendicabat lacry-
,, mis concupiſcentem oculum; *lava-
,, bo*, inquiens, per ſingulas noctes le-
,, ctum meum, & lacrymis ſtratum
,, meum rigabo. Cum principes ad hor-
,, tarentur illum, ut manducaret pa-
,, nem, non patiebatur id ſibi perſuade-
,, ri. & in totum uſque ſeptimum diem
,, jejunium producebat.,,

V. Probatur ex Patribus Latinis. Tertul-
lianus lib. de Pænitentia cap. VI.,, quã
,, porro ineptum, quam pænitentiam
,, non adimplere, & veniam delicto-
,, rum ſuſtinere? Hoc eſt pretium non
,, exhibere ad mercem manum emitte-
,, re; hoc enim pretio Dominus ve-
,, niam addicere inſtituit. Hac pæni-
,, tentiæ compenſatione redimendam
,, proponit impunitatẽ. Et Cap. VII. Non
,, ſtatim ſuccidendus, ac ſubruendus
,, eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ
,, quis pænitentiæ debitor fuerit; pi-
,, geat ſane peccare rurſus, ſed rurſus
,, pænitere non pigeat : pigeat iterum
,, periclitari, ſed non iterum liberari.
,, Neminem pudeat : iteratæ valetudi-
,, nis iteranda medicina eſt. Gratus in
,, Dominum extiteris, ſi quod tibi Do-
,, minus offert non recuſaveris : offen-
,, diſti, ſed reconciliari adhuc potes.
,, Habes cui ſatisfacias, & quidem no-
,, lentem.,, Et Cap. VIII.,, Tantum
,, relevat confeſſio delictorum, quan-
,, tum diſſimulatio exagerat. Confeſ-
,, ſio enim ſatisfactionis conſilium eſt,
,, diſſimulatio contumaciæ.,, Cypria-
nus Epiſt. X.,, Hæc qui ſubtrahit fra-
,, tribus noſtris decipit miſeros; ut
,, qui poſſunt, agentes pænitentiam ve-
,, ram, Deo Patri miſericordi precibus,
,, & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducan-
,, tur, ut magis pereant : & qui erigere
,, ſe poſſent, plus cadant. Nam cum in
,, minoribus peccatis agant peccatores
,, pænitentiam juſto tempore, & ſecun-
,, dum diſciplinæ ordinem ad exomo-
,, logeſin veniant, & per manus impo-
,, ſitionem Epiſcopi, & Cleri jus com-
,, municationis accipiant : nunc crudo
,, tempore, perſecutione adhuc perſe-
,, verante, nondum reſtituta Eccleſiæ
,, ipſius pace, ad communicationem
,, admittuntur.,, Ambroſius lib. 5. de
Pænitentia c. 2.,, Qui culpam exage-
,, ravit, exageret etiam pænitentiam.
,, Majora enim crimina majoribus ab-
,, luuntur fletibus. Ita nec Novatianus
,, probatur, qui veniam intercluſit om-
,, nibus; nec vos incitatores ejuſdem,
,, & condemnatores, qui ibi minuitis
,, ſtudia pænitentiæ, ubi augeri opor-
,, tet; quia graviora peccata majoribus
,, ſuſtẽtanda fulcris docuit Chriſti miſe-
,, ricordia.,, Hieronymus Epiſt. 22. ad
Euſtochium de cuſtodia virginitatis
c. 3.,, O quoties ego ipſe in eremo co-
,, ſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine,
,, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum
,, Monachis præſtat habitaculum, pu-
,, tabam me romanis intereſſe deliciis.

Se-

„ Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram; horrebant ſacco membra deformia, & ſquallida cutis ſitum æthiopicæ carnis obduxerat! Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum; pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua jam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Jeſu pedes iacebam, rigans lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubjugabam. Non erubeſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam: quin potius plango me non eſſe, quod fuerim. Memini me clamantem diem cum nocte junxiſſe, nec prius a pectoris ceſſaſſe verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoq. Cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum, &, ut ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſque cantabam: *Poſt te in odorem unguentorum currimus*. Si autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore ſolis cogitationibus oppugnantur quid patitur puella, quæ deliciis fruitur? nempe illud Apoſtoli: *vivens mortua eſt*. „

Auguſtinus Homilia ultima inter quinquaginta Hom. cap. IV. „ Judicet ſeipſum homo, dum poteſt, & mores convertat in melius: ne cum jam non poterit, & jam præter voluntatem a Domino judicetur. Et cum ipſe in ſe prætulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius maternorum membrorum ordine cuſtodito, a præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati devotus, & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolum illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum. „ Et ad Pſal. XXXXIV. „ differt manum a peccatis tuis, tu noli differre. Converte te ad punienda peccata tua; quia impunita eſſe non poſſunt. Puniendum ergo erit, aut a te, aut ab ipſo. Tu agnoſce, ut ille ignoſcat. Et Ad Pſal. quinquageſimum. Implora miſericordiam, ſed attende juſtitiam. Miſericordia eſt, ut ignoſcat peccata: juſtitia eſt ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam, peccatum impunitum remanebit? Reſpondeat David, reſpondeant lapſi, reſpondeant cum David, ut miſericordiam mereantur, ſicut David, & dicant. Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam. Non impunitum erit, ſed ideo nolo, ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, ut ignoſcas, quia ego agnoſco. „

Eucherius Lugdunenſis Homil: V. ad Monachos. „ Non putemus tam facile remitti poſſe injuſta ſemel crimina, & profundo vulnere in animæ ipſius impreſſa viſceribus. Multo opus eſt fletu, multo gemitu, multo dolore cordis ad ſanandos ipſius cordis dolores. Tota incumbendum eſt ſpiritus contritione, ut vetuſta mala tanquam ſagittæ quædam de conſcientia debellentur. Non ſufficit dicere ſummis labiis: peccavi: parce, remitte. Et Saul dixit: *peccavi*; ſed non obtinuit illam veniam, quam David una pænitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confeſſionem illam nuda magis verba, quam veri gemitus exprimebant. Quia non compenſabat magnitudinem criminis lenta humiliatio ſupplicantis. Non levi agendum eſt contritione, ut debita illa redonentur, quibus mors æterna debetur. Nec tranſitoria opus eſt ſatisfactione pro malis illis, propter quæ paratus eſt ignis æternus. „

VI. Probatur Rationibus I. Peccato debetur pæna temporalis, & pæna æterna; ſed pæna æterna remittitur a Deo per gratiam ſacramentalem: ergo rema-

manet remittenda pœna temporalis per ſacramentalem ſatisfactionem. Major eſt certa, quia peccatum eſt averſio a Deo, & converſio ad creaturas; & quia averſio a Deo meretur pœnam æternam; inde eſt, quod converſio ad creaturas punitur per pœnam temporalem. II. Etiam remiſſa culpa remanet reatus culpæ; ſed culpa, quæ non remittitur, punitur per pœnam æternam, & quando remittitur, dimittitur etiam pœna æterna; ergo, quia remanet reatus culpæ, & puniri non poteſt per pœnam æternam, punitur per pœnam temporalem; ſed pœna temporalis compenſatur per temporalem ſatisfactionem: ergo ſemper neceſſaria eſt pro reatus remiſſione temporalis ſatisfactio. III. In crimine læſæ Majeſtatis, ſi ob Principis pietatem reo condonatur vitæ privatio, nunquam tamen remittitur confiſcatio bonorum, immo hæc etiam in rei filios extenditur; ſed nomine privationis vitæ temporalis intelligitur pœna æterna, & nomine confiſcationis bonorum intelligitur pœna temporalis: ergo ſi homines juſtitiam exercentes poſſunt condonare culpam, & punire reatum, ita etiam Deus poterit æternam pœnam condonare, & temporalem a peccatore exigere. IV. Evangelium exigit a nobis dignos pœnitentiæ fructus; ſed fructus pœnitentiæ ſupponunt culpæ remiſſionem, & temporalis pœnæ ſatisfactionem: ergo tantum abeſt ut per pœnitentiam ſatisfactiones excludantur, ut Novatores inſaniunt, quod potius per ipſam inducantur. V. Chriſtus dedit Sacerdotibus poteſtatem ligandi atque ſolvendi: ſed per hanc poteſtatem importantur ſatisfactiones temporales: ergo ex ipſomet Sacerdotum miniſterio ſatisfactionum temporalium neceſſitas inducitur. VI. Quod ſemper Eccleſia ab ipſo ſui exordio inconcuſſe ſervavit, dicendum omnino eſt neceſſarium; ſed Eccleſia conſuevit omni tempore temporales ſatisfactiones Pœnitentibus imponere: ergo neceſſitas ſatisfactionum temporalium dicenda eſt in Eccleſia omnino inconcuſſa, & innegabilis. Minorem propoſitionem ſatis corroborant PP. precipue Cyprianus lib. de lapſis, Baſilius epiſt. ad Amphilophium, immo expreſſe docent ipſimet canones pœnitentiales, quos undecimi ſeculi Scriptores collegerunt, ac publicarunt.

Arguunt I. per Canones pœnitentiales præcipiuntur pœnitentiæ publicæ, non privatæ: ergo non in vindictam ſcelerum, ſed in populi ædificationem. II. Chriſtus ſatisfecit pro nobis, & pro peccatis noſtris, ſuperabundanter: ergo nulla eſt neceſſitas ſatisfactionum temporalium, quæ exhibentur a nobis. III. Dimittere culpam, & non remittere pœnam, eſt potius illudere his, quibus fit remiſſio; ſed nefas eſt dicere, quod Deus nobis peccatoribus illudat: ergo ſi Deus remittit nobis culpam, remittit pariter & pœnam; ergo non ſunt neceſſariæ ſatisfactiones temporales. IV. Illi, qui baptizatur, remittitur culpa originalis, & nulla ei imponitur temporalis ſatisfactio; ergo pariter illi, qui confitetur, remittitur actualis culpa, & nulla imponenda eſt ſatisfactio temporalis. V. Quanvis admittatur, quod opera pœnalia ſint laudabilia ad morum correptionem, ad peccatorum fugam, & ad Sacramentorum diſpoſitionem; non per hoc tamen admitti poteſt, quod ſint neceſſaria ad compenſationem iniuriæ, quæ Deo per peccatum infertur; & hoc eſt fortiſſimum argumentum, quod credidit ſe inveniſſe Calvinianus Dallæus. VI. Scripturæ Divinæ tribuentes Deo perfectam, & completam, & gratuitam peccatorum remiſſionem, omnem pœnitus ſatisfactionum noſtrarum neceſſitatem excludunt; & profecto ita loquuntur Prophetæ. Ezechiel, & Iſajas; primus cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ſuis . . . . . . vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus non recordabor*; & Secundus *ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. VII. Plures ſunt PP. qui negant poſt dimiſſam a Deo culpam ſatisfaciendam eſſe a nobis temporalem pœnam: & ſunt. Ambroſius lib. 10. in Lucam num. 88. *lacrymas Petri lego*; inquit, *ſatisfactionem non lego*. Auguſtinus lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap 34. ait, *vitæ hujus miſerias ante remiſſionem eſſe quidem ſupplicia peccatorum; poſt remiſſionem autem certamina, & exercita-*

tationes juſtorum. Et in Pſal.84. ad illud.*operuiſti,ut non illa videres:quideſt, ut non illa videres,quam ut non illa vindicares?* Chryſoſtomus Hom.de pænit. & confeſſione, *Propter hoc*, ait, *imponit nobis Deus pœnam, non de peccatis ſupplicium ſumens, ſed ad futura nos corrigens*. VIII. Docet Apoſtolus ad Romanos 8. quod dimiſſo per Dei miſericordiam peccato, nihil in peccatore ſuperſit, quod juſte a Deo caſtigari poſſit; & hæc ſunt ejus verba: *nihil damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu*: ergo per Apoſtolum non ſunt neceſſariæ ſatisfactiones temporales.

Reſpondemus ad I., falſum eſſe, quod aſſumitur, & illius falſitatem his rationum momentis probat Jueninus in Inſtitutionibus Theologicis part. 8. de pænit. cap. 4. art. 1. I. Canones,cum ſatisfactiones præſcribunt, univerſaliter loquuntur; ac proinde non minus de peccatis occultis, quam de publicis, intelligi debent. II. Plerumque caſtigabant homicidiū,mæchiam,aliaque facinora, ac flagitia, quæ ſi publica fuiſſent, morte per leges imperiales fuiſſent caſtigata. III. Mulieres adulteræ ad confiſtentiam,non autem ad ſubſtrationem,ut aliæ Pænitentium claſſes dimittebantur, ne illarum flagitium in maritorum notitiam veniret.

Ad II. dicitur, quod quanvis Chriſtus ſatisfecerit pro nobis ſuperabundanter ratione virtutis, quia tamen deficit applicatio, quæ dependet a nobis, virtus ejusdem ſatisfactionis effectum non habet. Igitur ſatisfactiones noſtræ requiruntur, non quia non ſufficiat ſatisfactio Chriſti,ſed quia virtus ſatisfactionis Chriſti nobis non applicatur per ſatisfactiones noſtras, quæ ſuam etiam habent virtutem ex Chriſti ſatisfactione. Videatur Concil.Trident. ſeſſ.14. cap.8. a nobis allatum.

Ad III. Negatur major, quia Deus per baptiſmum remittit peccatum originale, & non remittit totam illius pænam; quia morbi, & aliæ pænalitates, immo mors ipſa, ſunt originalis peccati pænæ.

Ad IV. Negatur paritas; & ratio diſparitatis eſt, tum quia peccatum originale eſt alienum, actuale vero eſt proprium; ſiquidem illud hæreditamus, hoc vero committimus: tum etiam, quia peccata commiſſa poſt baptiſmum ſunt graviora illis, quæ ante baptiſmum committuntur; & hoc tum ratione luminis, quod uberius eſt in Chriſtianis, quam in Catechumenis; tum etiam ratione ingratitudinis,quia Chriſtiani peccant poſt acceptam gratiam; quod citato loco pariter docet Concil. Trident.

Ad V. dicitur, quod voluntariæ carnis macerationes non ſolum juvant ad morum emendationem, & peccatorum fugam, ſed etiam ad relaxationem pænæ temporalis; quod & ex Scripturis, & ex PP. uſque modo oſtendimus. Differentia autem inter Catechumenos, & Pænitentes, hæc eſt, ex Tournely, in Catechumenis quidem laborioſa illa opera diſponunt ad gratiam Baptiſmi; in Pænitentibus vero non tantum diſponunt, ſed etiam debitum pænæ temporalis, aut imminuunt; aut extinguunt penitus,pro menſura charitatis, ac bonorum operum. Diſcrimen illud pænitentiæ inter Catechumenos ac Pænitentes, manifeſte oſtendit erga utroſque varia Eccleſiæ praxis ac diſciplina; Catechumenos ſiquidem in ſtadio Catechumenatus ob imminens mortis periculum baptizatos, ſi convaluiſſent, non remittebat ad eum Catechumenatus gradum, in quo morbo correpti fuerant, ſecus vero Pænitentes, ut ex modo probatis manifeſtum eſt.

Ad VI. dicitur, quod allatæ Scripturæ intelligendæ ſunt de remiſſione pænæ æternæ, propter quam remiſſionem peccator conſequitur æternam vitam; & quanvis ipſemet exhibere debeat temporales ſatisfactiones, hæ nihilominus ſibi parum, aut nihil videntur, dummodo ſuam æternam ſalutem conſequatur. Et hoc exemplo Davidis fit manifeſtum, cui Deus condonavit peccatum ſuum, & nihilominus ab eo exegit temporalem pænam: unde Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 67. de Davide ſcribebat: *quando correptus per Prophetam dixit Peccavi: continuo ad hoc unum verbum audire meruit, quod acceperit veniam. Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem? Neque enim prætermiſſa eſt in illum ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, ut & confeſſus in æternum liberaretur, & af-*

Digitized by Google

ſtictus temporaliter probaretur : & ſubdit : *intelligebat Vir ſanctus , niſi Dominus eſſet confitenti pænitentique propitius , quantum pænarum æternarum ejus eſſent digna peccata , pro quibus eum temporalibus emendationibus uteretur , videbat erga ſe , & manere veniam. & non negligi medicinam .*

Ad VII. dicitur I. , quod Ambroſius nomine ſatisfactionis Petri intellexit excuſationem , non proprie dictam ſatisfactionem ; quia ſcilicet Petrus non excuſavit peccatum ſuum , ſed flevit ; & ideo ſubdit : *quod defendi non poteſt, ablui poteſt* . II. Auguſtinus in priori loco intendit dicere , quod vitæ hujus miſeriæ , quæ ante remiſſionem peccati ſunt veræ pænæ , poſt remiſſionem vero ſunt certamina , & exercitationes juſtorum: in poſteriori vero loco intelligendus eſt de pæna æterna, quam Deus peccatori remittit per Sacramentum pænitentiæ,nullum autem verbum facit de pæna temporali ; & eodem modo intelligendus eſt Chryſoſtomus.

Ad VIII. Hæc reponit Jueninus in Commentario diſſertat. 6. de pænit. quæſt.6. cap.1. art. 1. „ Damnationis
„ nomine Paulum intelligere, vel dam-
„ nationem æternam , vel mortis æter-
„ næ reatum . Confirmatur I. ex capite
„ tertio ejuſdem epiſt.ad Rom. ubi hæc
„ verba . *Quorum damnatio juſta eſt*, nec
„ non hæc alia capitis decimi tertii, *ipſi*
„ *ſibi damnationem acquirunt*, de morte,
„ ac de reatu mortis æternæ intelligun-
„ tur Confirmatur II. ex eo , quod lau-
„ data in argumento ſententia ſit con-
„ cluſio , quam infert Apoſtolus ex eo,
„ quod quis mente ſerviat legi Dei, ſo-
„ la autem carne legi peccati : ſi quis
„ enim ita ſit affectus, haud dubie nihil
„ eſt in eo damnationis , ſeu nihil eſt,
„ quod mortem , ſeu pænam æternam
„ mereatur .

Secunda , & tertia Concluſionis partes probantur I.ex probata nuper Concluſione ; quia ſi ſatisfactiones temporales ſunt neceſſariæ , ut probatum eſt uſque ad præſens,ſequitur,& quod habeant vim ſatisfaciendi , & quod jure a Confeſſariis injungantur . Etenim quod neceſſarium eſt nobis ad æternam ſalutem , Deus, providentiam ſuam exercens erga Eccleſiam , quæ ſua eſt, debet illud nobis notificare, atq.præcipere ; atque inſuper debet Miniſtris ſuis imponere , ac poteſtatem tradere , ut data opportunitate cum fidelibus ſuis exequantur .

II. Probatur ex Scripturis.Danielis 3.Nabuchodonoſori Dei nomine a Daniele Propheta dicitur;*Peccata tua eleemoſynis redime , & iniquitates tuae miſericordiis pauperum* . Item Proverbiorum 16. dicit Dominus : *miſericordia , & veritate redimitur iniquitas* . Inſuper Proverbiorum 13.*Redemptio animæ viri divitiæ ſunt* . Item Math.3. Baptiſta hæc Judæis prædicabat : *Progenies viperarum quis demoſtrabit vobis fugere a ventura ira? facite ergo dignos fructus pænitentiæ* . Denique Auctor.26. Apoſtolus hæc publicabat; ſed his, qui ſunt Damaſci primum , & Ieroſolymis, & in omnem regionem Iudçæ, & Gentibus annuntiabam , ut pænitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pænitentiæ opera facientes.

III. Probatur ex Romanis Pontificibus . Leo Magnus Epiſt. 93. can. 2. *Unde hujuſmodi lapſus ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt , petenda ſeceſſio ; ubi illis ſatisfactio ſi digna fuerit , ſit etiam fructuoſa* . Innocentius I. Epiſt.22. cap.4. *ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegi, adulteri , atque omnium criminum rei : quia benedictionis ordinationis crimina , vel vita putantur auferri . Nullus ſit pænitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatioi, quod longa ſatisfactio præſtare conſuevit , non ſolum per baptiſmi gratiam , ſed etiam per pænitentiam medicinam ſpes vitæ reparatur æternæ &c. Mediator enim Dei , & hominum homo Chriſtus Jeſus , hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem , ut & confitentibus actionem Pænitentiæ darent , & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent* . Gregorius Magnus in Paſtorali part. 3. *Neque enim ſcriptor , ſi a ſcriptione ceſſaverit , quia alia non addit , etiam illa quæ ſcripſerat , delevit ; nec debitor abſolutus eſt , quia alia non multiplicat , niſi & illa,quæ ligaverat,ſolvat : ita & cum Deo delinquimus , nequaquam ſatisfacimus , ſi ab iniquitate ceſſamus , niſi voluptates quoque quas dileximus , & contraria appoſitis lamentis inſequamur* .

IV. Probatur ex Conciliis . Concilium Rhemẽſe habitũ an.813. cap.15.*Omnibus his actis ventilata eſt ratio pænitentiæ,*

tiæ, ut Sacerdotes certius intelligerent, quomodo Confeſſiones recipere, & pænitentiam ſecundum canonicam inſtitutionem Pænitentibus deberent indicare. Concilium Salegunſtadienſe an. 502. cap. 18. *Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtultitia, ut in aliquo capitali crimine culpati pænitentiam a ſuis Sacerdotibus accipere nolint, in hoc maxime confiſi, ut Romam euntibus Apoſtolicus ſibi omnia dimittat peccata, antlo viſum eſt Concilio, ut talis indulgentia illis non proſit, ſed prius juxta modum delicti pænitentiam ſibi datam a ſuis Sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire ſi velint, ab Epiſcopo proprio licentiam, & literas ad Apoſtolicum de iiſdem rebus deferentes accipiant.* Concilium Nannatenſe an. 900. cap. 5. *Infirmus, qui neceſſitate mortis urgente, confiteatur peccata ſua, ſub ea conditione a Sacerdote reconcilietur, ut ſi ei Dominus vitam donaverit, ſanitatemque reddiderit, ſecundum qualitatem delicti omnino pæniteat.* Concilium Trident. ſeſſ. 14. cap. 9. *Docet præterea, tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pænis ſponte a nobis pro vindicando peccata ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.*

V. Probatur ex PP. Græcis. Origenes in Exod hom. 6. *Et tamen ſi quis forte ejuſmodi pecuniam, a diabolo deceptus, accepit, non uſquequaque deſperet.* Miſericors *enim* eſt & miſerator Dominus, *& creaturæ ſuæ non vult mortem, ſed ut convertatur, & vivat, pænitendo, flendo, ſatisfaciendo deleat, quod admiſſum eſt.* Petrus Alexandrinus de pænitentia Can. 1. de iis, qui poſt multa tormenta ſacrificarunt. *Qui non ſponte ad ea devenerunt, ſed a carnis imbecillitate proditi ſtigmata Ieſu Criſti in corporibus oſtentant, & anno jam tertio defient, iis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies iniungantur. In quibus, & ipſi cum valde exercitati fuerint, & conſtantius jejunaverint, vigilabunt in orationibus.* Joannes Climacus gradu 15. *Catholica Eccleſia hæreticos quidem cum hæreſim priorem toto animo repudiaverint, atque anathematizaverint, ſuſcipit ad ſanctorum myſteriorum communionem, & ut idoneos admittit: eum vero, qui in fornicationem lapſus fuerit, confitentem, atque peccatum ipſum omnino deferentem, introrſus ſuſcipiens, per annos aliquot eum a venerandis immaculatiſq. myſteriis ex traditione apoſtolica ſeparari permittit.*

VI. Probatur ex PP. Latinis. Lactantius lib. 4. Inſtit. capit. 17 *Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pænitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, ut ſi cor mundaverimus, ideſt peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur;* & lib. 6. Cap. 13. *Circumſpice conſcientiam tuam, & quantum potes medere vulneribus tuis; nec tamen, quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim ſi Deo largiveris, quia peccaveris. Nam ſi fiducia largiendi pecces, non abſolventur: Deus enim purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoq. agere pænitentiã jubet &* cap. 24. *Poteſt homo reduci, ac liberari, ſi eum pæniteat actorum, & ad meliora converſus ſatisfaciat Deo: quod fieri poſſe Cicero non putavit,,.* Hilarius Pictavienſis in Pſal. 118. *exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* ,, Conſcius peccatorum veterum, ut hiſtoria ipſa docetur, licet toto corde ſe direxerit, tamen quia & peccati ſui dolorem ante reipſa jam ſcripſerit, tunc, cum Propheta Nathan arguente crimen ſuum recognovit, & flevit, nunc quoque non deſinit veræ pænitentiæ lacrymis veteris facti crimen abluere, dicens: *exitus aquarum deduxerunt &c. fontes*, ſcilicet lacrymarum ſuarum fontes fluminum eſſe transgreſſos. Hæc enim pænitentiæ vox eſt, lacrymis ingemiſcere, & per hanc confidentiam dicere. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum &c.* Hæc venia eſt peccati, fonte fletuum flere, & longo lacrymarum imbre madefieri.,, Pacianus Paræneſi ad Pænitentiam.,, Quare tenacitas humanitate redimetur, convitium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, aſperitas lenitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas, & quæcunque contrariis emendata proficiunt &c. Hinc ad eos ſermo ſit, qui bene ac ſapienter vulnera ſua pænitentiæ nomine confitentes, nec quid ſit pæni-

„ tentia, nec quæ vulnerum medicinam
„ noverunt: ſimileſque ſunt illis, qui
„ plagas quidem aperiunt, ac tumores
„ mediciſque etiam aſſidentibus confi-
„ tentur, ſed admoniti, quę imponen-
„ da ſunt negligunt, & quæ bibenda
„ faſtidiunt. Quod tale eſt, ac ſi quis di-
„ cat: ecce ego æger, ecce ego vulne-
„ ratus ſum: ſed nolo curari ſtoma-
„ chum. Hoc erat, ſed videte quid
„ illuſtius &c. Per Eccleſiæ fidem rogo
„ vos fratres: per ſollicitudinem meam,
„ per communes omnium animas ob-
„ teſtor, & deprecor, ne pudeat in hoc
„ opere, ne pigeat opportuna quampri-
„ mum remedia ſalutis invadere, deji-
„ cere mæroribus animum, ſacco cor-
„ pus involvere, cinere perfundere,
„ macerari jejunio, mærore confici,
„ multorum precibus adjuvari. In
„ quantum pœnæ veſtræ non pepperce-
„ ritis, in tantum vobis Deus parcet.
„ Eſt enim mitis, & patiens, & multæ
„ miſerationis, & qui ſententiam ple-
„ ctat adverſus malitiam irrogatam.
„ Ecce promitto, polliceor, ſi ad Pa-
„ trem veſtrum vera ſatiſfactione re-
„ deatis, nihil ulterius errando, nihil
„ priſtinis adjiciendo peccatis, dicendo
„ etiam humile aliquid ac flebile:
„ peccavimus in conſpectu tuo Pater,
„ jam non ſumus digni nomine filio-
„ rum; continuo de vobis & pecus illud
„ recedet immundum, & ſiliquarum
eſca deformis „. Petrus Chryſologus
ſerm. 176. „ Si qua forte noſtra mens
„ jaculo fuerit confixa peccati, ſi caro
„ tumeſcat ex crimine, ſi vitiorum
„ ſanie fragilitas humana corrumpa-
„ tur: tunc ægris illa, quæ non ſanis,
„ pœnitentiæ medicina ſuccurrat, fer-
„ rum compunctionis accedat, appona-
„ tur tunc aduſtio doloris, adhibeantur
„ ſuſpiriorum tunc fomenta, tumentis
„ conſcientiæ fervor tunc evaporet:
„ tunc reatus vulnera lacrymis abluant,
„ immunditiem corporis cilicia tunc
„ detergant. Ferat amaram pœnitentiæ
„ curam, qui ſervare debitam noluit
„ ſanitatem. Cui vita ſua chara eſt, du-
„ ra nulla eſt cura: medicus non ſit in-
„ gratus, qui per dolorem revocat ad
„ ſalutem. Qui innocentiæ creditum
„ ſervat, pœnitentiæ non ſolvit uſuram
„ &c. *Ipſe autem Ioannes habebat veſti-*
„ *mentum de pilis Camelorum*, poſuit de
„ caprarum. ſed cilicio opus non erat:
„ ſed accepit tortuoſiſſimi pilos ani-
„ mantis, nihil habentis recti, nihil gra-
„ tiæ, nihil decoris: quem natura dedit
„ labori duro, addixit magno ponderi,
„ extremæ tradidit ſervituti, tali pœni-
„ tentiæ magiſter indui debuit veſti-
„ mento: ut qui a recti detorſerant di-
„ ſciplina, & deformes ſe totos formis
„ reddiderant peccatorum, magis pœni-
„ tentiæ ſarcinis ſubderentur, addice-
„ rentur duris ſatisfactionis angoribus,
„ ſuſpiria compunctionis laborioſa por-
„ tarent: ut directi ac attenuati in mo-
„ dum acus per anguſtum pœnitentiæ
„ foramen ampla remiſſionis intrarent. „
Gennadius Maſſilienſis de eccleſia-
„ ſticis dogmatibus cap. 53. „ Quamvis
„ quis peccato mordeatur, peccandi
„ tamen non habeat de cætero volun-
„ tatem, & communicaturus ſatisfaciat
„ lacrymis, & orationibus &c. Sed hoc
„ de illo dico, quem capitalia, & mor-
„ talia peccata non gravant. Nam
„ quem mortalia crimina poſt baptiſ-
„ mum commiſſa premunt, hortor
„ prius publica pœnitentia ſatisfacere,
„ & ita Sacerdotis judicio reconcilia-
„ tum communioni ſociari, ſi vult non
„ ad judicium, & ad condemnationem
„ ſui Euchariſtiam percipere. Sed & ſe-
„ creta ſatisfactione ſolvi mortalia cri-
„ mina non negamus, ſed mutato prius
„ ſeculari habitu, & confeſſo religionis
„ ſtadio per vitæ correctionem, & jugi,
„ immo perpetuo luctu, miſerante
„ Deo, ita duntaxat ut contraria pro
„ iis, quæ pœnitet, agat, & Euchariſtiam
„ omnibus Dominicis diebus ſupplex,
„ & ſubmiſſus uſque ad mortem perci-
„ piat. „ Salvianus Maſſilienſis lib. 1.
„ ad Eccleſiam: „ Quando lugebit, qui
„ dies lugendi perdidit? quando ſatiſ-
„ faciet, qui tempus ſatisfactionis ami-
„ ſit? ad jejunia forſitan longa confu-
„ giet. Eſt quidem hoc aliquid: ſed
„ eleemoſynis miſceatur; ſecundum il-
„ lud. *Bonum eſt jejunium cum eleemoſy-*
„ *na*: ſed quomodo ei exomologeſis
„ diuturna opitulabitur jam in externis
„ ſito? ſed cilicio carnes conteret, ac
„ favilla, & cinere ſordidabit, ut mol-
„ litiem videlicet præteritæ voluptatis
„ præſentium aſperitatum duritia com-
„ penſet, & reatum longarum delicia-
„ rum officio patrocinantis ſolvat inju-
„ riæ; ſed quando hæc tam grandia fa-
„ ciet, & vicino jam exiet a medio-
„ crium actione diſcluſus?

VII. Probatur Rationibus. I. Ab illis im-
poni

poni debent ſatisfactiones pænales, qui auctoritatem à Deo habent ligandi, atque ſolvendi peccatores; ſed illi ſunt Sacerdotes Confeſſarii: ergo ipſi met habent pariter auctoritatem ſatisfactiones pænales peccatoribus imponendi. Major eſt certa; quia auctoritas imponendi ſatisfactiones pænales conſequitur auctoritatem ligandi, & ſolvendi. II. Satisfactiones pænales imponi debent Dei nomine, qui peccata principaliter dimittit; ſed nemo ullus in Sacramento pænitentiæ operatur Dei nomine, quam Sacerdos Confeſſarius: ergo hic ipſe auctoritatem habet imponendi ſatisfactiones pænales. III. Sacerdos Confeſſarius audit peccata, & conſiderat gravitatem, vel levitatem eorum: ergo hic habet auctoritatem imponendi ſatisfactiones pænales. Conſequentia ſequitur ex mente SS PP., qui ſæpeſæpius inculcant Confeſſariis, ut ſatisfactiones imponant Pænitentibus ſecundum peccatorum gravitatem, vel levitatem. IV. Uſus omnium ſeculorum uſque ab Eccleſiæ exordiis fuit, ut pænitentiæ ſalutares imponerentur ab Eccleſiæ Miniſtris; quod in tota Eccleſiaſtica Hiſtoria obvium eſt; ſed Eccleſiæ Miniſtri in Sacramento pænitentiæ ſunt Sacerdotes Confeſſarii: ergo &c.

Opponunt I. Ex Calvino. PP. Antiqui errarunt aſſerendo, quod Miniſtri Eccleſiæ imponerent pænitentias pænitentibus; & hæc ſunt ſua verba lib. 3. Inſtitut. cap. 4. §. 39. *Parum me movent quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam ſimpliciter, omnes fere, quorum libri extant, aut hac in parte lapſos eſſe, aut nimis aſpere, & dure loquutos*. II. PP. Antiqui nomine ſatisfactionis intelligebant merum ritum externum, per quem pænitentes certiorem faciebant Eccleſiam de ſua converſione; & hæc pariter ſunt verba ejuſdem Calvini citato loco. *Vocarunt ſatisfactionem, non compenſationem, quæ Deo redderetur, ſed publicam teſtificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Eccleſiam reddebant ſua pænitentia certiorem .... Atque ita dicebantur non Deo ſed Eccleſiæ ſatiſfacere*. III. Non poteſt imponi ſatiſfactio pænalis, quæ nullum ſortiri poteſt effectum; ſed ſi penitens moriatur ſtatim poſt ſuſceptum penitentiæ Sacramentum, ſatisfactionem impoſitam adimplere non poteſt; ergo vel tunc ſatisfactio pænalis nullum habebit effectum, vel ſi pæna temporalis ei remittetur, abſque ſatisfactione fiet remiſſio: ergo non eſſet neceſſaria ſatisfactio ad pænæ temporalis remiſſionem. III. Satisfactio ſacramentalis, nullam confert novam gratiam; ergo inutiliter ab Eccleſiæ Miniſtris imponitur. V. Non eſt neceſſe ut ſatisfactio temporalis adimpleatur per illum, qui confitetur, ſed poteſt per alium adimpleri; ergo non commenſuratur peccato, quod proprium ſuum tenet auctorem VI. Satisfactio facta ab illo, qui in peccato mortali exiſtit, nulla eſt; ergo falſo & immerito imponitur.

Reſpondemus ad I. cum Iuenino: Mirum valde eſſe, quod per tot ſecula nemo unquam dixerit, quod erraverint PP., & ſolus dixerit Calvinus; & hoc eo magis mirum eſt, quod non unus, vel alter ex Patribus dixerit, ſed omnes docuerunt; & quod ab omnibus dictum fuit, non eſt error, ſed traditio: unde ait Tertullianus; *Quod enim apud omnes unum eſt, non eſt erratum, ſed traditum*.

Ad II. Idem Juueninus in Commentario diſſertat.6. de pænitet. quæſt.5. de ſatisfact. art.3. hæc reponit. *Falſum eſt, quod ſatisfactiones, de quibus PP. loquuntur, Deo (ut ſupponit Calvinus) exhibitæ non fuerint: ſi quidem (ut ex allatis eorum textibus conſtat) conceptis terminis aſſeruerint, Deo exhibitas fuiſſe ſatisfactiones hujuſmodi. Qui fieri potuit ut Eccleſiæ tantum exhiberentur cum impoſitæ fuerint pro peccatis occultiſſimis, ac proinde pro iis, quæ nunquam Eccleſiæ ſcandalo fuerint? Jis ſatisfactoriis pænis vim adſcripſerunt abſtergendi coram Deo peccatorum maculam & remittendi pænam, quæ illis alioquin debebatur; docuerint miniſtros, qui ante peractam condignam ſatisfactionem lapſos donabant reconciliatione, eis nocere quam maxime; tandem duriſſimis verbis eas infectati ſunt abſq. præmiſſis ſatisfactoriis laboribus, pacem lapſis indulgebant, ubi inquiunt SS. Confeſſores de carcere ad Cyprianum ſcribentes) divinus metus relinquitur ſi tam facile peccantibus venia præſtetur? foven-*

fovendi ſunt ipſorum animi, & ad maturitatis ſuæ tempus nutriendi, & de ſcripturis ſanctis, quam illos & ſupra omnia peccatum commiſerint inſtruendi &c. eluendæ ſunt operibus bonis manus impio ſacrificio inquinatæ. & neceſſario cibo ora miſera polluta, pœnitentiæ veræ ſunt ſermonibus expianda. crebri pœnitentium gemitus audiantur, & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur. ut illi ipſi oculi, qui male ſimulacra conſpexerunt, quæ illicite commiſerant ſatisfactionibus Deo fletibus deleant . . . Infidelis cicatrix quam cito feſtinans medicus induxit; & ad quamlibet cauſam medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur. Cito rurſus in incendium flamma revocatur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur, ut merito hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa morte magis conſuli & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari.

Ad III. dicitur, quod ſi pœnitens moriatur ante adimpletam ſatisfactionem, ſed poſt illam acceptatam, & poſt firmum propoſitum adimplendi eandem, ex vi Sacramenti remittitur aliquid pœnæ temporalis ex opere operato, ſed quantum ſit, non determinant Doctores; dicunt enim, quod ſolus Deus novit: ſubdunt tamen, quod ordinarie remittitur illa pœna, proportione ſervata pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis; ideſt major, vel minor, pro majori, vel minori labore, qui ſuſtinetur.

Ad IV. dicitur, quod ſatisfactio ſacramentalis non confert novam aliquam gratiam; & ratio eſt ex Tournely. „ Quia Sacramentum gratiam
„ producit ex opere operato, quando
„ ſuis omnibus partibus eſſentialibus
„ perfectum eſt: atqui cum impletur
„ ſatisfactio, Sacramentum Pœniten-
„ tiæ eſſentialiter perfectum fuit. Ne-
„ que vero potior ratio eſt cur ſatisfa-
„ ctioni, quatenus ab aliis pœnitentiæ
„ partibus ſe jungitur, tribuatur vir-
„ tus producendi gratiam ex opere
„ operato, quam Confeſſioni, vel con-
„ tritioni ſeorſim ſumptis . „ . . . .

Ad V. Idem Tournely hæc reponit: „.
„ poſſe unum hominem pro alio ſati-
„ ſfacere: Probat evidenter Eccleſiæ fi-
„ des, ac doctrina circa Indulgentias,
„ ac Sanctorum communionem: non
„ enim alio fundamento nixa olim fuit
„ Eccleſia, ut in gratiam Martyrum
„ relaxaret pœnitentibus pœnas canoni-
„ cas, quam quod perſuaſum habuit
„ merita Sanctorum eorumque ſatisfa-
„ ctiones poſſe aliis, Deo ita indulgen-
„ te, applicari ſed de hoc argumento
„ fuſius, ubi de Indulgentiis. „

Ad VI. reſpondetur, quod reſponſio maxime dependet ex reſolutione poſterioris partis hujuſce præſentis Diſſertationis. Proinde,

Ad poſteriorem partem hujuſce præſentis Diſſertationis devenientes, in qua quæritur, quo tempore impleri debeat ſacramentalis ſatisfactio, an ſcilicet debeat præcedere, vel ſubſequi abſolutionem? Primo advertendum eſt, plures in hoc erraſſe, tam ex veteribus, quam ex modernis Scholaſticis; & quidem erravit Petrus de Oſma, qui fuit a Sixto IV. anno 1478 damnatus; erravit pariter Marcus Antonius de Dominis, Apoſtata Spalatenſis lib. 5. de republica Chriſtiana cap. 7. nu. 57. erravit ſimiliter Theophilus Brachet in lib., cui titulus *verax pacificus*, qui fuit a Sacra facultate Pariſienſi cenſura notatus anno 1744. & ſi qui alii fuerunt, qui eundem errorem docuerunt, eos damnavit Alexander VIII. an. 1690. ubi hanc propoſitionem proſcripſit: *executionem pœnitentiæ, ſeu ſatisfactionis injunctæ, neceſſario ex inſtitutione Chriſti, ac inviolabili Sacramenti natura, ita prærequirit abſolutioni, ut alioquin abſolutio non ſit valida, niſi hujuſmodi ſatisfactio prius completa fuerit*. Denique erravit Queneſlius, qui in Conſtitut. *Unigenitus* a Clemente XI. damnatus eſt in propoſitione 87. inter centum & unam pariter damnatas, in qua ſic loquitur: *Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, adminus, ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur*,

Ex præfatarum propoſitionum damnatione duæ poſſunt non immerito Concluſiones inferri, quarum una eſt, quod ſatisfactio, quæ adimpletur ab illo, qui in novum mortale peccatum lapſus eſt, ſit valida; & altera, quod ſatisfactio, quæ in veteri Eccleſia per plures annos a Pœnitentibus

bus exigebatur, non erat ſatisfactio ſacramentalis, ſed mere canonica, & cæremonialis.

Prima Concluſio Probatur I. Concilium Tridentinum ſeſſ. 21, cap. 2. docet quod Eccleſia in Sacramentis nihil poteſt immutare, vel variare, quod ſubſtantiã Sacramentorum reſpiciat, quanvis aliquid inſtituere poſſit, quod reſpiciat diſciplinam, & ritum; & hæc ſunt ejus verba citato loco: *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum adminiſtratione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, & temporum ac locorum varietate, magis expedire judicaverit*. Et ſeſſ. 7. can. 13, de Sacramentis in genere, anathematizat illos, qui dixerint, *receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe*. Atqui Græca Eccleſia, pariter & Latina cenſuerunt a plurimis ſeculis Pænitentes ſacramentaliter abſolvere ſtatim poſt Confeſſionem peccatorum Sacerdoti factam, & receptam pænitentiam ab eo aſſignatam: ergo ſignum eſt, quod utraque Eccleſia tenet validam eſſe Confeſſionem, & ſi adhuc non fuerit pænitentia adimpleta. Minorem probat Morinus lib. 6. cap. 24. ex ritibus & Scriptoribus Græcis; de Eccleſia latina uſus, qui adhuc permanet, comprobat. Et hæc quidem intelligenda ſunt de Eccleſia Græca a Mille, & ducentis Annis; & de Eccleſia Latina ſaltem a ſex ſeculis uſque modo.

II. Probatur ex multis exemplis, quibus clarum ſit, veterem Eccleſiam pluribus in caſibus conſueviſſe abſolvere Pænitentes, antequam pænitentiæ tempus adimpleretur. Et quidem abſolvebatur Pænitens quando ante expletum pænitentiæ tempus in vitæ periculum incidebat Ita factum legimus ab Innocentio I. Romano Pontifice Epiſt. 1. cap. 7. a Leone Magno Epiſt. 82. ad Theodorum cap. 4. ſimiliter in Concilio Nicæno I. Can. 13. Cartaginenſi 4. can. 76. Arauſicano I. can. 3. Epaonenſi can. 36. Pariter abſolvebatur, quando timebatur ne Pænitentes tranſirent ad Hæreticos vel Schiſmaticos propter dilatam abſolutionem; quando imminebat perſecutio; quando Martyres Pænitentes commendabant Eccleſiæ; quando ipſimet Pænitentes intenſum, & vehementẽ de peccatis dolorem oſtendebant; ut videre eſt apud Scriptores.

III. Probatur ex damnatione propoſitionum contrariarum, facta a Sixto IV. in Petro de Oſma, qui aſſerebat: *pænitentes non ſunt abſolvendi niſi peracta prius pænitentia eis iniuncta*. Et in illa facta ab Alexandro VIII. propoſitionum XVI. XVII. XVIII. *ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante, per illam praxim mox abſolvendi ordo pænitentiæ eſt inverſus, conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pænitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu*.

Altera vero concluſio, quam diximus, ſcilicet abſolutionem illam, quæ dabatur olim ab Eccleſia publicis Pænitentibus poſt expletos pænitentiæ labores fuiſſe dumtaxat Canonicam, & Cæremonialem cum Eccleſia reconciliationem, nimirum ſolutionem a pænis canonicis, non vero abſolutionem ſacramentalem a peccatis: Tournely afferit tamquam certam; dubitat vero, an tunc temporis ſacramentalis illa abſolutio concederetur ſimul cum Canonica, licet ſecreto, poſt expletam pænitentiam. Et concludit art. 3. de Sacram. pæniten. concl. 21. veriſimilius eſt, quo tempore in uſu fuit pænitentia publica ſacramentalem a peccatis abſolutionem lege communi, & ordinaria datam fuiſſe poſt expletam ſatisfactionem. Et hoc quidem multis exemplis probat, quæ apud ipſum videnda remittimus; ſicut & pariter reſponſiones ad objectiones, ſi quæ proponuntur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO CCCLXXXIV.

De ſatisfactione ſacramentali. Quænam ſit materia ſatisfactionis ſacramentalis? quinam ſit Miniſter? & quodnam eſſe debeat Subjectum?

MATERIA ſatisfactionis ſacramētalis Primo cōplectitur opera pœnalia, & afflictiva; Secundo opera bona a pœnitente debita, & indebita; Tertio opera bona tum externa, tum interna.

Primum dictum. I. probatur ex Scripturis omnibus, per quas Deus exigit a peccatore jejunium, fletum, cinerem, cilicium &c. II. ex PP. qui multa opera pœnalia a pœnitentibus exigunt, quorum teſtimonia, & quidem luculentiſſima, in præterita diſſertatione retulimus. III. ex rationibus, & quidem prima, quia in Deo eſt juſtitia vindicativa, ut ſuo loco probatum ſupponimus; ſed juſtitia vindicativa exigit delinquentis pœnam: ergo &c. Secunda, quia omne malum attrahit ſupplicium: ergo pro peccato, quod eſt malum, exiberi debet opus pœnale, quod eſt ſupplicium. Tertia, quia debet eſſe ſimilitudo inter pœnam æternam, & pœnam temporalem, quæ exhibetur per ſacramentalem ſatisfactionem; ſed hæc ſimilitudo pluſquam in aliis operibus invenitur in operibus pœnalibus: ergo &c.

Secundum dictum pro prima parte probatur I. quia jejunia a Deo præcepta ſunt opera debita, & nihilominus poſſunt eſſe materia ſacramentalis ſatisfactionis II. quia tolerantia pœnalitatum hujus vitæ eſt opus debitum, quum ſit opus pariter a Deo præceptum, & tamen eſt pariter materia ſacramentalis ſatisfactionis. III. quia martyrium, inſtante periculo negationis fidei, etiam a Deo præcipitur, & quoque ſacramentalis confeſſionis poteſt eſſe materia. Opus autem, quod dicitur indebitū, a fortiori poteſt ingredi materiam eandem, quia eſt majoris meriti, quum ſit omnino voluntarium; & quia proficiſcitur ab amore Dei ferventiori, & intenſiori, & quia tandem eſt mera ſolutio, ex quocunque alio titulo, ut ſupponitur, indebita.

Tertium dictum etiam probatur I. quia actus interni ſunt liberi: ergo poſſunt a Confeſſario imponi, ut pro materia ſatisfactionis ſacramentalis exerceantur. II. quia ſunt difficiles & quidē aliquando ipſiſmet actibus externis difficiliores, ut in contritione notum eſt: ergo poſſunt eſſe ſacramentalis ſatisfactionis materia. III. quia omne, quod poteſt eſſe meritorium, poteſt pariter eſſe ſatisfactorium: ſed actus internus poteſt eſſe opus boum meritorium: ergo poteſt quoqne eſſe bonum ſatisfactorium.

Odjiciunt I. aliquando ratione ferventis charitatis in Deum opus pœnale non redditur difficile, & grave; immo potius gratum, & jucundum pœnitenti: ergo in eo caſu non poterit eſſe ſatisfactorium, quia deficeret ratio pœnalitatis in eo, & loco ipſius eſſet potius ratio jucunditatis, & delectationis. II. per unicam ſolutionem non poteſt quis ſatisfacere duplici debito, quo tenetur ad ſolvendum; ſed in opere bo-

bono debito quis tenetur ad ſolvendum ex debito legis: ergo non poteſt pariter teneri ad ſolvendum ex debito ſacramentalis ſatisfactionis: ergo opus bonum alias debitum non poteſt eſſe materia ſacramentalis ſatisfactionis. III. Non omne opus bonum pœnitentis eſt pœnale, & tamen omne opus bonum pœnitentis poteſt eſſe ſatisfactorium: ergo non ſolum opus pœnale debet eſſe materia ſacramentalis ſatisfactionis. IV. Si opus alias debitum poſſet eſſe materia ſacramentalis ſatisfactionis, ſequeretur, quod pœnitens etiam pro graviſſimis ſceleribus nihil de novo pateretur, quod ſine illis non deberet etiam pati; nimirum deberet alias ſervare jejunium præceptum, audire miſſam in die feſto, ad quæ ſine obligatione ſatisfactionis ex lege Eccleſiæ teneretur; ſed hoc non eſt dicendum: ergo &c. V. Materia ſacramentalis Confeſſionis debet eſſe ſenſibilis, utpote pertinens ad Sacramentum pœnitentiæ, quod eſt ſenſibile: ergo actus interni, qui non ſunt ſenſibiles, non poſſunt ingredi rationem materiæ ſacramentalis Confeſſionis. VI. Pœnitens debet eſſe certus de adimpletione ſatisfactionis ſibi a Confeſſario impoſitæ: ſed non poteſt eſſe certus de actibus internis a ſe elicitis: ergo actus interni non poſſunt eſſe materia ſatisfactionis. Probatur minor; quia ſuppoſito quod Confeſſarius imponat pœnitenti quod eliceat contritionis actum, hic non poteſt eſſe certus an vere illum fecerit, an non.

Reſpondemus ad primum, quod in illo caſu opus pœnale redditur ſuave, & dulce per accidens, & non per ſe; & hoc ſufficit ut illud ſit materia ſacramentalis ſatisfactionis, quia lex non reſpicit quod eſt per accidens, ſed quod eſt per ſe, & ex natura ſua. Inſuper in illo caſu ſupponitur ferventior amor Dei, qui reddit opus pœnale jucundum, & ſuave; & hic amor Dei ſatis eſt ad reddendum quodcumque opus ſatisfactorium, & magis quo ipſe eſt intenſior.

Ad Secundum dicitur, verum eſſe, quod quis non poteſt per unicam ſolutionem ſatisfacere duplici debito, quando creditor ex duplici credito duplicem exigit ſolutionem: at quando creditor acceptat unicam ſolutionem pro duplici credito, quod adverſus debitorem tenet, debitor ad aliud non tenetur. Caſus noſter eſt in ſecundo genere, non in primo; adeoque diſparitas eſt manifeſta.

Ad tertium dicitur, quod omne opus bonum, quanvis non ſit pœnale homini innocenti, eſt tamen pœnale homini corrupto; qui propter infirmas, quas habet vires, ad omne opus bonum, cum labore, & pœna illud exercet, adeoque omne opus bonum ſibi pœnale aliquo modo eſt.

Ad quartum dicitur, illud omne eſſe intelligendum cum diſcretione, & prudentia Confeſſarii; ſcilicet ut non cuicunque Pœnitenti, quælibet pœnitentia imponatur, ſed juxta illius ſtatum, & delicta, & peccata. Unde dicitur in oratione poſt abſolutionem: *ut quidquid boni feceris vel mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in augmentum gratiæ, in remiſſionem peccatorum, & in præmium vitæ æternæ &c.*

Ad quintum dicit Iueninus, actus internos eſſe ſenſibiles, primo, quia ſæpe ſunt pœnales & afflictivi, utpote multum cruciantes peccatorem; ſecundo, quia redduntur ſenſibiles per Sacerdotis injunctionem & exteriorem acceptationem pœnitentis.

Ad ſextum, ſufficit, quod pœnitens ſit certus moraliter de adimpletione ſuæ pœnitentiæ; hoc eſt probabiliter exiſtimet, ſe illos actus habuiſſe, quos ei Confeſſarius pro pœnitentia injunxit. Et ratio eſt, quia ſi Confeſſarius non intendit exigere a pœnitente certitudinem phyſicam, vel metaphyſicam, ſed tantum contentus eſt morali; ſi pœnitens habet certitudinem de adimpletione ſuæ pœnitentiæ, quam Confeſſarius exigit, ad aliud non tenetur.

Pro ſecunda diſſertationis parte, in qua quæritur; quinam ſit ſacramẽtalis Confeſſionis miniſter? Conveniunt omnes eſſe Sacerdotem Confeſſarium. Et ratio eſt, quia illa Chriſti verba: quęcunque ligaveritis &c. & quęcunque ſolveritis &c. ad Apoſtolos, eorunque ſucceſſores, dicta fuerunt; unde Sacerdotes Confeſſarios comprehendunt, qui in Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione Apoſtolorum ſunt ſucceſſores. Proinde Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. declaravit: *circa miniſtrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, &* a ve-

a veritate Evangelii pænitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes clavium miniſterium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata, & in Cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcue, & contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat, remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem, cuicunque factam; & ſeſſ. 14. Can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pænam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & pariter toleratis, vel a Sacerdcte injunctis; ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jeiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pænitentiam eſſe tantum novam vitam, anathema ſit*; & Can. 15. *ſi quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes dum imponunt pænas confitentibus agere contra finem clavium & contra inſtitutionem Chriſti, & fictionem eſſe, quod virtute clavium ſublata pæna æterna, pæna temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema ſit*. Hanc tamen catholicam veritatem in præterita diſſertatione ſupponimus probatam, & circa eam tantum inquirimus, an miniſter pænitentiæ Sacramenti poſſit cogere pænitentem, ut ſatisfactionem ſacramentalem adimpleat, antequam eum ſacramentaliter abſolvat?

Pro qua ſupponere debemus, antiquitus conſueviſſe miniſtros cogere pænitentes ad ſatisfactionem implendam, antequam eos abſolverent; attamen hæc praxis, nec erat communis, & multas etiam exceptiones habebat. Primum dictum probant exemplo Corinthii inceſtuoſi, qui ab Apoſtolo abſolutus non fuit antequam pænitentiam ab ipſo eidem impoſitam impleviſſet. Secundo, quia Clemens Alexandrinus teſtatur, quod S. Joannes Evangeliſta non abſolvit prædonem antequam jejuniis, & lacrymis pro ſuo crimine Deo ſatisfaciſſet. Tertio, quia S. Cyprianus ex Cleri Romani ſententia noluit lapſos abſolvere, priuſquam pænitentiam egiſſent. Quarto demum, ex ritibus publicæ pænitentiæ, quibus non datur abſolutio ſacramentalis, niſi poſt fletum, auditionem, & ſubſtrationem.

Secundum vero dictum probatur ex multis exceptionibus, quæ admittebantur, & in quibus dabatur abſolutio, antequam pænitentes ſatisfactionem implerent. Et quidem primo fit manifeſtum ex Innocentio I. Romano Pontifice in ſua epiſt. 1. cap. 7. in qua legitur; *ſane ſi quis in ægritudinem incideret, atque uſque ad deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſeculo abſq; communione diſcedat*. Secundo ex Cypriano, qui aſſerit, quod pax dabatur lapſis ante pænitentiā inſtante martyrio, ad hoc, ut eidem redderentur magis idonei; & ſua verba ſunt in epiſt. 54. ad Corneliū: *at vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt; nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus; & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela: quos tutos eſſe contra adverſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus*. Tertio ex Auguſtino lib. 3. contra epiſt. Parmeniani cap. 2. ubi aſſerit, quod dabatur abſolutio quando periculum ingentis ſchiſmatis imminebat; & hoc unitatis amore. Quarto, quia Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum teſtatur, quod Cornelius conceſſit abſolutionem ante pænitentiam, quando redundabat ingens aliquod bonum in Eccleſiā, uti erat ſchiſmatis extinſio; & ſic ſe geſſit cum Confeſſoribus, qui ſequuti fuerant Novatianum; & Trophimo, quia ad Eccleſiam rediens multam Lapſorum turbam ſecum ad Eccleſiam adduxit: *In Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt; qui omnes ad Eccleſiam regreſſuri non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent*.

Arguunt I. ex Auguſtino ſerm. 58. de tem-

tempore, in quo ſcribit: *Si ſemel quis, vel ſecundo peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ud Pænitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora, & forſan ſine aliqua fæditate, recipiet*; ergo ab Auguſtino improbabatur praxis illa differendi abſolutionem poſt pænitentiam completam. II. ex Chryſoſtomo in hom. de S. Philogono: *neque mihi quiſquam dixit, Vereor, habeo conſcientiam peccatis appletam, ſarcinam circumfero graviſſimam. Sufficit enim horum quinque dierum, qui Epiphaniam præcedunt, tempus, ſi ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illad perpende, quod breve tempus eſt, ſed illud conſidera, quod benignus eſt Dominus, quandoquidē, & Ninivitæ tridui ſpatio; tantam iram Dei a ſe depulerunt. Nec obſtitit illis temporis anguſtia, ſed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem actum peragere voluit. Et meretrix illa brevi temporis momento cum ad Chriſtum acceſſiſſet omnia probra diluit*. III. Eccleſia ſequi debet omnipotentis, & miſericordis Dei exemplum in condonandis peccatis; ſed Deus ſtatim concedit veniam peccatoribus, ſi peccatorum commiſſorum pænituerint: ergo non debebat Eccleſia lapſis pænitentibus abſolutionem differre. IV. ex Leone magno abſolutio illa, quæ concedebatur pænitentibus poſt expletam ſatisfactionem, non erat ſacramentalis, ſed cæremonialis; unde dicit, quod abſolutione ſacramentali donabantur ſtatim pænitentes, poſtquam conſtabat, eos admiſſorum criminum ſtatim pænituiſſe; & ſunt ſua verba: *eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittimus*.

Reſpondemus ad I. Auguſtinum intelligendum eſſe de pænitentibus, quorum contritio plene conſtabat Eccleſiæ; ſicuti conſtat Deo, modo ſuo ſervato; & proinde aſſerebat, quod illis differenda abſolutio nou eſſet.

Ad II. eadem eſt reſponſio; & pro confirmatione afferuntur verba Paciani in pareneſi ad pænitentiam, in qua alloquitur illos, qui multo tempore ſacramentalem abſolutionem expectabant: *ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quam primum remedia ſalutis invadere, dejicere mæroribus animum, ſacco corpus involvere . . . In quantum pœnæ veſtræ non pepercistis, in tantum vobis Deus parcit . . . Ecce promitto, polliceor, ſi ad Patrem veſtrum vera ſatisfactione redeatis*.

Ad III. dicitur, quod reſponſio patet ex reſponſione ad I. nimirum ex diſparitate, quæ eſt inter Deum, & homines, qui Eccleſiam conſtituunt, vel regunt; Deus enim intuetur cor, & aperte videt dolorem & contritionem illorum, qui peccaverunt, & quos deinde pænitet peccaſſe; quos ſi viderit vere peccatorum ſuorum pænitere, illico eis dat veniam; homines vero quum id aperte non videant, opus eſt ut per exteriora opera id experiantur, ac probent.

Ad IV. hæc reſpondet Iueninus „ per
„ januam reconciliationis Leonem ma-
„ gnum intelligere datam a Sacerdoti-
„ bus abſolutionem; nullam enim aliam
„ ad Sacramentum corporis Chriſti lap-
„ ſis viam patere, ſuo loco demoſtratum
„ eſt: tantum abeſt igitur ut ex illo Leo-
„ nis loco colligi poſſit abſolutionem
„ præceſſiſſe ſatisfactionem, quin potius
„ contrarium manifeſto concludatur. „
„ His poſitis.

Dicimus I. antiquorum praxim differendi abſolutionem, & poſteriorem alteram, æque fuiſſe, & eſſe laudabiles, propter varias temporum circumſtantias, & rerum rationes.

I. Concluſionis pars I. probatur. Praxis, quæ ſolidis nititur rationum momentis, eſt laudabilis; ſed ſic erat illa Antiquorum; ergo erat laudabilis. Minor probatur. Laudabile eſt vereri, ne Sacramenta conferantur indignis, qui vel affectum ad mortalia habebant, vel de iis nondum verum dolorem conceperant; & hæc eſt ratio quam innuit Nyſſenus in epiſt. Canon. dicens, *quemadmodum porcis margaritas projicere eſt vetitum, ita & pretioſa margarita privare eum, qui jam per alienationem a vitio, & purgationem homo factus eſt; abſurdum*. Iterum, laudabile eſt differre abſolutionem uſque ad tempus, quo pænitens per varia pietatis exercitia, aut coram Deo abſolutus, aut abſolutioni diſpoſitus agnoſcatur; & hanc rationem profert Gregorius Magnus homil. 26. in Evangelia: *videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pænitentia ſecu-*

ſecuta poſt culpam, ut quos omnipotens Deus, per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſolvat. Tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis. Laudabile quoque eſt excludere lapſis prolapſionis viam, & hanc rationem affert Cyprianus lib. de lapſis: *Infidelis cicatrix, quam cito feſtinans medicus induxit; & ad quemlibet caſum medela reſcinditur, ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia præſtentur, in incendium flamma revocatur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam materia reſtinguatur, ut merito hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari.*

II. Probatur. Laudabilis eſt praxis, quæ pænitentium ſaluti ut plurimum conferre poteſt; ſed ſic erat illa Antiquorum: ergo erat laudabilis. Probatur minor. Prodeſt ſaluti pænitentium differre abſolutionem, quando probabiliter timetur pænitentem non executurum opus a Confeſſario injunctum. Similiter prodeſt, quando pænitens tenetur facere reſtitutionem, vel rei, vel famæ ablatæ, & Confeſſarius dubitat, quod recepta abſolutione non faciat.

Secunda Concluſionis pars probatur I. ex praxi Græcorum, qui abſolvunt pænitentes antequam ſatisfactionem adimpleant; & exemplum habemus in lib. pænitentiali Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, cujus verba recitat Jueninus in commentario, & qui ſexto ſeculo labente floruit.

II. probatur ex Ritualibus Latinorum, in quibus nullo modo præſcribitur hujuſmodi abſolutionis dilatio. Immo potius contrarium plane conſtat ex damnatione, quam fecerunt Sixtus IV. in Petro Oxomenſi, & Alexander VIII. in aliis propoſitionibus, quas ſuperius adduximus.

III. probatur ex Rationum momentis, quibus inducta fuit Eccleſia ad variandam antiquam Eccleſiæ diſciplinam. Et hæc referuntur his verbis a citato Juenino in Commentario „ ubi paſſim indulgentiæ ſeculo „ 12. conceſſæ ſunt; ſeu ubi pænitentes a pænis canonicis per indulgentias liberati fuerunt, ſtatim per confeſſionem donati fuerunt abſolutione, ſi aliunde, ſeu ex pietatis operibus, „ quæ tamen rationem ſatisfactionis „ non haberent, contriti judicarentur. „ Uſus, qui tunc ex indulgentia ſervabatur, in tritum, & communem abiit, „ cum Chriſtianorum tepiditas canonum rigorem ferre non poſſet. Secũdo, ea, quæ aliquibus ab hinc ſæculis „ invaluit, diſciplina, demonſtratum eſt „ datam a Sacerdotibus abſolutionem, „ etiam coram Deo, vim habere, & non „ tantum ut pænitens exteroæ fidelium ſocietati reſtitueretur: non minus „ prodeſt ſatisfactio, quæ abſolutionem „ ſubſequitur, quam quæ eam præceſſit; „ cum opera, quæ ab amicis exhibeutur, „ gratiora ſint iis, quæ fiunt ab inimicis, „ ut ſunt Dei reſpectu ii omnes, qui „ verſantur in ſtatu peccati mortalis, „ quamvis ab illis affectu plane ſint liberi.

Pro tertia diſſertationis parte, in qua quæritur de ſubiecto ſacramentalis ſatisfactionis, certum eſt ſubiectum ſacramentalis ſatisfactionis eſſe Pænitentem. Et circa ipſum hæc tria quæruntur; Primum, an poſſit unus pro alio ſatisfacere? Secundum, an teneatur pænitens acceptare ſatisfactionem ſibi a Confeſſario iniunctam? Tertium, an ſit valida ſatisfactio, quæ adimpletur a Pænitente in peccato mortali exiſtente. Circa primum conveniunt omnes, quod ſi ſatisfactio dicat ordinem ad ſolutionem, plane poteſt unus pro alio ſatisfacere; non ſic vero ſi dicat ordinem ad remedium pro impediendo peccato, quod poteſt ſubſequi. Circa ſecundum conveniunt pariter, quod ita tenetur pænitens acceptare pænitentiam ſibi a Confeſſario injunctam, ut ſine ipſa acceptatione abſolvendus non ſit. Circa tertium obſervant, poſſe hominem eſſe in peccato mortali tripliciter, actu nimirum, affectu, & reatu; actu, quando actualiter peccat; affectu, quando jam peccavit, ſed peccatum non diſplicet ei, immo potius placet; reatu, quando deponit peccatum, & affectum ad ipſum, ſed adhuc illius remiſſionem non obtinet. Proinde

Dicimus II. poſſe unum pro alio ſatisfacere modo dicto; teneri Pænitentem acceptare pænitentiam ſibi a Confeſſario iniunctam; & eſſe invalidam ſatisfactionem, quæ adimpletur in actu peccati, vel cum affectu ad pecca-

tum; validam vero eſſe illam, quæ adimpletur cum reatu tantum peccati.

Prima Concluſionis pars probatur I. ex Symbolo Apoſtolorum, in quo credenda proponitur communio Sanctorum, quæ comprehendit, quod bona opera juſtorum proſunt illis, pro quibus offeruntur, etiam per modum ſatisfactionis. II. ex exemplo Martyrum, qui mittebant libellos ad Paſtores Eccleſiarum in commendationem Pænitentium, ut eis pænitentiæ injunctæ vel in totum, vel in partem relaxarentur. III. Quia Paſtores aliquando remittebant ſatisfactiones Pænitentibus quando tota Eccleſia pro ipſis orabat. IV. quia PP. hoc ipſum teſtantur; & præcipue Cyprianus lib. de lapſis; Euſebius, qui refert, quod Zephyrinus Papa abſolvit Natalium ab hæreſi converſum, quia tota Eccleſia pro ipſo exoravit: Ambroſius, qui lib. 3. in Lucam hæc habet: *ſi grave peccatum eſt, quod pænitentiæ tuæ lachrymis ipſe lavare non poſſis, fleat pro te mater Eccleſia, quæ pro ſingulis tanquam pro unicis filiis vidua mater intervenit.*

Secunda Concluſionis pars I. probatur ratione integritatis Sacramenti, quæ ſine ſatisfactione, ſaltem acceptata, eſſe non poteſt. II. Poteſtas ligandi, & ſolvendi, quam tradidit Chriſtus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, in adminiſtratione ſacramenti Pænitentiæ, intelligi non poteſt ſine ſatisfactione ſacramentali: ergo Pænitens tenetur illam acceptare. Antecedens probatur ex Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 14. cap. 8. docet: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & Pænitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi forte peccatis conniviant, & indulgentias cum pænitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habebunt autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, et infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Nam claves ſacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt & docent; nec propterea exiſtimarunt, Sacramentum pænitentiæ eſſe forum iræ, vel pænarum, ſicut nemo unquam Catholicus ſenſit, ex hujuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti, & ſatisfactionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui; quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam Pænitentiam novam vitam eſſe docent, ut omnem ſatisfactionis vim, & uſum tollant.* III. Confeſſarius exercet munus Judicis, & Medici; ſed reus, & ægrotus, qui eſt pænitens, debet ſubire pænam, quam Judex illi imponit, & ſuſcipere medicinam, quam ipſi Medicus præſcribit: ergo &c. IV. Hoc ipſum injungunt Concilia, & Patres; ex Conciliis nimirum, Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III., quod de Pænitentibus ait: *injunctam ſibi pænitentiam ſtudeant implere*: & ex Patribus Cyprianus ſerm. de lapſis, in quo docet: *is veram pænitentiam agit, qui Dei, & Sacerdotis præceptis obediens, operibus juſtis Dominum promeretur.*

Obſtant I. Confeſſarius eſt Judex non neceſſarius, ſed arbitrarius: ergo quanvis Pænitens teneatur ſe ſubjicere Confeſſario quoad remiſſionem culpæ, non tenetur tamen ſe ſubjicere, quoad adimpletionem pænæ. Et hæc eſt opinio plurium Scholaſticorum. II. quod Pænitens ſubeat pænas temporales in hoc mundo pro ſuo peccato, & non illas Purgatorii in altero mundo, eſt Privilegium, quod ipſi a Deo datur; ſed quilibet poteſt renuntiare privilegio, quod ipſi a Deo conceditur: ergo liberum eſt Pænitenti non acceptare ſatiſfactiones ſacramentales ſibi a Confeſſario impoſitas, & ſe offerre Purgatorii pœnis in altera vita ſuſtinendis. III. Chriſtus Dominus, vult ut ipſimet peccatores per ſe pænitentiam agant; dicit enim: *niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*: & alio in loco: *facite ergo fructus dignos pænitentiæ*: ergo non poſſunt peccatores per alios pænitentiam facere. IV. Satisfactiones, quæ fiunt per alios, nullum habent valorem, nec de condigno, nec de congruo: ergo nihil pænitentibus proſunt. V. Satisfactio in confeſſione debet eſſe ſacramentalis; ſed illa, quæ fit per alium, non eſt ſacramentalis: ergo nihil pænitenti prodeſt.

Reſ-

Reſpondemus ad I. quod quanvis opinionem illam pauci Scholaſtici amplexi fuerint, eam tamen tenuerunt abſque traditionis authoritate, immo contra ipſam traditionem. Cæterum quanvis Confeſſarius ſit Judex arbitrarius, in eo ſcilicet quod ſit in electione Pænitentis eligere hunc Confeſſarium, & non alium; poſtquam tamen elegerit unum hic ſit ei, Judex neceſſarius, adeoque tenetur ipſum audire, eidemque obedire. Denique falſum omnino eſt, quod Pænitens teneatur ſe ſubjicere Confeſſario quoad reatum culpæ tantum, non vero quoad reatum pænæ; & ratio eſt, quia ſacramentum Pænitentiæ ex ſeipſo ordinatur ad tollendum, & reatum culpæ, & etiam reatum pænæ per ſatisfactionem.

Ad II. dicitur, quod privilegium illud quum ſit a Deo præceptum, non eſt in libertate Pænitentis eidem renuntiare. Et hoc maxime patet, quia antiqui Patres dubitabant de ſalute illorum, qui ante adimpletam ſatisfactionem ſacramentalem moriebantur. Audiatur præ cæteris Auguſtinus in libro Homiliarum quinquaginta homilia 41. *Si quis autem poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pænitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quia bene hinc exit. Non præſumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam, ſecurus hinc exit. Agens pænitentiam, & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit. Agens pænitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Unde ſecurus ſum, ſecurus ſum, & do ſecuritatem: Unde non ſum ſecurus, pænitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum.*

Ad III. dicit Jueninus, quod non acceptatur a Deo ſolutio unius pro alio, ſi ille, qui pænæ debitor eſt, ſaltem pro modulo infirmitatis ſuæ de eo ſatisfacere non conatur. Idem reſpondet, quod ſatisfactio alterius, & valere poteſt de congruo quoad acceptationem divinam, quia non eſt de fide quod ſatisfactio ſemper acceptetur a Deo in gratiam illius, pro quo ſpecialiter offertur: & valere poteſt etiam de condigno, ſi conſideretur ut jam acceptata, dummodo offerens ſit in ſtatu gratiæ, & ille, pro quo offertur, ſit ſaltem liber ab affectu peccati mortalis.

Ad IV. concedimus ſatisfactionem illam pro alio non eſſe ſacramentalem, attamen ſubdimus, quod aliqualis ſatisfactio ſemper eſt imponenda ipſi Pænitenti, qui eam per ſeipſum impleat, & reliquum impleat per alium.

Tertia tandem Diſſertationis pars, quod ſcilicet ſit invalida ſatisfactio, quæ adimpletur in actu peccati, vel cum affectu ad peccatum, probatur I., quia actualiter peccans non poteſt habere dolorem quod antecedenter peccaverit, neque poteſt habere ſtudium placandi Deum pro peccato jam commiſſo; ſed hæc ſunt neceſſaria in adimpletione Pænitentiæ; ergo qui actu peccat, vel habet affectum ad mortale peccatum, non poteſt de eo valide ſatisfacere. Unde vocales orationes recitans, vel ſe ipſum flagellans, vel jejunans, & rurſus cogitationes fovet cum voluntaria delectatione, aut conſenſu, invalide ſatisfacit.

II. probatur, quod poſſit peccator de eo ſatisfacere quanvis adhuc habeat peccati mortalis reatum; & quia vetus Eccleſia ita obſervabat antiquitus, quando ſcilicet a lapſis exigebant ſatisfactionis executionem, quam Sacerdotes injungebant, antequam eos abſolverent, atque ideo ante remiſſionem peccati; & quia per duellis Regi poteſt Regi ſatisfacere, antequam eidem rebellio a Rege condonetur.

Opponunt I. qui jejunat diebus ab Eccleſia jejunio addictis, vel peccatum mortale committens, vel affectum retinens ad mortale peccatum, ſatisfacit præcepto jejunandi diebus illis: ergo pariter qui jejunat ex pænitentia ſibi a Confeſſario impoſita. II. qui peccant ex conſuetudine, habent affectum ad peccatum; ſed valent opera injuncta a Confeſſario illis, qui peccant ex conſuetudine: ergo ſunt validæ ſatisfactiones, quæ fiunt ab illis, qui habent affectum ad peccatum. III. valide orat qui Deum precatur pro converſione ſua ad bonum; ſed iſte talis poteſt habere affectū ad peccatum: ergo qui habet affectum ad peccatum, poteſt valide orare; ergo poteſt valide ſatisfacere. IV. Ad hoc ut ſit valida ſatisfactio

factio, qui ſatisfacit debet eſſe amicus illi, cui ſatisfactio exhibetur; ſed in peccato mortali exiſtens eſt inimicus Deo: ergo non poteſt valide Deo ſatisfacere. V. Sanct.Thomas in 4. diſt. 19. art.5. docet, quod in ſatisfaciente requiratur gratia ſanctificans; ſed gratia ſanctificans non poteſt ſtare ſimul cum peccato mortali in eadem anima; ergo &c. Major probatur afferendo verba Angelici Doctoris. *Cum in quovis opere conſiderentur, & meritum, & ſatisfactio; Quidam dixerunt, quod opera facta extra charitatem, poſtea ipſa accedente vivificentur, quantum ad hoc quod ſint ſatisfactoria reſpectu pænæ dimittendæ, non autem quantum ad hoc quod ſint meritoria vitæ æternæ. Sed hoc non poteſt eſſe, quia utrumque habent ex hoc quod fiant ex charitate; tanquam Deo accepta per gratiam; & ideo, eadem ratione, qua non vivificantur quoad meritum, nec vivificantur quoad ſatisfactionem* VI. Satisfactio eſt pars eſſentialis ſacramenti Pænitentiæ; ergo debet fieri in ſtatu gratiæ, aliter ſacramentum ob peccati obicem redderetur invalidum.

Reſpondemus ad I. negando paritatem; & diſparitas eſt, quia obedire non eſt ſolvere, ſeu ſatisfacere pro debito; ſed eſt tantum facere id, quod præcipitur ad conteſtandam obedientiam, quæ debetur illi, qui præcipit, ab eo, qui obedit; unde in hoc caſu poteſt quis valide obedire; quanvis non poſſit valide ſatisfacere, ſi vel alias peccet, vel actualem habeat eſſectum ad peccandum.

Ad II. dicitur, quod vel illa opera injunguntur a Confeſſario tanquam medicinalia ut ſcilicet iterum non peccetur, vel ut peccatum deponatur; & tunc valent, quia habent rationem impetrationis: vel habent rationem ſatisfactionis, & ſub hoc motivo a Confeſſario præcipiuntur, & tunc non valent.

Ad III. negatur quoque paritas; & ratio diſparitatis eſt, quia oratio illa non habet pro fine placare Deum iratum pro peccato commiſſo, ſicuti habet ſatisfactio, quæ proinde non debet irritare Deum in illo eodem actu, in quo vult Deum placare.

Ad IV. dicitur, quod ſufficit, ſatisfactionem eſſe gratam Deo in eo ſtatu, in quo per ſacramentum factus eſt amicus Dei; quòd opus ejus ſit pariter Deo gratum, & non fiat in eodem actu, in quo Deus irritatur.

Ad V. Jueninus in Comment, diſſer.6. de Pænit. qu.6. art. 3. adducit reſponſionem aliquorum Thomiſtarum, & eam rejicit; & deinde ſubdit reſponſionem aliorum Thomiſtarum, & eam amplectitur; & hæc ſunt ſua verba: „ Reſpondent aliqui Thomiſtæ, loqui „ S. Doctorem de operibus ſatisfactoriis, quæ nullum effectum poſt ſe relinquunt, cujuſmodi eſt oratio; non „ autem de aliis, poſt quæ remanent aliqui effectus, cujuſmodi ſunt eleemoſyna, & jejunium, illa enim minuit „ opes, iſtud vero debilitat corpus; unde (inquiunt) poſtquam pænitens „ recuperavit gratiam ſanctificantem, „ poteſt illos effectus ſuperiores Deo „ offerre in pænam ſuorum peccatorũ, „ ſicque liberatur ab iterandis eleemoſyna, & jejunio, quæ Sacerdos injunxerat, quæque peccator in ſtatu peccati mortalis, imo & in illius effectu; „ mandarat executioni. Sed inane eſt „ illud reſponſum. Nam primo effectus, „ qui poſt eleemoſynam & jejunium „ ſuperſunt, non ſunt opera ſatisfactionis, quæ facta fuerint in charitate. „ Nec ſatis eſt, quod charitate recuperata pænitens Deo offerat. Quippe „ quod Sacerdos pænitenti non injunxerit oblationem effectuum, qui ſuperſtites ſunt ex eo quod quis eleemoſynam largitus ſit, & ſervaverit „ jejunium: Præcipit e contra ipſammet actionem, qua & diſpenſetur „ eleemoſyna, & jejunium ſervetur. Secundo, Qui largitus eſt eleemoſynam, & jejunavit, cum poſtea gratiam „ ſanctificantem adipiſcitur, poteſt eſſe „ ditior, & frui potentiori ſanitate, quam „ antea. Ergo tunc illarum actionum, „ quæ præterierunt, nullus omnino remanet effectus. Tertio. Quanvis dici „ peſſet S. Thomam dum ſcriberet in ſententias, ita diſtinxiſſe, ut volunt „ ii Thomiſtæ, quos hic impugnamus; „ illa tamen diſtinctio nullum omnino „ debet habere locum, cum idem S. Doctor eam retractaſse videatur 3. p. „ q.89. art.ultimo, ubi abſolute aſſerit, „ opera, quæ dum fiunt, omnino mortua ſunt, nunquam poſtea vivificari. „ Reſpondent alii Authores ad locum „ in objectione adductum primo loqui „ SanctumThomam de charitate actuali, non

,, li, non autem de habituali; ita ut ſen-
,, ſus ſit, opera, quæ ſine charitate actua-
,, li fiunt, nunquam, etiam quoad ſatis-
,, factionem, vivificari. Secundo, ſi de
,, charitate habituali exponatur S. Do-
,, ctor, dicendum erit eum ſignificare
,, voluiſſe opera, quæ extra gratiam
,, ſanctiſicantem fiunt, non eſſe ita ſa-
,, tisfactoria, ut per ea pænitens quid-
,, quam de condigno mereatur, licet
,, per ea pænæ tantum de congruo di-
,, miſſionem obtineat.

Ad VI. dicitur, quod ſatisfactio eſt pars integralis ſacramenti Pænitentiæ, non eſſentialis: adeoque ſufficit ut habeat ſimultatem moralem, non vero phyſicam cum illo; & proinde non eſt neceſſe ut in ſtatu gratiæ fiat.

DISSERTATIO CCCLXXXV.

De ſatisfactionum ritibus, & forma, ſecundum antiquæ Eccleſiæ diſciplinam. Quantum fuerit tempus, quod ſatisfactioni, ſeu publicæ pænitentiæ impendi debebat? quo habitu exteriori Pænitentes induebantur? Et quot erant Pænitentium ſtationes, ſeu claſſes, vel gradus?

TOTUM præſentis diſſertationis complexum ad hæc ſequentia capita Scriptores reducunt; primò ſcilicet ad tempus, quo pænitentia publica durabat; Secundum ad gradus, ſeu ſtationes ejuſdem publicæ pænitentiæ; Tertium ad peccata, quæ eidem pænitentiæ ſubjicebantur; Quartum ad perſonas, quibus eadem pænitentia imponebatur, & ad habitum, quo induebantur; Quintum denique ad vices, quibus præfata pænitentia, vel ſemel, vel pluries, imponebatur.

Pro primo quæritur, quantum tempus fuerit præfixum publicæ pænitentiæ a Chriſto, vel a naſcente Eccleſia; uſque ad Montanum, qui hæreſim ſuam circa medium ſecundi ſeculi excitavit; & a Montano uſque ad Novatum, & Novatianum; & ab iis uſque ad ſecula poſteriora? Peccata autem in tres claſſes dividebantur, nimirum graviſſima, quæ dicebantur etiam Canonica, gravia, & levia; quibus æque & proportionatæ pænæ imponebantur.

Dicimus I. nullum certum tempus fuiſſe obſervatum in pænitentiis publicis ab Eccleſiæ exordio uſque ad Montanum; fuiſſe tamen brevius; a Montano uſque ad Novatianū fuiſſe longius; a Novatiano fuiſſe per plures annos pro criminum, & ſcelerum conditione; & denique poſt quartum ſeculum in Eccleſia Orientali, & poſt ſeptimum in Occidentali, fuiſſe abreviatum tempus, & pariter abrogatas publicæ pænitentiæ ſolemues ſtationes.

I. pars concluſionis probatur I. Apoſtolus ſuppoſuit publicæ pænitentiæ Corinthium inceſtuoſum per annum tantum, quia ſolus annus unus interceſſit inter primam Epiſtolam ad Corinthios, & ſecundam, quo tempore inceſtuoſus ille publicam pænitentiam egit. II. refert Euſebius lib. 3. cap. 23. ex Clemente Alexandrino, quod quidam

. dam Juvenis, qui dux latronum erat, a S. Joanne Evangeliſta converſus, brevi tempore fuit in Eccleſiæ communionem ab eodem receptus. III. Idem Euſebius refert, quod Natalis Epiſcopus, qui ſacco indutus, & conſperſus cinere, ad Zephirini pedes, ſe provolvens, ſtatim abſolutus fuit, & ad communionem admiſſus. IV. Ex Tertulliano, qui lib. de pænitentia prolixis verbis pænitentiæ neceſſitatem imponit, ſed illius longum tempus non memorat.

II. Concluſionis pars probatur I. Quia, & Cornelius, Romanus Pontifex, in ſuo Concil. Romano, & Cyprianus in ſua Cartaginenſi cauſa lapſorum, nullum determinat tempus geragendæ penitentiæ ab ipſis lapſis. II. Quia Cyprianus Epiſtola 52. ad Antonianum improbat facilitatem, quia Pænitentes ad communionem admittebantur, quia erant a Martyribus libellis ſuis commendati. III. Quia Montaniſtæ, & Novatiani, objiciebant Catholicis, quod magna facilitate Pænitentes reciperent.

III. Concluſionis pars I. probatur, quia a Sanctis Gregorio Thaumaturgo, Gregorio Nyſſeno, Baſilio, & aliis Patribus, fit mentio graduum ſeu claſſium publicæ pænitentiæ; ut teſtatur Morinus per totum fere librum ſextum. II. Ex Concilio Ancyrano, in quo illorum graduum fit mentio, tanquam qui fuerint tantum in Eccleſia recepti; & hoc fuit circa 4. Seculum. III. Ex Felicè III. Romano Pontifice in Epiſtola ad Univerſos Epiſcopos, in qua illorum graduum, ſeu claſſium, fit ſermo.

IV. Concluſionis pars I. probatur, quia tempore Nactarii, Conſtantinopolitani Epiſcopi, ab eodem fuerunt fere abrogatæ ſtationes prædictæ. II. Ex Joanne Jejunatore, qui fuit Patriarcha Metropolitanus Seculo 6. ut teſtatur Goarius in notis ad Euchologium Græcorum. III. Ex Liturigiis, Canonibus, & libris ritualibus Græcorum, in quibus de publica pænitentia peccatis occultis imponenda profundum eſt ſilentium; ut idem Goarius loco citatu teſtatur per hæc verba „ Sacerdotes ſedentes, pænitentes pariter ſedentes „ (pro antiquo latinorum more) pro „ exomologeſi audiunt : ſi leves, & venia dignas Pænitentis culpas depre„ henderint, nullam adhibent abſolutionem, ſed pio devotoque quodam opere exercendo monitum amicè remittunt : ſi letifera ... detegunt, illa in Homocanone juxta ſepoſito examinant, cenſurarumque diſtrictioni, pro ut legunt, cuncta ſubjiciunt, & tandem Pænitenti bene precantur ... Publica vero pænitentia nulli licet amplius imponatur, (relaxato nimirum apud eos antiquo Canonum rigore a Nectario, & deinde Joannis Jejunatoris mitiſſimi in delinquentes animi, tempore, & levioribus pœnis compenſato), aliquos tamen confeſſione expiatos a ſacra Communione per annum, vel plures quandoque arcent „

III. Quia Tournely ex Morino lib. 6. cap. 27. hæc aſſerit „ ex libris pænitentialibus, qui a ſeptimo ſeculo in latina Eccleſia prodierunt, apud quos nulla mentio pænitentiæ publicæ pro occultis peccatis; nulla illarum ſolemnium ſtationum, in quas diſtributa hucuſque fuerat pænitentia; nulla pariter impoſitionis manuum, ac ſolemnis ritus, quo dimittebantur pænitentes. Hujus immutationis occaſionem dediſſe videtur Theodorus, Cantuarienſis Epiſcopus, qui cum origine Græcus foret, Græcorum diſciplinam invexit in ſuo pænitentiali libello. Poſt undecimum Seculum videtur plane abrogata pænitentia publica, cum nempe licitum fuit, vel eleemoſynis, expeditione Terræ Sanctæ, vel vel ſpontanea flagellatione pœnas canonicas redimere. Has omnes immutatæ diſciplinæ cauſas expendit Morinus l. 10. cap. 16. 17. 18. 19. & ſeq. „

Arguunt I. Inter Canones Apoſtolorum legitur Canon. 24. in quo pro pænitentiis publicis certum & determinatum tempus aſſignatur; quod eſt contra primam noſtræ Concluſionis partem. II. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum refert quandam Sancti Petri concionem, in qua pariter pro publica pænitentia certum tempus præfigitur. III. Ante ſchiſma Montani publicæ Penitentiæ, vel erant breves, vel longæ; ſi breves, non reſpondebant delictorum atrocitati : ſi longæ : ergo longum tempus babebant. IV. Maximus, Urbanus, Synodius, & Macarius, qui amplexi fuerant Schiſma Novatiani, a Cornelio Papa recepti fuerunt ad communionem abſque ul-

ulla canonica ſatisfactione. Idem Cornelius Papa ſtatim abſolvit Trophimum Epiſcopum, qui rebellis a Catholica Eccleſia extiterat. V. Sanctus Cyprianus epiſt. 20. approbavit factum Caldonii, qui ſtatuerat, quod pax illico danda eſſet illis, qui ſacrificaverant idolis, & qui deindè a perſequtoribus tenti, Chriſtum generosè confitebantur. VI. Uſum pænitentiæ publicæ in occidentali Eccleſia minuit Theodorus, qui erat Archiepiſcopus Cantuarienſis; ſed hoc tantum potuit habere locum in Eccleſia illa ſua: ergo non in tota Eccleſia occidentali.

Reſpondemus ad I. Eruditis omnibus conſtare Canones illos, qui dicuntur Apoſtolorum, non fuiſſe vere ab Apoſtolis conditos, ſed fuiſſe Collectionem Canonum, quorum aliquot Synodi Provinciales in Oriente condiderant; unde ſuſpicantur Scriptores apud Juenimum, Can. illum 24. in quo legitur: *Laicus ſemetipſum abſcindens, annis tribus Communione privetur, quia vitæ inſidiator extitit*; fuiſſe aliis Canonibus, Apoſtolorum dictis, fraudolentet inſertum.

Ad II. dicitur pariter, quod Concio illa Petro adſcripta apud Clementem Alexandrinum, ſuppoſititia eſt, & Petri minime genuina; ut plures Scriptores aſſerunt.

Ad III. dicitur, quod erant breves, & hoc ex duplici capite, & Eccleſiæ ſcilt. pietate, & ex Pænitentium fervore, & dolore, qui pænitentiarum diuturnitati ſupplebant.

Ad IV. Caſus illi fuerunt extraordinarii, in quibus æconomicè ſe gerebant Paſtores, ut ſcilt. conſulerent multitudinis ſaluti. Unde ait Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum: *Nam ſicut anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligentibus fratribus noſtris cariſſimis frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit; & quoniam cum Trophimo, & ſatisfaciente, & pænitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, & fraternitatem quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate, & ſatisfactione revocante, auditæ ſunt ejus preces. & in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt: qui omnes ad Eccleſiam regreſſuri non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent.*

Ad V. Hanc aliam reſponſionem, quæ valet etiam pro quarto, ſubdit Juenimus: in lapſis, quorum argumentum meminit, incenſam, acrem, ac vehementem contritionem eluxiſſe. Nam I. Urbanus, Sidonius, Maximus per aliquod tempus repulſam paſſi, ab unionis reintregrandæ propoſito deterriti non fuerunt: *Poſtea vero* (inquit Cornelius epiſt. 5. quæ eſt ad Cyprianum) *Urbanus, & Sydonius Confeſſores* (qui Novatiano conſenſerant) *ad Presbyteros noſtros venerunt, affirmantes Maximum Confeſſorem, & Presbyterum ſecum pariter cupere ad Eccleſiam redire. Sed quoniam multa præceſſerant ab eis deſignata, quæ tu quoque a Coepiſcopis noſtris è literis meis cognoviſti, ut non temere eis fides adhiberetur, ex ipſorum ore, & confeſſione, iſta, quæ per legationem mandaverunt, placuit audiri.* II. Palam ſuum crimen confeſſi ſunt. *Qui cum veniſſent* (verba ſunt Cornelii) *& a Presbyteris quæ geſſerant, exigerentur, noviſſimè quod per omnes Eccleſias literæ calumniis, & malitiis plenæ eorum nomine frequenter miſſæ fuiſſent, & penè omnes Eccleſias pertubaſſent, circumventos ſe eſſe affirmaverunt, neque in iſtis litteris quid ineſſet, ſciſſe: tantummodo circumductos ſe, commiſiſſe quoque ſchiſmata, & hæreſis authores fuiſſe: ut paterentur ei* (Novatiano) *manus quaſi in Epiſcopum imponi.* III. Paſſi ſunt humiliter ut commiſſa ſcelera eis publice exprobrarentur. *Qui cum hæc & cætera eis fuiſſent exprobrata, ut abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati ſunt.* IV. Non voce tantum, ſed cum ingenti lachrymarum imbre ſuam reconciliationem petierunt. *His ita geſtis in Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sydonius, & Macarius, & plerique fratres, qui ſe eis adjunxerant, ſummis precibus deſiderantes, ut ea, quæ ante fuerunt geſta, in oblivionem cederent.* Ejuſdem contritionis ardorem demonſtrat Trophimus: *Redeunte nunc ad Eccleſiā Trophimo* (inquit Cyprianus ad Antonianum ſcribens) *& ſatisfaciente, & pænitentia deprecationis errorem priſtinum confitente &c.*

Dicimus II. Antiquitus Pænitentium Claſſes, ſeu gradus, ſeu ſtationes, quatuor fuiſſe, ſcilt. Fletum, Auditionem, Subſtrationem, Conſiſtentiam; & de his ſigillatim hic tractamus.

Et quidem primo Fletus, ſeu Pænitentium

tium flentium ſtatio fiebat in porticu Ecclèſiæ, ſeu, ut ait Jueninus, ſub tecto humilioris ſitus a tecto Eccleſiæ, quod erat ſublimius, & diſtinctum a tecto porticus.

I. Probatur ex Gregorio Thaumaturgo Can.ult. Epiſtol. Canonicæ, in quo dicitur: *Fletus eſt extra portam Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur.* II. Ex Baſilio Magno can. 56. *Qui ſua ſponte interfecit, & poſtea pænitentia ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur: debet quatuor annis flere ſtans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem enuncians.* III. Ex Chryſoſtomo hom. 27. in Mattheum: *Cæterum probibebo vobis ne ſacra hæc veſtibula conſcendatis, & immortabilibus myſteriis participetis, ut Fornicatoribus, Adulterii, & Homicidiorum reis.*

Opponunt I. Non conveniunt Scriptores, quandonam hæc fletus ſtatio incæperit in Eccleſia: ergo nunquam fuit. II. Legitur apud quosdam quod fuerit extra Eccleſiam locus, & longè ab eadem, in quo Pænitentes flebant: ergo non fuit prope & circa Eccleſiam. III. Neſcitur quid in hac ſtatione Pænitentes egerint, & quid cum eis fecerint Eccleſiæ miniſtri: ergo nihil de hac ſtatione permanet ſecurum: ergo totum eſt incertum.

Reſpondemus ad I. Quod vel hæc ſtatio ſumitur pro pænitentia ſatisfactoria a Miniſtris Eccleſiæ impoſita Pænitentibus, vel accipitur pro conſiſtentia ipſorum Pænitentium ante fores Eccleſiæ flentium, & petentium a Miniſtris Eccleſiæ, ut intra Eccleſiam admitterentur. Primo modo non legitur fuiſſe ante Novatianum, & ejus Schiſma. Secundo vero modo ſemper fuit, etiam ab ipſo Eccleſiæ exordio; quia Pænitentes non admittebantur, niſi ab Epiſcopis id poſtularent, & Epiſcopi illos admitterent. Teſtis eſt Euſebius lib. 5. Hiſtor. de Natalio Apoſtata loquens: *Manè ſurrexit cilicio, & ſacco indutus, cineribus aſperſus, cum magno mærore, & lacbrymis ad pedes Zephirini Pontificis ſe ſupplicem abjecit, & non modo ad Cleri, ſed ad Laicorum etiam genua advolutus eſt, ita ut Chriſti miſericordis Eccleſia illum magnopere commiſerata, lamentis una ſe dederit, Attamen ille licet multis precibus uteretur, & plagarum vibices, quas pertulerat, oſtenderet, vix tandem in Eccleſiæ communionem receptus fuit.* Teſtis eſt etiam Clerus Romanus, qui ſcripſit de lapſis ad Cyprianum: *Pulſent ſanè fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant. Caſtrorum cæleſtium excubent portis, ſed armati modeſtia, qua intelligant ſe deſertores fuiſſe. Reſumant precum ſuarum tubam, ſed qua non bellicum clangant &c. Multum illis proficiet petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non odioſa, mittant legatos pro ſuis doloribus lacbrimas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem.*

Ad II. dicitur, quod ille alius locus erat pro pænitentibus illis, qui hyemantes dicebantur, ut legitur in Canone 17. Concilii Ancyrani. Qui autem fuerint hi hyemantes non conveniunt Scriptores, ut videre eſt apud præfatum Jueninum.

Ad III. Idem Jueninus reſpondet per hæc verba „ Ad primum Flentes ſolitos fu-
„ iſſe ſe reos palam confiteri, Baſilicas
„ ingredientibus adgeniculari, ut apud
„ Deum, Epiſcopum, Clerum, univer-
„ ſamque Eccleſiam pro ipſis interceſſo-
„ res eſſent: *Debet quatuor annis flere*
„ (inquit Baſilius ad Amphilochium
„ can. 56.) *ſtans extra fores Oratorii, &*
„ *fideles ingredientes rogans, ut pro eo pre-*
„ *centur, ſuam iniquitatem enunciens.*
„ In flentium ſtatione induebatur lugu-
„ bris ille habitus, de quo articulo ſu-
„ periore multa diximus: *Quis hoc cre-*
„ *deret* (ait S. Hieronymus Epiſt. 30. ad
„ Oceanum, agens de Fabiola Romana
„ Matrona nobiliſſima) *ut poſt mortem*
„ *ſecundi viri in ſemetipſam reverſa, quo*
„ *tempore ſolent viduæ negligentes, jugo*
„ *ſervitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire*
„ *balnea, volitare per plateas, vultus cir-*
„ *cumferre meretricis, ſaccum indueret,*
„ *ut errorem publice fateretur? & tota*
„ *Urbe ſpectante Romana, ante diem Paſ-*
„ *chæ in Baſilica quondam Laterani, qui*
„ *Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in*
„ *ordine Pænitentium, Epiſcopo, Presby-*
„ *teris, & omni populo collachrymantibus,*
„ *ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas*
„ *manus, ſordida colla ſubmitteret? Quæ*
„ *peccata fletus iſte non purget?* Ea vero

,, omnia in fletus ſtatione permixta fuiſſe
,, demonſtrant, quæ ibidem ſubijcit Hie-
,, ronimus : *Non eſt confuſa Dominum in*
,, *terris, & ille eam non confundet in Cæ-*
,, *lo. Aperuit cunctis vulnus ſuum, & de-*
,, *colorem in Corpore cicatricem flens Roma*
,, *conſpexit. Diſſuta habuit latera, nudum*
,, *caput, clauſum os. Non eſt ingreſſa*
,, *Eccleſiam Domini, ſed extra Caſtra cum*
,, *Maria Sorore Moyſi ſeparata conſedit,*
,, *ut quam Sacerdos ejecerat, ipſe revoca-*
,, *ret*. Ad ſecundum flentibus conceſ-
,, ſum non fuiſſe ut non publicas, quæ in
,, templis fiebant, conciones, ſolemnem
,, Scripturarum lectionem, audirent :
,, Id nimirum colligi poteſt ex loco, in
,, quo ſtabant, ſeu cum extra templorum
,, fores degerent, nec intueri, nec au-
,, dire poterant ea, quæ in templis, clau-
,, ſis januis, fieri conſueverant. Colligi
,, iterum poteſt ex eo quod facultas au-
,, diendi publicas conciones privilegium
,, eſſet alterius Pænitentium ſtationis, quæ
,, *Auditio* dicebatur. Reſpondeo iterum
,, ad propoſitam quæſtionem, pæniten-
,, tes quandiu in fletus ſtatione ſtarent,
,, ſemotos fuiſſe ab omni prece publica,
,, ita ut nec cum fidelibus, nec fideles
,, cum ipſis orarent. Conſtat quoque
,, nullas ab Epiſcopis aut Presbyteris re-
,, cepiſſe impoſitiones manuum, nec ali-
,, quas pro eis expiatrices fuſas fuiſſe,
,, aut eos aliquibus ſacramentalibus fu-
,, iſſe initiatos. ,,

Ad IV. Dicitur quod non erat certum tempus deſignatum pro Statione Flentium, quia non eadem illis erant limina, contritiones, & dolores; adeoque tempus vel producebatur, vel corripiebatur, ſecundum qualitatem criminum, & pænitentiæ fervorem. Quod aſſerit Gregorius Nyſſenus in Epiſt. Canon. his verbis : *In eodem eadem erit obſervatio ab eo, qui Eccleſiam adminiſtras, & pro ratione Converſionis, illi quoque pœnæ extenſio reſcindetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, vel ſexis, vel ſeptem anni ſolum fiant, ſi Pænitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuper eo correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſcepto à ſe maculas ſegniter eluunt*.

Secundo. Auditio, ſeu Audientium ſtatio, erat in Porticu oblongiori, qui foribus ejuſdem Templi adjiciebat interius, & a cæteris interioribus partibus Templi per tabulata, vel cancella diſtinguebatur.

I. Probatur ex Gregorio, Neocæſarienſi Epiſcopo, in epiſt. can. 11. dicente: *Auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi, ut precatione indignus cenſeatur*. II. Ex Baſilio Magno in Epiſt. Canonica ad Amphilochium can. 56. Qui ſua *ſponte interfecit, & poſtea pænitentia ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit : viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur ... Poſt quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur*. III. Ex Gregorio Nyſſeno in Epiſt. Canon. in Letojum : *Eſt ergo canon ejuſmodi, ut qui fornicatione polluti ſunt, in tribus annis ab oratione omnino expellantur, in tribus ſint ſolius Auditionis participes &c.*

Opponunt I. in Claſſe, de qua loquimur, moram faciebant Catechumeni; ergo non Audientes. II. Audientes in nihilo differebant a Flentibus : ergo pro eis non erat diverſa ſtatio. III. Non aſſignatur tempus, quo Audientium ſtatio incæperit eſſe in uſu: ergo non fuit. IV. Tertullianus, Cyprianus, & Auguſtinus meminerunt hujuſmodi ſtationis; ergo ipſorum tempore in uſu fuit. V. Non aſſignatur ritus, vel cæremonia, quibus Flentes tranſirent ad Audientium ſtationem : ergo non fuit hæc ab illa diverſa ſtatio.

Reſpondemus ad I. Quod in Audientium ſtatione, ſeu in loco, in quo Audientes ſtabant, moram quoque faciebant Ethnici, Judæi, Hæretici, Cathecumeni, qui dicebantur prioris gradus; & Audientes Pænitentes, de quibus loquimur; ut dictum eſt a Nobis in diſſertatione, in qua de Catechumenis loquebamur;

Ad II. dicitur, quod Audientes non tenebantur ad illam humilem rogationem, ad quam tenebantur Flentes, quando Fratres Eccleſiam ingrediebantur. Inſuper non tenebantur ad opera laborioſa, jejunia ſcilicet, vigilias &c. Ad quæ tenebantur Flentes; ſed ſolum debebant audire Scripturæ lectionem, & publicas conciones, quæ fiebant quando Miſſa Catechumenorum celebrabatur. Denique non tenebantur induere veſtem illam lugubrem, qua induti erant Flentes, quando procumbebant ad genua illorum, qui Baſilicas ingrediebantur.

Ad III.

Ad III. dicitur quod Auditionis ſtatio, vel accipitur pro loco, in quo ex mandato Eccleſiæ peragebatur ſatisfactio; & hæc nunquam fuit in uſu apud Latinos: vel ſumitur pro determinato ab Eccleſia Pænitentiæ loco; & hæc incæpit apud Orientales poſt Novatianorum exortam hæreſim.

Ad IV. Tertullianus, Cyprianus, & Auguſtinus non loquuntur de lapſis Pænitentibus, ſed de Catechumenis primi generis, de quibus diximus nuper.

Ad V. dicitur, quod quanvis in ſacris Canonibus nulla præſcripta inveniatur cæremonia, per quam Flentes ad Audientes tranſirent; in Epiſcoporum tamen libertate erat abbreviare, vel potrahere tempus, quo Pænitentes in ea ſtatione permanere debebant, & hoc faciebant Epiſcopi abſque ullo Ritu, vel ſpeciali Cæremonia.

Tertio, Subſtratio, quæ eſt tertia Pænitentium Claſſes, aliis nominibus etiam vocabatur, quæ exponit Jueninus ſequentibus verbis „ Primo dicitur „ *ſubſtratio*, eo quod Pænitentes dum in „ ea eſſent ſtatione, ſubſtrati & genu„ flexi permanerent. Hujuſmodi nomi„ nis ſæpius canones meminerunt. *Qui„ cumque prius quam viginti quidem an„ nos nati eſſent peccarunt* (verba ſunt „ canonis 16. Concilii Ancyrani, ex „ Genſiani Herveti interpretatione:) „ *Poſtquam quindecim annis ſubſtrati ac „ ſupplices fuerint, communionem ad pre„ ces aſſequantur... Si qui autem impro„ be ac maligne in peccatis fuerint, longe „ ſubſtrationem habeant*. Secundo, a „ Gregorio Thaumaturgo dicitur *ſubje„ ctio*, quæ quidem vox ipſum ſubſtra„ ctionis nomen exponit: *Subjectio au„ tem, ſeu ſubſtratio eſt; ut intra tem„ pli portam ſtans* cum Cathecumenis „ egrediatur. Tertio, ſæpius apud Pa„ tres Latinos tertia hæc Pænitentium „ Claſſes ſimpliciter; & abſolute dici„ tur *Pænitentia*: unde ij, qui eam de„ curtebant *Pænitentes* ſine addito di„ cti ſunt: *In Pænitentium loco ſtandi* „ (verba ſunt Concilii Agathenſis can. „ 60.) *& orandi humilitatem ita noverint „ obſervandam, ut etiam ipſi, cum Cate„ chumenis egredi commonentur, abſce„ dant*. Eadem ratione loquitur Felix „ Papa III. exponens undecimum Ca„ nonem Nicænum Epiſt. 7. *Tribus annis* „ (inquit) *inter Audientes ſint, ſeptem „ annis ſubjaceant inter Pænitentes ma„ nibus Sacerdotum*.

Dicimus cum eodem, I. ſtationem hanc fuiſſe antiquam. II. fuiſſe ambitum templi. III. Fuiſſe ſupra ipſos manus a miniſtris impoſitas, orationes recitatas, & Pænitentias iiſdem injunctas.

Primum probatur I. ex Gregorio Thaumaturgo, qui hanc Stationem in ſua Epiſt. Canon. memorat; eadem mentio habetur in Synodo Ancyrana, & apud Baſilium in Epiſtola Canonica ad Anphilochium. II. Ex Tertulliano de Pænitentia cap. 9. hæc ſcribente: *Itaque Exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungent miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, & victu mandat, ſacco & cinere incubare*. III. Ex Auguſtino, aliiſque Patribus Latinis, qui hanc Stationem ſæpe intelligunt per pænitentiam, per Exomologeſim, & per plenam pænitentiam.

Secundum, ſcilicet quod hæc ſtatio fieret intra templi ambitum, progrediendo ſcilicet a loco, qui expandebatur a Pænitentibus audientibus uſque ad Ambonem. I. Probatur ex Gregorio Thaumaturgo in citata Epiſt. canon. cap. ultimo, in quo dicit: *Subſtratio eſt, ut intra templi portam ſtans cum Catechumenis ingrediatur*. II. Quia ſubſtrati non poterant in Eccleſia progredi ultra Ambonem; & hoc quia per Ambonem morabantur Pænitentes Conſiſtentes, qui aliam Claſſem Pænitentium conſtituebant ultra Audientes.

Tertium explicamus ſimul, & probamus ex prælaudato Juenino, qui ſcribit „ Subſtratis primo in ſingulis ſynaxibus „ manus impoſitas fuiſſe (*omni tempore „ jejunii*) ait IV. Concilium Carthagi„ nenſe can. 80. *manus Pænitentibus a „ Sacerdotibus imponantur*: Et ma„ nuum impoſitioni conjunctas fuiſſe „ orationes, demoſtrant hæc Auguſtini „ verba lib. 3. contra Donatiſtas cap. 19. „ *Quid eſt aliud impoſitio manuum, quam „ oratio ſuper hominem?* Expiatrices au„ tem fuiſſe illas orationes, ſatis colli„ gitur tum ex iis, ſupra quos fundeban„ tur, tum ex lib. 8. Conſtitutionum „ cap. 8. ubi hæc habentur: *Dicit Dia„ conus; Exite qui illaminamini; & po„ ſtea dicit: precamini intente, qui in „ Pænitentia eſtis. Omnes pro Fratribus, „ qui in Pænitentia eſtis. Omnes pro Fra„ tribus, qui in Pænitentia ſunt, preces*

„ *adhi-*

„*adhibeamus, ut miſericors Deus attendat eis viam Pænitentiæ, approbet eorum palinodiam, & confeſſionem . . . remittatque eis omnia delicta eorum, tum voluntaria, tum non voluntaria.* Secundo, Subſtrati Pænitentes ejiciebantur e templo poſt Catechumenorum dimiſſionem, ſive (ut loquuntur Canones) poſt Miſſam Catechumenorum. Tertio, in ea præſertim ſtatione eluebantur maculæ criminum: ſubſtratis enim imponebantur jejunia, & alia laborioſæ pænitentiæ opera, quæ carnem excruciarent: *Et hæc quidem,* (inquit S. Pacianus in Paræneſi ad Pænitentiam) *quæ videri etiam a Sacerdote poſſunt, & Epiſcopo teſte laudari; ne hæc quidem quotidiana ſervamus; flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, jejunare, orare, pervolvi: Si quis ad blancum vocet, recuſare delicias: Si quis ad Convivium perget, dicere, iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læſi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obſecrare Presbyteris advolvi, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia prius tentare, quam pereas. Scio quoſdam ex fratribus, & ſororibus veſtris cilicio pectus involvere, teneri incubere, jejuna ſera meditari, & non talia fortaſſe peccarunt.*"

Quarto denium, Conſiſtentium Statio variis appellata fuit ab antiquis nominibus; nimirum Congregatio ſeu conſiſtentia, in orationibus communicatio, ſegregatio, ſeparatio, excommunicatio. Dicta fuit Congregatio, ſeu conſiſtentia; quia illi, qui in eadem Statione cum Catechumenis, & cum cæteris fidelibus conſiſtebant, & non expellebantur, ſicut ejiciebantur Catechumeni, & cæteri Pænitentes. Unde Gregorius Thaumaturgus in Epiſt. can. 11. ſcribit: *Congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur.* Dicta etiam fuit in Orationibus communicatio, quia communicabant precibus fidelium, & cum illis aderant ſacrificio Miſſæ. Et de his videtur loqui Concilium Ancyranum can. 4. *De his, qui ſacrificare coacti ſunt &c. placuit eos inter audientes una conſtitui, ſuccumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio*; Et Concilium Nicænum I. can. 12. *Hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent.* Denique dicta eſt ſegregatio, ſeparatio, excommunicatio, ſed leviſſima, quia hæc pæna intelligenda eſt quando Laico indicitur; ſi vero Clerico indicatur, intelligitur de ſuſpenſione, quæ grave peccatum ſupponit. His poſitis.

Dicimus Conſiſtentiam, quæ erat quarta Pænitentium ſtatio, fuiſſe perantiquam in Eccleſia; varia hominum genera comprehendiſſe, & fuiſſe extenſam ab Ambore verſus Sanctuarium uſque ad fideles.

Primum dictum probatur, quia conſiſtentiæ meminerunt Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, in quibus ſegregatio pro levibus peccatis imponitur. Mentionem pariter ejuſdem facit Gregorius Thaumaturgus, & Canones pariter ſubſequentium Conciliorum.

Secundum dictum probatur, & quidem I. Conſiſtentia comprehendebat leviter peccantes, ſed correctione indigentes; Unde Concilium Eliberitanum can. 50. *Si quis Clericus vel fidelis cum Judæis cibum ſumpſerit, placuit eum a communione abſtineri, ut debeat emendari.* Baſilius quoque in Epiſt. ad Anphilochium can. 13. numerat Milites etiam innoxios, ſed qui humanum ſanguinem effuderant: *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere; iis, ut mihi videtur, ignoſcentes, qui pro pudicitia, & pietate decertant. Recte autem fortaſſe habet conſulere, ut qui ſunt manibus non puris, ſola trium annorum communione abſtineant.* II. Comprehendebat reos peccatorum letalium, ſed qui eadem ſponte confeſſi fuerant; unde Gregorius Neocæſarienſis can. 9. *Si accuſati, convicti fuerint, ſint ſimiliter in iis, qui ſubſternuntur; ſi autem ſeipſos enunciaverint, & reſtituerint, etiam precibus digni habeantur.* III. Comprehendebat illos homines, qui ob ſua peccata gravia priores claſſes Pænitentium decurrerant, & hoc ob probationem, quæ de eorum emendatione volebant facere Patres. IV. Comprehendebat mulieres adulteras, quæ quanvis meruiſſent ſubſtrationem, admittebantur tamen ad ſubſiſtentiam, ne eſſent maritis in fidei matrimonialis ſuſpicionem. Et de ijs loquebatur Baſilius can. 34. *Adulterio pol-*

Digitized by Google

pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel ob quomodocunque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pænitentiæ. V. Demum comprehendebat illos, qui poſt pænitentiam publicam peractam, ad priora crimina redibant; & de iis loquebatur Syricius Papa epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem can. 5. *De his vero non incongrue dilectio tua Apoſtolicam Sedem credidit conſulendam, qui acta pænitentia, tanquam canes, ad ſuos vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam generati poſt abſolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam ſuffugium non habent pænitendi, id duximus decernendam, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint; a dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtinctione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcænis cupiditatibus retrahantur: Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere, cum ad Dominum cæperint proficiſci per communionis gratiam volumus ſubveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ ſe poſt pænitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus.*

DISSERTATIO CCCLXXXVI.

De Satisfactione Sacramentali. Quo Jure ſit neceſſaria? An debeat eſſe proportionata criminum gravitati? An debeat eſse publica, vel ſecreta?

IN hac Diſſertatione agendum eſt de Satisfactionis Sacramentalis proprietatibus, quæ tres communiter adnumerantur, nimirum neceſſitas ipſius a quo Jure dependeat? Proportio ejusdem cum criminum gravitate; & an debeat eſſe publica, vel ſecreta?

Dicimus I. Satisfactionem eſſe Jure divino neceſſariam ijs, qui poſt baptiſmum peccaverunt.

I. Probatur ex Scripturis. Matth. 8. legimus præceptum verbis illis incluſum: *facite fructus dignos pænitentiæ*; inſuper Joann. 20. data eſt Apoſtolis poteſtas ligandi atque ſolvendi; Sed hæc nequit exercitio demandari ſine ſatisfactionis ſacramentalis interventu; ut ex Patribus pluribus alibi oſtendimus; ergo &c.

II. Probatur ex Eccleſiæ Diſciplina. Nullo quidem tempore Sacramenti pænitentiæ miniſtri conſueverunt a peccatis abſolvere Pænitentes, niſi hi, vel prius ſatisfactiones præmiſiſſent, vel eam ſe adimpleturos ſpopondiſſent; ergo ſignum eſt, quod apud illos in concuſſo habebatur, ſatisfactionem eſſe Jure divino neceſſariam in Sacramento pænitentiæ.

III. Probatur ex Hiſtoriæ Monumentis. Et quidem ex Controverſia, quæ tempore Decii Imperatoris exorta eſt inter Clerum Romanum, & Sanctum Cyprianum ex una parte, & inter Lapſos quosdam ex altera, quæ a Juenino in Commentario Diſſert. 6. de Pænitentia quæſt. 6. de ſatisfactione cap. 7. artic. 1. ſic exponitur „ Ejus autem
„ Controverſiæ ſtatus erat, an Lapſis
„ nulla pænitentia purgatis, conferri de-
„ beret abſolutio: Id plures in Deciana
„ perſecutione auſu temerario con-
„ tendebant. Presbyteri qui & ipſi Diis
„ thus

Digitized by Google

,, thus adoleverant,authores erant Lap-
,, ſis ; ut abſque ſatisfaſtione reconci-
,, liationem a Miniſtris extorquerent.
,, Nonnulli etiam alii Presbyteri, qui
,, fidem integram ſæviente perſecu-
,, tione ſervaverant , quadam ſimpli-
,, citate decepti , iidem Lapſis pacem
,, in ſuis Eccleſiis conceſſerant . S. Cy-
,, prianus,& Clerus Romanus illi teme-
,, rario auſui conſtanter obſtitere. Nam
,, I. contenderunt expectari debere
,, Concilii celebrationem, in quo lapſo-
,, rum cauſæ diſcuterentur , ſed interim
,, definierunt cuique lapſo plene ſatisfa-
,, ciendi onus incumbere . II. Lapſis illi
,, decreto non obtemperantbus,& con-
,, ditionem a Clero Romano , & Cy-
,, priano præſcriptam recuſantibus, ſan-
,, citum eſt , ut lapſi , etſi Martyrum li-
,, bellis muniti eſſent, in infirmitate per
,, reconciliationem ſubveniretur . III.
,, Decio Imperatore occiſo, & Pace
,, Eccleſiis reddita , Cornelius Romæ,
,, & Cyprianus Carthagine celebrarunt
,, Concilia,quibus ſtatutum eſt, ut lapſi,
,, qui in immundis ſacrificiis ſeſe pol-
,, luerant , pænitentiam plenam age-
,, rent , & tandem pace donarentur:
,, Quod ſi inter agendam pænitentiam
,, immineret vitæ periculum , daretur
,, nihilominus pax , quanvis nondum
,, plene peracta fuiſſet pænitentia. Preſ-
,, byteros , qui decretis illis contrariam
,, viaio inierant multis S. Cyprianus in-
,, ſectatur . *Hæc* (inquit) *qui ſubtrahit fratribus noſtris , decipit miſeros , ut qui poſſunt agentes pænitentiam veram Deo Patri miſericordi precibus, & operibus ſuis ſatisfacere , ſeducantur , ut magis pereant , & qui erigere ſe poſſunt, plus cadant* .

Arguunt I.Cyprianus Sermone de Lapſis docet , quod per Pænitentiam ſatisfit ſcandalo , quod per crimen datum eſt Eccleſiæ ; ſed hoc non eſt innuere neceſſitatem ſatisfactionis ex Jure Divino : ergo &c. II. Auguſtinus in Enchiridio capite 65. vult , quod ſatisfactio ſit quædam nuda cæremonia, per quam Eccleſiæ obeditur : & hæc ſunt ejus verba : *Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba , vel quæcumque alia ſigna procedit , cum ſit coram illo , cui dicitur, gemitus meus a te non eſt abſconditus , rectè conſtituuntur ab iis , qui Eccleſiæ præſunt, tempora pænitentiæ , ut fiat ſatis Eccleſiæ , in qua remittuntur ipſa peccata .* III. Ex Luthero , & Calvino malitia peccati eſt infinita , ſatisfactio eſt finita : ergo non poteſt per eam ſatisfieri peccato . IV. Pæna æterna eſt infinita: ergo non poteſt aboleri per ſatisfactionem,quæ eſt finita . V. Chriſtus ſatisfecit ſuperabundanter pro omnium peccatis: ergo non remanet nobis onus ſatisfaciendi pro iiſdem . VI. Catechumeni, qui baptizantur , nullum habent onus ſatisfactionis : ergo neque habent Pænitentes .

Reſpondemus ad I. negando majorem ; & ratio eſt , quia pro peccatis occultis injungebantur etiam ſatisfactiones , & tamen hæc peccata occulta ſcandalo fidelibns non erant . Hoc patet ex can. 39. Epiſtol. Baſilii ad Anphilochium, quo , ut ait Juveninus in Commentario , Mulieres ſecreti adulterii conſciæ jubentur remanere in gradu pænitentiū exiſtentiū,& privatim exequi labores a canonibus præſcriptos pro hujuſmodi ſceleribus . Ad quæ
,, idem Jueninus hæc addit : ? Secundo
,, Clerici poſt tertium ſeculum non fue-
,, runt damnati pænitentia publica ,
,, etiam ſi crimina canonica commiſiſ-
,, ſent: & tamen arcebantur a ſacris Al-
,, taribus , jubebanturque privatim ſubi-
,, re pænas canonicas , ut colligitur ex
,, Leone Magno , qui Epiſt. 92. cap. 2.
,, Ad Ruſticum Narbonenſem ſic loqui-
,, tur : *Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica , ut qui in presbyterali honore , aut in Diaconii gradu fuerint conſecrati , ſi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pænitentiæ . . . unde hujuſmodi lapſorum ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt ex petenda ſeceſſio , ubi illis ſatisfactio , ſi fuerit digna , ſit etiam fructuoſa* . Tertio , conceptis terminis aſſe-
,, runt antiqui Patres, lapſos ſe ſubjeciſ-
,, ſe ſatisfactionibus , ut Deum iratum
,, redderent ſibi propitium , ut redi-
,, merent præterita peccata , ut mede-
,, rentur ſuis vulneribus . Sic enim lo-
,, quitur Cyprianus lib. de lapſis . *Oportet juſtis operibus incumbere , quibus peccata purgantur, eleemoſynis frequenter inſiſtere , quibus a morte animæ liberantur* . Ibidem ſic arguit miniſtros,
,, qui reconciliatione donabant lapſos
,, ſine præmiſſis operibus ſatisfactoriis :
,, *Datur opera ne ſatisfactionibus , & lamentationibus juſtis delicta redimantur ,*

ne

,, *ut vulnera lacrymis abluantur, pax ve-*
,, *ra falſæ pacis mendacio tollitur*. Quar-
,, to Hæretici olim vertebant crimini
,, Eccleſiæ Catholicæ, quod doceret pæ-
,, nitentiæ laboribus ita deleri delicta,
,, ut poſt ſatisfactionem crederet om-
,, nium etiam graviſſimorum, ut ſunt
,, idololatria, & homicidium, ſe poſſe
,, abſolutionem conferre; ſic etiam
,, Tertullianus, factus Montaniſta, arguit
,, Zephirinum Papam, qui de ſatisfa-
,, ctione expoſuerat verba, quibus Apo-
,, ſtolus primæ ad Cor. 5. ait ſe inceſtuo-
,, ſum tradere Satanæ in interitum
,, carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in Die
,, Domini, *Hic jam carnis interitum in*
,, *officium pœnitentiæ interpretatur quod*
,, *videatur jejuniis, & ſordibus & injuria*
,, *omni, carnem exterminando ſatis Deo*
,, *facere, ut ex hoc argumentetur forni-*
,, *catorem, imo inceſtuoſum illum non in*
,, *perditionem Satanæ, ab Apoſtolo tradi-*
,, *tum, ſed in emendationem, quaſi poſtea*
,, *veniam ob interitum, id eſt conflictatio-*
,, *nem carnis, conſecuturum igitur & con-*
,, *ſecutum*. ,,

Ad II. eadem eſt reſponſio:

Ad III. dicitur, quod homo, etiam cum Dei gratia, nunquam poteſt ſatisfacere pro malitia ſeu culpa peccati de condigno, ſed tantum de congruo; hoc pacto ſcilt; quia ratione ordinis, quem Deus inſtituit, per opera laborioſa obtinet actualem charitatem intenſam, quæ conjuncta cum voto Sacramenti delet peccatum; ſic pariter reſpondet Jueninus.

Ad IV. dicitur, quod ſi ſatisfactio nuda accipiatur, utique non eſt proportionata, quia eſt finita; ſed accepta cum merito Chriſti, ex eodem merito redditur infinita, & fit proportionata peccati malitiæ, & gravitati.

Ad V. utique Chriſtus ſatisfecit Patri ſufficienter, quia obtulit pretium infiniti meriti, & virtutis; at non efficienter, quia illud pretium non omnibus applicatur, iis nimirum, quos nunquam pænitet ſcelerum, quæ commiſerunt; & illis pariter, quos pænitet, ſed non applicatur ad tollendam totam pœnam temporalem debitam crimine remiſſo, quod divina juſtitia exigit.

Ad VI. reſpondit citatus Jueninus eodem loco, quod peccata poſt baptiſmum commiſſa ſunt graviora illis, quę baptiſmum præcedunt; & ſubdit ,, id-
,, que triplici de cauſa, quam Concilium
,, Tridentinum declarat his verbis, *ſane*
,, *& divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur*
,, *ut aliter ab eo in gratiam recipiantur*
,, *qui ante baptiſmum per ignorantiam de-*
,, *liquerint, aliter vero qui ſemel a pecca-*
,, *ti & dæmonis ſervitute liberati, & ac-*
,, *cepto Spiritus Sancti dono, ſcienter tem-*
,, *plum Dei violare, & Spiritum Sanctum*
,, *contriſtare non formidaverint*. Ob diſ-
,, crimen hujuſmodi aliam obſervarunt
,, Patres diſciplinam circa Pœnitentes
,, quam circa Catechumenos. Primo
,, enim Pœnitentes in extremis reconci-
,, liari, recuperata ſanitate, repetebant
,, ex canone præſcripto ſtationem pœ-
,, nitentiæ, in qua erant ante ſuum mor-
,, bum. Catechumeni vero in iiſdem
,, anguſtiis baptizari, ubi convaluerunt
,, non amplius Catechumenis, ſed fide-
,, libus adjungantur. II. Patres crede-
,, bant Catechumenum vel etiam Ethni-
,, cum, in articulo mortis baptiſma pe-
,, tentem, & ſuſcipientem, conſequi,
,, ſtatim poſt mortem, æternam ſalutem:
,, contra de Chriſtiani ſalute pœniten-
,, tiam & conciliationem in iiſdem an-
,, guſtiis ſuſcipientis plurimum diffide-
,, bant. III. Concedebant baptiſma
,, cuilibet in extremis poſito vel per ſe
,, vel per alium illud petenti; recouci-
,, liationem vero aliquando negarunt
,, Chriſtiano eam in ultima tantum vita
,, periodo efflagitanti. ,,

Dicimus II. ſatisfactionem debere eſſe proportionatam gravitati criminum, & Pœnitentium viribus.

I. Probatur. Concilium Tridentinum Seſſ. 4. cap. 8. hæc præcipit: ,, De-
,, bent ergo Sacerdotes Domini, quan-
,, tum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit;
,, pro qualitate criminum, & pœniten-
,, tium facultate, ſalutares, & conve-
,, nientes ſatisfactiones injungere: ſi
,, forte peccatis conniveant, & indul-
,, gentius cum pænitentibus agant, le-
,, viſſima quædam opera pro graviſſimis
,, delictis injungendo, alienorum pec-
,, catorum participes efficiantur. Ha-
,, beant autem præ oculis, ut ſatisfactio,
,, quam imponunt, non ſit tantum ad
,, novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis
,, medicamentum, ſed etiam ad præte-
,, ritorum peccatorum vindictam, &
,, caſtigationem.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus, qui docent, quod in imponendis ſatisfactionibus ſervari debent ſacri Cano-

nes, qui quidem pro gravibus delictis levia opera non imponunt. Cœleſtinus I. Epiſt. 7. cap. 1. ait: *Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis poſſit obviare*. Gregorius VII. in Concilio Romano V. *ſalſas eas pœnitentis definit, quæ non ſecundum authoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur*. His accedit Iſaacius Lingonenſis, qui ſequentia habet verba poſt Canones relatos, qui ad Pænitentes pertinent: *Qualis vero peccatis adhibenda ſit medicina, ſecundum Canonum authenticorum, & ſanctorum Patrum eſſe debet inſtitutionem, & ſecundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas aut gratia hominis ſectanda eſt, ſed voluntas Dei in omnibus requirenda: quatenus dignis precibus & pœnitudine digna placare poſſit omnipotentis Dei vindictam, quam ſuo vitio provocavit.*

III. Probatur ex Patribus. Cypi ianus in fine libri de Lapſis: *Quam magna deliquimus tam graviter defleamus: Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit: Pænitentia crimine minor non ſit. Putaſne Dominum cito poſſe placari, cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius, & rogare; diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare, ſtratos ſolo, adhærere cineri, in cilicio, & ſordibus volutari.* Auguſtinus Sei m. 352. alias homil. 27. inter 50. *Eſt pænitentia gravior atque luctuoſior, in qua proprie vocantur in Eccleſia pænitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium ſibi manducent, & bibant. Illa ergo pænitentia luctuoſa eſt. Grave vulnus eſt: adulterium forte commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod ſacrilegium: gravis res. grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens medicus &c.* Et in libro de fide, & opei ibus cap. 26. *Niſi eſſent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus. Congregatis vobis, & meo ſpiritu, tradere ejuſmodi hominem Satanæ ad interitum carnis.... Item niſi eſſent quædam non ea humilitate pænitentiæ ſananda. qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè pænitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret ipſe Dominus, corripe eum inter te & ipſum ſolum.... Poſtremo, niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione, quam docuit, ut diceremus, Dimitte nobis debita noſtra.*

IV. Probatur ex Praxi, & Conſuetudine Eccleſiæ, quæ ſatis innoteſcit in regulis, quas præſcripſit S. Carolus, Cardinalis & Mediolanenſis Archiepiſcopus, & quæ leguntur in Actis Mediolanenſis Eccleſiæ, part. 4. de Pœnitentiæ Sacramenti Miniſtiis, quibus hæc præcipit: *Videant, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pænitentias imponant, id quod, & Confeſſoribus, & Pænitentibus periculoſum eſt, cum id a Sacris Litteris, & Conciliorum Decretis, & a Sanctorum Patrum ſententia alienum ſit. Nam divinæ litteræ ab eis, qui pænitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pænitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et vero qui peccatis gravibus leves quoſdam pænitentiæ modos imponunt, Hi (Canon inquit) conſuunt pulvillos ſecundum Propheticum ſermonem ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Imo Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri Confeſſores, qui dum cum pænitentibus indulgentius agunt, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungunt.*

V. Probatur Rationibus. I. Diverſimode admitti debent in Dei amicitiam illi, qui peccaverunt ante baptiſmum, ac illi qui poſt baptiſmum prævai icati ſunt; atqui hoc non verificaretur, ſi non eſſet proportio inter crimina, & ſatisfactiones: ergo &c. Major eſt doctrina Tridentini ſeſſ. 14. cap. 8. dicentis: *Quod divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui ſimul a peccatis, & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, Spiritum Sanctum contriſtare, non formidaverint.* II. Satisfactio eſſe debet adeo laborioſa, ut iterum peccandi metum pænitentibus ingerat; ſed ſic non eſſet, ſi criminum gravitati non proportionaretur: ergo &c. Major pariter eſt doctrina Tridentini citato loco, ubi habet: *Et divinam clementiam*

Digitized by Google

tiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere a peccatis revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum Pænitentes efficiunt. III. Satisfactio debet inducere in Pœnitente emendationem; ſed hanc non induceret ſi criminum gravitati non proportionaretur: ergo &c. Argumentum deſumitur ex Chryſoſtomo hom. 10. in Matthæum, cujus doctrinã ſequitur Tridentinum: *Pænitentiam dico non ſolum a prioribus malis recedere, verum, & quod majus eſt, bona præſtare. Facite, inquit Joannes, fructus dignos pænitentiæ. Et quando id facimus? Si peccati adverſa facimus. Verbi gratia, Aliena requiſiſti? Incipe jam donare propria. Longo tempore fornicatus es? Præſcripto tempore ab uxore abſtine: meditare continentiam. Proximum vel verbo, vel facto violaſti? Refer benedictionis verbo convitiis, & percutientes beneficiis placare contende. Deliciis ante, & temulentia diffluebas? Jejunio, & aquæ potu inde ortas maculas elue. Impudicis alienum decorem oculis vidiſti? Fæminam jam omnino non videas, ut majori ſecuritate fruaris.* IV. Satisfactio ſacramentalis habet etiam pro fine, ut avertat a Pænitente peccati pœnam, quam Deus illi daret; ſed hoc non eſſet, ſi proportio enunciata non foret: ergo &c. Argumentum quoque fundatur in doctrina Tridentini, citato loco dicentis. *Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendum imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pænitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* V. Per ſatisfactionem ſacramentalem Pænitentes aſſimilari debent Chriſto pâtienti; ſed hæc aſſimilatio non eſſet, ſi ſatisfactiones criminum gravitati non proportionarentur: ergo &c. Tridentinum pariter hanc continet rationem verbis hiſce: *Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur.*

Obſtant I. Concilii Tridentini verba, quæ ſunt a nobis allata, non continent neceſſitatem, ſed conſilium: ergo neque præceptum. II. Dato quod contineant præceptum, non erit tamen præceptum ſub pœna peccati mortalis: ergo neque pariter ab eo inducitur neceſſitas. III. Tridentinum loquitur de ſatisfactione, quæ ſit medicinalis, non autem de ſatisfactione quæ ſit pœnalis: ergo non facit ad rem. IV. Si ſatisfactio deberet proportionari criminum gravitati, deberet eſſe infinita, quia infinita eſt peccati gravitas; ſed hoc nequit eſſe: ergo &c. V. Indulgentiæ, præſertim Jubilei tempore, ſupplent ſatisfactionum levitatem: ergo non eſſet neceſſaria proportio illa. VI. Canones antiqui, qui continebant rigorem illius proportionis, abierunt in deſuetudinem, & inducta eſt nova Eccleſiæ diſciplina, per quam gravibus peccatis leves pænitentiæ injunguntur: ergo Confeſſarii non debent ſe regulare cum antiquis Eccleſiæ Canonibus, ſed cum moderna Eccleſiæ diſciplina: ergo porportionem illam ſervare non debent.

Reſpondemus ad I. Concilium Tridentinum adhibere vocem *debent*; per vocem autem *debent*, pervium eſt omnibus, intelligi præceptum, non vero conſilium. Ulterius Concilium applicat hoc ad divinæ Juſtitiæ rationem; ubi autem eſt Juſtitia, ibi etiam eſt debitum; & hoc patet ex ejuſdem Concilii verbis, quæ ad verbum *debent* ſubjunguntur, & ſunt: *Divinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò qui ſemel a peccati, & Dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint.*

Ad II. Dicitur, quod ſi Confeſſarii in hoc deficientes non eſſent lethalis peccati rei, a Concilio non reprehenderentur: & Judicis officium, quod perfecte adimplere debent, non perfunctorie exercerent. Hoc autem totum continetur in verbis Concilii, quæ ſequuntur: *Ne ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum Pænitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.... Domi-*

nus noſter Jeſus Chriſtus a terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios, reliquit tanquam præſides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur . . . . . . Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim, ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiam ſi occultiſſima illa ſint &c.

Ad III. Dicitur, qund præfata objectio eſpreſſe opponitur Tridentini verbis, qnæ leguntur citatn capite 8. *Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & cogitationem: nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.*

Ad IV. Negatur major; & ratio eſt, quia pœna æterna peccato debita per virtutem Sacramenti mutatur in temporalem, & finitam; pœnæ autem temporali, & finitæ reſpondere debent ſacramentales ſatisfactiones.

Ad V. Dicitur, quod indulgentiæ proſunt illis, qui ſunt vere contriti, & pœnitentes; vere autem contriti, & pænitentes eſſe non poſſunt, qui ſacramentales ſatisfactiones criminum gravitatis reſpondentes nec exercent, nec adimplent; ut videre eſt apud Jueninum in Commentario Diſſert. 6. quæſt. 6. cap. 7. art. 2.

Ad VI. Et ſi Canonum antiquorum rigorem præſens hominum infirmitas ferre non poſſit, non per hoc tamen deſpiciendi ſunt illi, & illorum obſervatio, quantum vires ſufficiunt, negligenda; ut aperte admonet S. Carolus part. 4. Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis in Inſtructionibus: *Canones pænitentiales teneant. Quamvis enim prudenter, & conſiderate pro pænitentis dolore, hominumque varietate, aliiſque circumſtantiis, attemperari, & poſſint, & debeant, eos tamen obſervari, atque ut formam, & regulam, quantum expedire videbitur, exprimi ſemper laudabile eſt.*

Pro tertia Diſſertationis parte, in qua quæritur; an ſatisfactio ſacramentalis debeat eſſe publica, vel ſecreta? Pro ejus reſolutione triplicis generis diſtinguenda ſunt peccata; ſcilicet ſecreta, publica, & ſemipublica. Secreta erant illa, quæ committebantur ab iis, qni ſecreto omnino peccabant, & ſine ſcandalo. Publica committebantur ab iis, qni ita publice peccabant, ut juridice deferebantur ad Eccleſiæ Tribunal, & rei convincebantur. Semipublica committebantur ab illis, qui peccabant qnidem cum ſcandalo multorum, ſed non deferebantur ad Eccleſiæ Tribunal, nec rei probabantur. Circa hæc triplicis generis peccata ſequentem ponimus concluſionem.

Dicimus III. Peccata omnino occulta non ſubjiciebantur publicæ pænitentiæ ex vi Canonum, ſed ſolum ex conſilio Sacerdotis, vel ex voluntate Pænitentis: Peccata publica ſubijciebantur publicæ pænitentiæ ex vi Canonum: ſemipublica ex imperio Sacerdotis, etiam cum denegatione abſolutionis.

Prima Conclnſionis Pars probatur I. Ex Conciliis. Concilium Vaſenſe Primum Anno 442. Canone VIII. hæc habet: *Si Epiſcopus, ſe tantum alieni ſceleris conſcium novit, quandiu probare non poteſt, nihil proferat, ſed cum ipſo ad compunctionem ejus ſecretis correptionibus elaboret . . . , ille, quandiu probari nihil poteſt, in communione omnium . . . . permanente.* Concilium Neocæſarienſe Can. 4. *Si quis mulierem concupiſcens propoſuerit cum ea decumbere, & cogitatio ejus non pervenit ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus eſt.* Ad quæ ſubdit Tournely „ a quo? Non a „ culpa, & quidem mortali: *Qui enim* „ *viderit mulierem ad concupiſcendum* „ *eam*, inquit Chriſtus Mat. 5. verſ. 28. „ *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Non „ etiam ab omni prorſus pœna ſeu pæ„ nitentia; omne ſiquidem lethale pec„ catum per pænitentiam debet expiari. „ Liberatus ergo ille dicitur, tum quia „ peccatum opere externo non conſum„ mavit; tum quia luctuoſæ, ac publi„ cæ pænitentiæ ſubijci non debuit, ſi„ cut debuiſſet, ſi crimen opere perfe„ ciſſet. „ Concilium Carthaginenſe III. ann. 397. Can. 32. *cujuſcumque pænitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, antequam abſidem manus ei imponatur.*

II. Pro-

II. Probatur ex Patribus. Gregorius Nyſſenus in epiſtola ad Letojum; *Qui latenti ablatione ſibi alienam uſurpat, ſi deinde per enuntiationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium mutato, ægritudinem curabit largiendo, quæ habet, pauperibus.* Auguſtinus ſerm. 351. alias hom. 50. inter 50. *Si peccatum ejus, non ſolum in gravi ejus modo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videatur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pænitentiam, non recuſet*, & ſerm. 82. alias 16. de verbis Domini cap. 7. *Ergo corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius.* Et cap. 8. ſic pergit: *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quæris inſcribere? Prorſus nec prodo, nec negligo, corripio in ſecreto; pono ante oculos Dei judicium: terreo cruentam conſcientiam; perſuadeo pænitentiam. Hac charitate præditi eſſe debemus ..... Sunt homines adulteri in domibus ſuis, in ſecreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus; nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi moriatur malum.* Cæſarius Arelatenſis hom. 1. in Quadrageſima enumerat nonnulla gravia peccata, & addit: *Hæc, & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi, & mediocri, licet ſecreta ſatisfactione, non poſſunt; ſed graves cauſæ, graviores, & acriores, & publicas curas requirunt; ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.* Sanctus Eligius hom. 16. in fine: *Vos præterea, fratres mei, alloquimur, quos publica actio criminalis publicam cogit agere pænitentiam.*

III. Probatur Rationibus. I. Si qui ſunt Theologi, qui aliter a nobis ſentiunt, omnes tamen conveniunt, a ſeptimo ſeculo nullam fuiſſe impoſitam pænitentiam publicam pro peccatis occultis, ſed tantum pro publicis: ergo antea ſi aliqua imponebatur, erat tantum, vel de conſilio Confeſſarii, vel de voluntate Pænitentis: II. Canones etiam antiqui ſatis erant cauti, ut Pænitentium famæ conſulerent: ergo pro peccatis occultis nunquam publicas pænitentias imponebant. III. Quia aliter multa ſcandala orta fuiſſent in Eccleſia, ſi per pænitentias publicas, peccata occulta gravia cognita fuiſſent. IV. Quia etiam homicidia provenirent, ſi vir adulterium uxoris occultum, per ejus pænitentiam publicam, agnoviſſet.

Secunda Concluſionis Pars probatur I. ex Conciliis. Concilium Rothomagenſe Anno 174. capit. 8. *Ne quis Presbyter, vel Monachus publice peccantem criminali peccato ad pænitentiam, niſi jubente Epiſcopo, ſuſcipiat. Occulte peccantem, confitentem quidem ſuſcipiat; ſed pænitentiam nonniſi eam, quam Epiſcopus determinaverit, injungat: Sic tamen ut jure confeſſionis ſecreto peccantis perſona nulli detegatur.* Concilium Eliberitanum Can. 20. *Si quis Clericus detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari, & abſtineri.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reformatione cap. 8. *Apoſtolus monet, publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe, non ſit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pænitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publice hoc pænitentiæ genus in aliquod ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

II. Probatur ex Patribus. Cyprianus epiſt. 68. *Maxime cum jampridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, Sacerdos pacificus, ac juſtus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad pænitentiam quidem agendam poſſe admitti; ab ordinatione autem Cleri, atque ſacerdotali honore prohiberi.* Et epiſt. 59. *Cogimus litteras tuas, frater chariſſime, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam pænitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatiſfeciſſet, temere Terapius, collega noſter, immaturo tempore, & præpoſtera feſtinatione pacem dederit. Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe a decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu, & con-*

& conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur. Auguſtinus ſerm. 351. *Nos a communione prohibere quemquam non poſſumus .... niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſeculari, ſive eccleſiaſtico judicio nominatum, atque convictum.* Optatus Milevitanus lib. de Schiſmate Donatiſtarum: *Purpurius ſolita malitia fretus, ſic ait; quaſſetur illi caput de pœnitentia*: Jueninus explicat „ damnetur pœnitentia publica. „ ſicque alteri ordinationi ineptus fiat. „

III. Probatur Rationibus. I. In publice peccantibus nullum erat periculum ſcandali tribuendi Fidelibus, immo potius per ipſam publicam pænitentiam ſcandalum reparabatur: Ergo nulla erat ratio, per quam publica pænitentia publice peccantibus imponenda non eſſet. II. Teſtatur Morinus lib. 7. capit. 4. & 5. quod publice peccantes etiam per laicam poteſtatem ad publicam pænitentiam compellabantur: ergo jam erat in Eccleſia praxis, quod publice peccantes publicam pænitentiam ſubirent. III. Publica pænitentia in publice peccantibus exemplaris fiebat apud cæteros fideles, ut teſtatur Tertullianus lib. de pænitentia: ergo erat potiſſima ratio, per quam illis imponeretur.

Objiciunt I. Leo Magnus epiſt. 90. cap. 2. ad Ruſticum Narbonenſem ſcribit. *Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pænitendi*: ergo ſignum eſt, quod ſaltem pro Clericis primis Eccleſiæ ſeculis in uſu non erat pænitentia publica. II. Optatus Milevitanus in fine libri ſecundi exprobat Donatiſtas, quod ſubjicerent pænitentiæ publicæ Epiſcopos, per hæc verba. *A nobis occiſi ſunt in honoribus Sacerdotes. Multis notum eſt, & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia a confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullatenus eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo factum eſt poſt thurificationem.* III. Antiqui Canones in publicis pænitentiis imponendis non ſolùm reſpiciebant publicitatem, ſed etiam gravitatem peccatorum: ergo pænitentia publica non imponebatur antiquitius pro peccatis, quæ eſſent ſolummodo publica, ſed quæ etiam eſſent gravia. IV. Publica pænitentia imponebatur etiam pænitentibus, qui peccatum ſuum grave, ſed occultum confitebantur, quanvis mitior illa, quæ imponebatur, ijs, qui convicti fuerant: ergo non pro ſolis peccatis publicis, ſed etiam pro occultis gravibus pænitentia publica imponebatur. V. Tertullianus cap. 4. de Pænit. pro omnibus peccatis mortalibus agnovit pænitentiam publicam; ait enim: *Omnibus ergo delictis, ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate, commiſſis, qui pænam per judicium deſtinavit, idem veniam per pænitentiam ſpopondit.* VI. Auguſtinus ſerm. 352. alias homilia 26. inter quinquaginta cap. 30. pro omnibus peccatis mortalibus, ſive publicis, ſive occultis, eandem pænitentiam imponit; ait enim. *Reſtat pænitentiæ tertium genus .... Eſt pænitentia gravior, et que luctuoſior, in qua proprie vocantur in Eccleſia pænitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi.*

Reſpondemus ad Primum, quod Leo Magnus loquitur de abuſu, qui ſuo tempore obrepſerat confitendi publice peccata, etiam occulta; quod aſſerit etiã Torrdely per hæc verba: „ S. Leo„ nem de una dumtaxat confeſſione „ publica peccati occulti egiſſe; de hac „ quippe una agebatur; de pænitentia „ vero publica peccatoribus omnino „ occultis imponenda, vel non impo„ nenda, ſilet S. Pontifex: quamquam „ ratio, quam adducit ibidem, ut im„ probet confeſſionem publicam pecca„ ti occulti, adverſum ipſammet pæni„ tentiam publicam pro iisdem occultis „ peccatis contorqueri non immeritò „ poteſt. „ *Hac porro ratio eſt, quod nimirum multi a pænitentiæ remedio arcentur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſunt legum ſeveritate percelli ..: Tunc enim demum plures, ait ibid. S. Leo, ad pænitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* „ Jueninus vero hæc „ reponit: Intelligi laudatam ex Leone „ ſententiam de Clericis quandiu in or„ dine clericali remanſerint, non au„ tem ubi per depoſitionem ex eo fue„ rint dejecti: Antiquitus autem nuſ„ quam

„ quam publicæ pænitentiæ addiceban-
„ tur, quin prius depoſiti fuiſſent, aut
„ quin eodem decreto, quo publica
„ pænitentia damnabantur, ex ſuo
„ gradu ſine ſpe futuræ reſtitutionis ad
„ Laicorum ſortem dejicerentur. Sub-
„ dit ulterius: ita quidem, ut fert ar-
„ gumentum authoritate eccleſiaſtica
„ ſanxiſſe Apoſtolos, ſed latum ab eis
„ decretum obſervari non potuit, dum
„ perſecutiones in Eccleſiam Chriſtia-
„ nam ſævirent.

Ad II. Dicitur, quod Optatus Milevitanus per illam manuum impoſitionem non intelligit pænitentiam publicam, ſed ſacram ordinationem, quam Donatiſtæ iterabant, putantes invalidam fuiſſe illam, quæ ab Epiſcopis Catholicis conferebatur. Inſuper idem Optatus agit de facto particulari, quod eſt diverſum a caſu noſtro, ut apud eumdem Jueninum videre eſt.

Ad III. Verum eſt, quod antiqui Canones reſpiciebant non ſolùm publicitatem, ſed etiam gravitatem peccatorum in publicis pænitentiis imponendis; at hoc nos non diffitemur, quando dicimus quod pro publicis peccatis pænitentiæ publicæ imponebantur, quia intelligimus illa publica peccata fuiſſe etiam gravia.

Ad IV. Publica pænitentia mitior imponebatur illis, qui peccatum grave occultum ultro fatebantur; quia ſic illi petebant, vel pro humilitatis exercitio, vel pro doloris expreſſione, vel manifeſtatione; nulla autem erat lex, quæ eos ad hoc obligaret.

Ad V. Tertullianus unam dicit pænitentiam ſacramentalem, & unam dicit pænitentiam publicam; & de utraque diſtinctè agens, ambabus limites ſuos imponit, & ſecernit pænitentes, qui primæ, a pænitentibus, qui ſecundæ ſubijciebantur, ut citatus Tournely diſtinctè explicat.

Ad VI. Dicitur, quod illam luctuoſam, & graviorem pænitentiam non alii faciebant, quam qui graviſſima delicta perpatraſſent. Hoc habetur ex eodem Auguſtino citata homilia in obiectione, ubi habet; *Illa vere pænitentia luctuoſa eſt, grave vulnus eſt: adulterium fortè commiſſum eſt, forte homicidium, forte aliquod ſacrilegium; gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, ſed omnipotens medicus &c.* Quibus verbis patet, quod luctuoſæ illi pænitentiæ non ſubjiciebantur peccata illa mortalia, quæ non erant ita gravia, ſed expiabantur aliâ pœnâ, nec publicâ, nec ita gravi, ut paſſim Theologi Auguſtinum explicant.

DIS-

DISSERTATIO CCCLXXXVII.

De Abſolutione Sacramentali. An pro quibusdam gravioribus criminibus fuerit olim ſacramentalis abſolutio denegata? Et an adpræſens pro iiſdem ſit deneganda? An ſit ad longum, vel breve tempus, differenda?

SUNT Theologi, qui quibusdam Tertulliani verbis innixi, negant Idololatris, & homicidis, fuiſſe antiquitus ſacramentalem abſolutionem datam; & hanc dicunt fuiſſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem. Ita Petavius in notis ad S. Epiphanium hæreſi 59. Martene lib. de antiquis Eccleſiæ ritibus cap. 6. artic. 2. Alii autem volunt, quod fuerit pariter denegata Adulteris a quibuſque Africæ Epiſcopis, poſt Cyprianum Epiſt. 52., & ſunt Morinus lib. 9. cap. 19. Albaſpinæus in Notis ad Concilium Eliberitanum. Et denique denegatam volunt in Galliis, ultimo ſupplicio afficiendis, uſque ad annum 1396. quo Carolus VI. Galliæ Rex hanc conſuetudinem abrogavit, ſpeciali ſuo Edicto; ut afferit Martene cit. loco num. 6. Et hæc intelligunt de ſanis, & qui bene valebant. Circa Infirmos vero Morinus lib. 10. cap. 2. & 3. vult, fuiſſe illis denegatam primis Eccleſiæ ſeculis, uſque ad perſequutionum finem, ſcilicet uſque ad annum celebrationis Nicenæ Synodi; ſubdit tamen, quod ad præſens non ſit deneganda cap. 4. & ſequentibus.

Dicimus I. Quod reis etiam criminum graviſſimorum, qui pænitentiam, vel agebant, vel egerant, nuſquam denegata ſit ſacramentalis abſolutio ab Eccleſiis orientalibus, neque a Romana, Carthaginenſi, Hiſpanica, & aliis illuſtrioribus.

I. Probatur Concluſio de Eccleſiis Orientalibus, quia nullum adducitur; vel monumentum, vel exemplum, quo contrarium probetur. Immo potius pro noſtra Concluſione teſtimonia invenimus; & ſunt apud Euſebium lib. 3. Hiſtoriæ cap. 23. qui refert Juvenem illum, qui fuit a S. Joanne Evangeliſta converſus, & Eccleſiæ reſtitutus; apud Iræneum lib. 1. cap. 9., qui affert Mulieres a Marco ſeductas, & in Eccleſiam receptas poſt pænitentiam peractam; Apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum, & apud alios qui referuntur a Morino lib. 4. cap. 9. & lib. 9. cap. 21.

II. Probatur de Eccleſia Romana. Zephirinus apud Tertullianum lib. de Pudicitia cap. 1. dicebat: *Ego hæc Mæchiæ, & fornicationis delicta pænitentia functi dimitto.* Idem Zephirinus apud Euſebium lib. 5. cap. 27. admiſit ad Eccleſiam Epiſcopum Natalium, qui hæreſis crimen patraverat, & illud deinde lachrymis, & pænitentiâ deploraverat. Inſuper Clerus Romanus apud Cyprianum, epiſt. 31. ſic loquebatur: *Quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pænitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lachrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus, dolentis ac vere pænitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum caute, & ſollicite ſubveniri.* Ultra Zephirinum idem habetur apud Innocentium II. & Cœleſtinum I. Romanos Pontifices.

III. Probatur de Eccleſia Carthaginenſi ex Cypriano epiſt. 52. *Miror quosdam ſic obſtinatos, ut dandam non putent lapſis pænitentiam,* (Novatianos intelligit)

git) *aut Pænitentibus exiſtiment veniam denegandam . . . , . Neminem putamus a fructu ſatisfactionis, & ſpe pacis arcendum; cum ſciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore, & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam Pænitentibus non denegari.*

IV. Probatur de Eccleſiis Hiſpaniæ; pro quibus facit Concilium Eliberitanum, quod quidem aliquorum graviſſimorum criminum Reis, licèt denegaverit Euchariſtiæ perceptionem, nunquam tamen legitur denegaſſe ſacramentalem abſolutionem; immo potius Can. 21. præcipit, ne pænitentiæ janua claudatur hæreticis, qui ad Eccleſiam redibant; & hæc ſunt ejus verba: *Si quis de Catholica Eccleſia ad hæreſim tranſitum fecerit, rurſuſque recurverit, placuit, huic pænitentiam non eſſe denegandam, eo quod cognoverit peccatum ſuum.*

Dicimus II. Infirmis nec fuiſſe olim pænitentiam denegatam, nec eſſe modo denegandam, ſi dent doloris ſigna, & aliundè ſint catholici, & pii viri, qui opinato caſu opprimantur, & vocis, & ſenſuum uſu priventur.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. in epiſt. ad Exuperium: *De his obſervatio prior durior; poſterior, interveniente miſericordia, inclinatio eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pænitentia; ſed communio negaretur.* Cœleſtinus I. in epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ cap. 2. exprobat illorum crudelitatem, qui abſolutionem moribundis denegabant, his verbis: *Se tantam impietatem exhorreſcere, quo morienti mors additur, ejuſque Anima occiditur. . .*

II. Probatur ex Concilis. Concilium Nicænum Generale I. Can. 13. *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regulariſque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & maxime neceſſario viatico minime privetur. Quod ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter poſtquam probaverit, dare debebit.* Concilium Carthaginenſe IV. Anno 398. Can. 76. & 77. morituro pænitenti dandam eſſe reconciliationem, & infundendam ori ejus Euchariſtiam ..... *Si ſupervixerit, ſubdatur ſtatutis pænitentiæ legibus.* Et can. 78. *Pænitentes, qui in infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.* Concilium Arauſicanum I. an. 441. can. 3. de ijsdem Pænitentibus: *Si ſupervixerint, ſtent in ordine pænitentium, & oſtenſis neceſſariis pænitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant.* Concilium Epaonenſe an. 517. can. 36. *Si cui fortitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quod ſi ægrotum accepto Viatico revaleſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſervare conveniet.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. capit. 7. *Pie admodum ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes a quibuslibet peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt. In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis.*

III. Probatur ex Patribus. Gregorius Nyſſenus can. 2. epiſt. ad Letojum: *In hora ſui exceſſus e vita Apoſtata pænitens ſacramenti communionis erit particeps. Sin autem contigerit, ut is præter ſpem vivat, in eodem rurſus vivet judicio, myſticorum ſacramentorum ad vitæ exitum uſque expers.* Auguſtinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 26. *quæ autem baptiſmatis eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte Pænitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.*

IV. Probatur ex præſenti Eccleſiæ uſu. Paulus V. in ſuo Rituali hæc præcipit. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro, deficiat, nutibus, & ſignis conetur peccata Pænitentis cognoſcere, quibus utcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenditur, abſolvendus eſt.* Inſuper Morinus affert verba Sacerdotalis Romani Venetiis impreſſi an. 1560. apud Joannem Variſcum, & Socios fol. 62. quæ hæc ſunt. *Talis Infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis; puta, quia*

phreneticus; aut non: in primo caſu, ſi bene vivebat, ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem, & communionem, & hujuſmodi, quamvis non petierit ſacramenta, quia ex inſperato talia acciderunt; vel etiamſi malus, & obſtinatus diu perſeverans in peccatis eſt, & diu non confeſſus, ſi petiit Sacerdotem, ut confiteretur, oſtendit ſe facere velle omnia quæ debet, & interea factus eſt mutus, vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo, ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem, ab omni ſententia, & peccata, & poteſt injungere circumſtantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut conſanguineis pro ejus anima, ſi volunt acceptare, deinde debet dari ei Euchariſtia, quamvis non ſit confeſſus.

V. Probatur Rationibus I. Dari debet baptiſmus Catechumenis, qui morbo opprimuntur, & facultatem non habent petendi illum in eo mortis diſcrimine, in quo verſantur: ergo pariter dari debet peccatoribus, qui vi morbi opprimuntur, & præſumptio eſt, ut illa petant, ſi loquendi facultatem habeant. Antecedens eſt doctrina Auguſtini lib. 1. de adulterinis conjugiis capit. 26. *Catechumenis in hujus vitæ ultimo conſtitutis, ſi morbo, ſeu caſu aliquo ſic oppreſſi ſunt, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen ſibi Baptiſmum, vel ad interrogata reſpondere non poſſint, proſit eis quod eorum in fide chriſtiana nota voluntas eſt; ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* II. Baptiſmus dabatur etiam illis Catechumenis, qui adulterina conſortia retinebant, & ſubitaneo morbo opprimebantur; ergo pariter dari debet abſolutio peccatoribus in eodem ſtatu exiſtentibus. Antecedens pariter eſt Auguſtini cit. lib. cap. 28. *Ego non ſolum alios Catechumenos; verum etiam ipſos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conſortia, cum vacuos corpore non admittamus ab Baptiſmum, tamen ſi deſperati jacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.* Et ratio, quam adjungit Auguſtinus, hæc eſt, & quæ etiam de peccatore, de quo loquimur, verificatur. *Quis enim novit utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad Baptiſmum ſtatuerant detineri? Si autem ab illa deſperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod ſtatuerant, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptizatis talibus debet.* III. Eadem eſt cauſa dandi reconciliationem peccatoribus, ac baptiſmum Catechumenis, ex eodem Auguſtino, qui citato loco dicit: *Quæ autem baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi forte pænitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipſos enim ex hac vita ſine arrha ſuæ pacis exire velle debet Mater Eccleſia.* IV. Si quæ eſſet ratio, ob quam dari non deberet hujuſmodi abſolutio peccatoribus, ea eſſet, ne redderetur invalidum ſacramentum pænitentiæ; ſed hæc ratio ceſſat propter præſentem Eccleſiæ diſciplinam, quâ a pluribus ſeculis introducta eſt in Eccleſia abſolutio conditionata; ut ſuo loco dictum eſt; ergo &c.

Arguunt I. Cyprianus multis in locis aſſerit Pænitentibus fuiſſe abſolutionem denegatam: ergo primis Eccleſiæ ſeculis non dabatur abſolutio graviorum criminum reiſ. II. Concilium Eliberitanum can. 1. ſtatuit. *Placuit, ut quicumque poſt fidem Baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idolatraturus acceſſerit; & fecerit quod eſt crimen capitale, nec in fine eum debere ad communionem ſuſcipere*: ergo in Hiſpania non vigebat doctrina, de qua nos loquimur. III. Idem Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum hæc refert, de infirmis ſtatutum fuiſſe ab Eccleſia Carthaginenſi: *Idcirco Frater chariſſime, pænitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pænitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*: ergo praxis circa infirmos, de qua nos loquimur, non erat in Eccleſia Carthaginenſi. IV. Leo Magnus epiſt. 91. ſupponit, fuiſſe graves Peccatores, qui in infirmitate degentes, & abſolutionem petentes, illam tamen non obtinuerunt, & ex hac vita ſine ſacramentali abſolutione deceſſerunt.

Reſpondemus ad I. Cyprianum de iis Pecca-

cato-

catoribus loqui, qui plenam pœnitentiam non egerant, non vero de iis, qui egerant. His enim certum eſt, quod ſacramentalis abſolutio dabatur, ut ex ejusdem Cypriani verbis a nobis allatis clare patet.

Ad II. Dicitur, quod Canon Concilii Eliberitani non debet intelligi de abſolutione ſacramentali, ſed de eucharistica communione; aliter enim Patres illi ſibimetipſis contrarii fuiſſent, quum aliter ſtatuiſſent de ſacramentali abſolutione loquentes, ut a nobis ſuperius relatum eſt.

Ad III. Cyprianus per communicationem, & pacem, pariter intellexit, vel Euchariſtiæ communionem, vel ſolemnem, & canonicam cum Eccleſia reconciliationem, qua decrevit, privandos eſſe hujuſmodi infirmos ex Eccleſiæ diſciplina.

Ad IV. S. Leo loquitur de illis, qui improviſa morte nullam receperunt ſacramentalem abſolutionem; ac proinde vult de illis nullam faciendam eſſe commemorationem in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, in qua quæritur, an abſolutio, ſi non ſit deneganda, ſit ſaltem differenda, & ſi differenda, an ad longum, vel breve tempus? Supponendum eſt pro certo, quod concedenda non ſit abſolutio toties quoties peccator crimen ſuum confitetur, & abſolvi petit. Et quidem ex Concilio Toletano III. cap. 11. habemus. *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias non ſecundum Canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis agere pœnitentiam, ut quotieſcumque peccare libuerit, toties a Preſbyteris ſe reconciliari expoſtulent; ideo pro coercenda tam exacrabili præſumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam Canonum antiquorum detur pœnitentia*. Item ex Concilio Generali Lateranenſe II. anno 1139. can. 22. *Inter cætera unum eſt, quod ſanctam maxime perturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia, Confratres noſtros, & Preſbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur: aut cum ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio..... Falſa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet: aut ſi odium in corde geſtetur, aut ſi offenſo cuilibet non ſatisfiat, aut ſi offendenti offenſus non indulgeat, aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat*.

Dicimus II. non eſſe concedendam abſolutionem regulariter, toties quoties peccatores crimina confitentur, & abſolvi petunt; ſed eſſe differendam, juxta Pœnitentium diſpoſitiones.

Prima Pars concluſionis probatur I. Ex Scripturis. Ezechielis 13. verſ. 3. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident.... dicentes pax, & non eſt pax*. Et verſ. 18. *Væ, qui conſuunt pulvillos ſub cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, & violabant me apud populum meum propter pugillum ordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis*. Jerem. verſ. 14. *curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax, & non erat pax.... quamobrem cadent inter ruentes*.

II. Probatur ex praxi Cleri Romani, quæ legitur in epiſt. 31. inter illas, quæ ſunt Cypr. *Abſit ab Eccleſia Romana vigorē ſuū tam profana facilitate dimittere, & nervum ſeveritatis everſa fidei majeſtate diſſolvere.... ut nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimentur, ut miſeris per adverſionem majorem, eripiatur & pœnitentia. Ubi enim indulgentiæ poterit medicina proficere, ſi etiam ipſe medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? ſi tantummodo operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non eſt curare, ſed ſi dicere verum volumus, occidere*.

III. Probatur ex Patribus. Cyprianus tractatu de Lapſis: *Emerſit novum genus cladis, & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita, & falſa pax periculoſa dantibus, & accipientibus nihil profutura.... Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis, & pro-*

fundis viſceribus infixa diſſimulato dolore contegitur .... Non eſt illa pax, ſed bellum, nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Evangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis, qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? Hoc ſunt ejuſmodi lapſis, quod grando frugibus; quod turbidum ſidus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod navigiis ſæva tempeſtas .... Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Auguſtinus confeſſionum lib. 8. cap. 5. *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam .... Jam enim, & ipſa terra erat, ego autem adhuc terræ obligatus, militare tibi recuſabam. & impedimentis omnibus ſic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſæculi, velut ſomno aſſolet dulciter premebar: & cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur: & ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omniumque ſano judicio vigilare præſtat: differt tamen plerunque homo ſomnum diſcutere, cum gravis torpor in membris eſt, eumque jam diſplicentem carpit libentius, quamvis ſurgendi tempus advenerit: ita certum habebam eſſe melius tuæ charitatis me dedere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat, hoc libebat, & vinciebat.*

Secunda Concluſionis pars probatur I. Rationibus I. Differri debet abſolutio Peccatoribus, qui adhuc retinent affectum ad peccatum mortale, quia illis deeſt diſpoſitio neceſſario requiſita ad validitatem abſolutionis: ergo differenda eſt abſolutio ſacramentalis, quando non eſt deneganda. II. Differri debet abſolutio peccatoribus, qui injuſte ablata non reſtituunt, qui injurias latas non reſarciunt, qui proximas occaſiones non vitant, qui pacem proximo petenti non reddunt; & alia hujuſmodi: ergo &c. III. Dari non debet abſolutio Peccatoribus illis, qui adhibere nolunt remedia, quæ ſunt præſcripta ad vitanda peccata: ergo nec ſemper concedenda eſt, nec illico abſolvi debent extra caſũ neceſſitatis, & ubi vitæ periculum non urget: ergo differenda eſt abſolutio Peccatoribus juxta Confeſſarii prudentiam, & ſecundum Pœnitentium diſpoſitiones. Unde in Inſtructionibus S. Archiepiſcopi Cardinalis Borromæi dicitur. *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis Pœnitentibus procraſtinent, quos veriſimile eſt ad peccata iterum lapſuros, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros. Hujuſmodi vero ſunt adoleſcentes otio, ut plurimum deditì, qui in ludis; commeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitiis majorem vitæ partem impendunt. Iis pariter accenſeri debent blaſphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii, qui ſemel tantum quotannis tempore quadrageſimali labente ſeſe Sacerdoti ſiſtunt ad confeſſionem, ſicut univerſim omnes, qui per multos annos in eadem peccata prolapſi erunt, abiecto debitæ correctionis ſtudio.*

Opponunt I. Ex Scripturis. Matthæi 11. Chriſtus dicebat: *venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; Item Matthæi 18. Chriſtus inſuper dicebat Petro: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*: Inſuper Chriſtus Lucæ 6. dixit: *Eſtote miſericordes, ſicuti, & Pater veſter miſericors eſt*; denique Lucæ 7. Idem Chriſtus illico Magdalenam abſolvit dicens: *Nec ego te condemnabo, vade in pace, remittuntur tibi peccata tua*. II. Confeſſarius debet credere Pœnitenti, qui dicit ſe dolere de peccatis, & nunquam velle iterum peccare: ergo debet ſtatim illum abſolvere. III. Dari poteſt caſus, quod Pœnitens vere ſe velit emendare abſque eo quod illud operibus comprobet; ergo in tali caſu debet illi dari ſtatim abſolutio. IV. Pœnitentes, quibus abſolutio, vel denegatur, vel differtur, aliquando pejores fiunt, & iterum ad peccata redeunt: ergo non eſt probanda praxis, quam nos inducimus. V. Ex hac eadem praxi multa ſequerentur abſurda, ſcilicet aliquando omitteretur Paſchalis communio cum magno populi ſcandalo; aliquando denegari poſſet nuptialis benedictio, quod etiam populo ſcandalum ingereret; aliquando Pœnitentes, quibus non daretur

retur abſolutio, Confeſſario iraſcerentur, & ei maledicerent; aliquando etiam in peccatis indurarentur, & nunquam ab iiſdem reſurgerent; aliquando denique ad illos Confeſſarios confugerent Pœnitentes, qui ſecundum praxim ſuam, eos ſtatim abſolverent.

Reſpondemus ad I. Chriſtus in illis verbis de illis Pœnitentibus loquitur, qui verum dolorem de commiſſis culpis Confeſſario oſtendunt, ita ut Confeſſarius non egeat ab iiſdem ulterius experimentum expectare. Chriſtus autem hoc experimento non indigebat, quia ſapientiâ ſua infinita hominum corda illico introſpiciebat, abſque eo quod ab illis manifeſta ſigna expectaret. Confeſſarii vero quia ſunt homines, & virtutem penetrandi corda non habent, ideo in hac parte Chriſti exemplum imitari non poſſunt.

Ad II. Opponitur auctoritas Gregorii Magni in libros Regum lib. 6. cap. 15. ubi hæc habet: *Signum veræ converſionis non eſt in oris confeſſione ſed in afflictione pœnitentiæ; tunc namque bene converſum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptiſta, male converſos Judæos ad ſe confluentes increpans, ait: Genimina Viperarum, quis oſtendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In fructu ergo non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoſcenda eſt. Quaſi arbor quippe bona voluntas eſt. Confeſſionis ergo verba, quid ſunt aliud niſi folia? Non ergo nobis folia propter ſe ipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt, quia idcirco omnis confeſſio peccatorum ſuſcipitur, ut fructus pœnitentiæ ſubſequatur. Unde, & Dominus arborem foliis decoram, fructu ſterilem maledixit, quia confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis.* Opponitur doctrina Sacri Concili Tridentini, ſeſſ. 6. capit. 9. *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Opponitur propoſitio damnata ab Innocentio XI. quæ ſic habet. *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore profeſſus ſe dolere, & proponere emendationem.*

Ad III. Dicitur, quod argumentum ſaltē procedere poteſt in caſu neceſſitatis; at extra hunc caſum, non ſufficit interior dolor, ſed neceſſaria eſt illius manifeſtatio, ad hoc ut Confeſſarius ſe moveat ad illum valide abſolvendum. Et hoc patet ex Ivone Carnotenſi epiſt. 228. in qua hæc ſcribit: *Quærit fraternitas tua quomodo inter ſe conveniant Prophetica ſententia, quæ dicit: In quacumque hora peccator ingemuerit, ſalvus erit, & Synodalis, quæ criminum ſua confitentes aliquandiu a Corporis, & Sanguinis Chriſti communione ſuſpendit? ...... Quæ quæſtio facile ſolvitur, ſi interni judicis animadverſio, & humanæ fragilitatis conſideratio didiligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa dilinquentem ſeparet a capite, & corpore, rationis ordo hoc exigit ut internus Iudex tanto remittat celerius, quanto ſolus magis videt interius. Iudex vero, qui tantum videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec, per manifeſtum Pœnitentiæ fructum quis ſit pœnitentis affectus intelligat: Per internum enim gemitum ſatisfacit interno Judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remiſſio: Eccleſia vero, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum, licet reſuſcitatum, niſi de monumento elatum, ideſt publica ſodisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua criminum confitentes a Sacramentorum communione ſuſpendit, & cinere, & cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur ſi jam ſunt interius vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua videbit nec diſſentire Propheticam, & Synodalem ſententiam: cum illa deferat quod ſuum eſt capiti, & iſta concedat quod ſuum eſt corpori.* Hoc ipſum confirmat S. Thomas prima ſecundæ quæſt. 113. art. 10. ad 6. *In operibus miraculoſis invenitur aliquid præterſolitum, & conſue-*

ſuetum ordinem cauſandi affectum: ſicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur præter ſolitum ſanationis, quæ ſit a natura, vel arte; & quantum ad hoc juſtificatio impii, quandoque eſt miraculoſa, quandoque non. Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus juſtificationis, ut a Deo movente interius animam homo convertatur ad Deum, primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat, quia charitas incheata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut dicit Auguſtinus. Quandoque vero tam vehementer animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur; ſicuti fuit in Converſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione, & ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commendatur.

Ad IV. Dicitur, quod deterius eſt periculum, ut Peccatores ſi ſtatim abſolvantur, iterum ad peccata redeant, quam ſi iiſdem abſolutio, vel denegetur, vel differatur. Si autem Confeſſariis ſucceſſeant, eorundem eſt, culpa non Sacerdotum, qui quod faciunt pro pænitentium bono faciunt. Nemo autem debet malum facere ad alterius iracundiam evitandam.

Ad V. Abſurda illa ſequuntur ex mala Pænitentium diſpoſitione, non vero ex bona Confeſſariorum praxi, quæ certe extenuari non debet, vel immutari, ut abſurda illa vitentur, quæ non ab ipſorum diſciplina, ſed ab aliorum obſtinatione dependent.

DISSERTATIO CCCLXXXVIII.

De iis, qui pænitentiam publicam agebant. An eam egerint Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi? An egerint minores Clerici? An inter hos & Laicos in pænitentia publica peragenda fuerit aliquod diſcrimen in Eccleſia obſervatum?

IN diſſertationis titulo nullum fecimus verbum de Laicis, qui pœnitentiæ publicæ adſtringebåtur, ita ipſorum exigentibus criminibus; quia de his nulla eſt inter Scriptores diſſenſio; omnes enim conveniunt, Laicos quacunque dignitate fulgerent, pænitentiæ publicæ obnoxios fuiſſe; quod clare conſtat exemplo Philippi Imperatoris, de quo loquitur Euſebius lib. 6. hiſtoriæ cap. 34. & exemplo Theodoſii, etiam Imperatoriis, quod S. Ambroſius teſtatur.

De Clericis vero Scriptores non conveniunt. Etenim Morinus lib. 4. cap. 20. vult, quod quamvis tribus primis ſeculis eadem fuerit in ſubeunda publica pænitentia Clericorum, & Laicorum conditio; poſt tertium vero ſeculum aſſerit, quod Clerici majores privatim, & in ſeceſſu pænitentiam egerint, licet in ipſorum fuerit libertate publicam agere. Albaſpinæus vero obſervatione 6. & 7. in Optatum aſſerit, quod majoribus Clericis fuerit tantum impoſita depoſitionis pœna, & laica communio. Sunt etiam recentiores, inter quos eſt Natalis Alexander, qui diſtiguunt inter publicam pænitentiam, & manus impoſitionem, quæ ſupra Pænitentes frequenter fiebat, & volunt, quod primæ, non autem ſecundæ, addicti fuerint Clerici majores.

Dicimus I. Majores Clericos, nempe Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, nec tribus primis ſeculis, nec ſequentibus, obnoxios fuiſſe publicæ pænitentiæ.

I. Probatur Concluſio ex Optato Milevitano lib. 2. contra Donatiſtas, qui hos reprehendit, quod ſubjeciſſent Epiſcopos

cōpos, & Presbyteros publicæ pænitentiæ. Et hæc ſunt ejus verba citato loco num. 26. *A vobis occiſi ſunt in honoribus Dei Sacerdotes. Multis notum eſt, & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos, inertia a confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullas eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo factum eſt poſt thurificationem.* Item Optatus lib. 1. num. 24. adducit Melchiadis Romani Pontificis, & decem, & octo Epiſcoporum auctoritatem, per quam damnatus eſt Donatus, quia confeſſus fuerat, quod Epiſcopis lapſis manus impoſuiſſet, quod alienum erat ab Eccleſia. Hæc autem manus impoſitio erat in pænitentiam, ut probat Albaſpinæus obſervatione 6.

II. Probatur ex S. Leone Magno epiſt. 2. alias 92. in qua hæc ſcribit: *Alienum eſt a conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui in presbyterali honore, aut in Diaconii gradu fuerint conſecrati, ij pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem remedium accipiant pænitendi: quod ſine dubio ex apoſtolica traditione deſcendit...... Hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Carthaginenſe V. Anno 398. can. 11. *Confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus, tanquam pænitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur.* Concilium Toletanum IV. Anno 633. can. 29. conceſſit licentiam Clericis, ut agerent pænitentiam publicam, quia eam petebant, non ex neceſſitate, ſed ex pietatis amore. Idem adſtipulantur Concilium Arauſicanum I. can. 4. Anno 441. Concilium Arelatenſe II. Anno 457. Concilium Aurelianenſe I. Anno 511. can. 20. Concilium Toletanum XIII. can. 10.

IV. Probatur ex PP. Hieronymus epiſt. 93. alias 48. conſuluit Sabino Diacono, qui Virginem corruperat, ut pænitentiam ageret in Monaſterio, non coram tota Eccleſia cum Laicis: *Hortatus ſum ut ageres pænitentiam, & in cilicio, & cinere voluta reris, ut ſolitudinem peteret, ut viveres in Monaſterio, ut Dei miſericordiam jugibus lacbrimis implorares.* Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 2. teſtatur, quod Clericis, qui ad Eccleſiam redibant, manus inter Laicos non imponebantur. Proſper lib. 2. de vita contemplativa cap. 7. aſſerit, quod quibusdam Clericis permittebatur publica pænitentia, quia eam petebant, non vero quod ad illam cogerentur.

Arguunt I. Multi ſunt Canones Apoſtolorum, nempe 28. 29. & 61., qui publicam pænitentiam Clericis imponunt. II. Concilium Eliberitanum can. 76. & aliis etiam canonibus publicam pænitentiam Clericis lapſis impoſuit. III. Natalis Epiſcopus habitu pænitentis indutus ad pedes Zephirini Pontificis ſe abjecit, ut teſtatur Euſebius lib. 5. Hiſtoriæ cap. ult. IV. Tertullianus lib. de pænitentia cap. 4. exemplo ſuo peccatores alios ad publicam pænitentiam hortabatur. V. Felix III. Romanus Pontifex epiſt. 7. Imponit publicam pænitentiam Presbyteris, & Diaconis, qui ſe rebaptizari permiſerant. VI. Cyprianus in multis epiſtolis ſuis hanc publicam pænitentiam a majoribus Clericis peragendam memorat.

Reſpondemus ad I. Canones illos non eſſe Apoſtolorum, ſed falſo iisdem adſcriptos fuiſſe. Ceterum & ſi de Pænitentia loquantur, non autem publicam, luctuoſam, atque ſolemnem exprimunt.

Ad II. Dicitur, quod vel Canones illi loquuntur tantum de Diaconis, non vero de Presbyteris, & Epiſcopis, & non eſt certum, quod Diaconos tunc temporis inter majores Clericos comprehenderint: vel quod non loquantur de Pænitentia publica, luctuoſa, & ſolemni, de qua eſt ſermo.

Ad III. Natalis Epiſcopus id non fecit lege compulſus, ſed ex pietatis motivo.

Ad IV. Nec Tertullianus ſe ſatis exprimit de pænitentia publica, ſed de dolore tantum loquitur peccati, quod commiſſum ſupponit.

Ad V. Felix Pontifex intelligendus eſt de pænitentia privata, & non de publica; ut ex ejus verbis clare patet.

Ad VI. Teſtimonia omnia, quæ adduci poſſunt ex Cypriano, optime explicat Albaſpinæus, & ex eo recitat Tournely.

Di-

Dicimus II. Minores Clericos fuiſſe obnoxios quovis ſeculo publicæ pænitentiæ, ſi gravia crimina commiſiſſent.

I. Probatur ex Felice III. Romano Pontifice epiſt. 7. in qua hæc ſcribit. *De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut ſecularibus præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui lapſi ſunt, vel fuerint, ſervandum eſſe conſtituit, ut ſcilicet, qui nulla neceſſitate, nullius rei timore, aut periculo, ſe ut rebaptizentur, hæreticis impie dediderunt: ſi tamen eos ex corde pæniteat tribus annis inter audientes ſint; ſeptem autem annis ſubjaceant inter Pænitentes manibus Sacerdotum: duabus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodo ſecularibus in oratione ſocientur.*

II. Probatur ex Concilio Carthagin. V. can. 11. in quo de Diaconis fit ſermo, non vero de Clericis inferioribus, & hæc ſunt ejus verba: *Item confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus, tanquam pænitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.*

III. Probatur ex Iſidoro lib. 2. de Eccleſiaſticis Officiis cap. 16. qui inter Clericos majores, & minores hanc ſtatuit differentiam, quod majores pænitentiam ſecreto facerent, minores vero publice; & hæc ſunt ejus verba: *Honorum dumtaxat dignitate ſervata, ita ut a Sacerdotibus, & Levitis Deo tantum teſte fiat, a cæteris vero adſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote.*

Dicimus III. Inter Clericos minores, & homines laicos, qui pænitentiam publicam agere debebant, fuiſſe diſcrimen, quod Clerici deponebantur, Laici vero publicæ pænitentiæ adſtringebantur.

Probatur Concluſio ratione, quam affert „ Juenınus, & hæc eſt „ hoc fuiſſe inter „ utroſque diſcrimen, quod quædam „ eſſent crimina, propter quæ tamen Cle„ rici minores mulctarentur ſola depoſi„ tione, nec mirum, cum depoſitio Cle„ rici Laicorum pænitentiæ æquipare„ tur; Ubi Clerici majores fornicatione, „ aut perjurio, aut furto convicti, ſola „ depoſitione, non autem ſegregatione, „ ſeu publica pænitentia damnati fue„ runt canone 25. Apoſtolico, ſtatim „ idem de minoribus educitur canone „ 26. ſimiliter, & reliqui Clerici huic „ conditioni ſubjaceant: Verum non„ nulla alia erant crimina, quæ depoſitio„ ne, & ſegregatione, ſeu pænitentia „ publica, non minus quàm in Laicis „ damnabantur: Subdiaconus (inquit „ Canon inter Apoſtolicos 43.) aut Le„ ctor, aut Cantor ſimilia faciens (hoc „ eſt aleæ, & ebrietati deſerviens, ut ſta„ tutū fuerat canone 42.) aut deſinat, aut „ communione privetur, ſicut Laicus. „

Objiciunt I. Syricius Romanus Pontifex epiſtol. 1. capit. 14. Omnes Clericos eximit a pænitentiæ publicæ jugo his verbis: *Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pænitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita & poſt pænitudinem.* II. Clericis Majores poſt admiſſa crimina in Monaſteriis detrudebantur, ut legitur in Concilio Toletano IV. can. 29. *Si Epiſcopus, aut Presbyter, ſive Diaconus, aut quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Aruſpices aut Ariolos &c. Conſulere fuerit deprehenſus* (inquit canon. 29. quarti Concilii Toletani:) *ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, Monaſterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pænitentiæ deditus ſcelus admiſſum ſacrilegii luat*; nullum autem verbum fit de Clericis minoribus: ergo ſignum eſt, quod hi publicæ pænitentiæ non addicebantur.

Reſpondemus ad I. quod Syricii decretum ad ſolos Clericos majores extendebatur per hæc verba: *Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendarum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Ad quæ verba hæc eſt explicatio Juenini: „ Ea „ verba ad Janitores, Exorciſtas, Le„ ctores, & Acolytos ſpectare non „ poſſunt, cum apud Occidentales tunc „ eis quamvis minime lapſis, licitum „ non eſſet ſacrata vaſa contingere. „ Non poſſunt quoque ad Subdiaconos „ extendi; ſiquidem Syricius novam „ diſciplinam non ſanxerit; oportuit „ igitur ut de iis tantum Clericis locutus „ ſit, de quibus locuti fuerant canones, „ qui ante, & poſt editum illius decre„ tum apud Occidentales obtinebant. „

Ad II. Silentium, ſi quod eſt in illis verbis de Clericis minoribus, potius probat hos damnatos fuiſſe ad publicam pænitentiam: cæterum Juenınus ſubdit, quod idem mos in Clericis inferioribus obtinuit.

DIS-

DISSERTATIO CCCLXXXIX.

De Peccatoribus, qui petunt abſolvi. in abſolvendi ſint, qui adhibere nolunt remedia ſibi a Confeſſario præſcripta? An illi, qui affectum habentem ad mortale peccatum? An illi, qui in peccandi conſuetudine, vel occaſione, verſantur.

Dicimus I. Abſolvendos non eſſe Peccatores pænitentes, qui renuunt adhibere remedia, quæ a Confeſſario illis dantur ad peccata deinceps vitanda.

I. Probatur. Remedia, quæ ſunt præſcribenda a Confeſſariis ad peccata vitanda, ſunt varia, omnia tamen ad illud tendunt, ut peccata non replicentur; ſed hoc eſt neceſſarium, & eſſentiale ad validitatem abſolutionis: ergo ubi hoc deficit, abſolutio dari non debet. Probatur minor. Propoſitum non peccandi de cætero eſt neceſſarium, & eſſentiale ad validitatem confeſſionis; ſed hoc includit illud ipſum, quod dicimus: ergo &c.

II. Probatur. Qui non vult media, quæ conducunt ad finem, oſtendit ſe non velle finem; ſed illi, qui non vult finem confeſſionis, deneganda eſt abſolutio: ergo illi, qui vult uti remediis, quæ ſunt media ad hunc finem, deneganda eſt abſolutio. Major negari non poteſt; eſt enim Theologorum omnium communis doctrina; & de minori propoſitione nulla eſt controverſia.

III. Probatur. In fere omnibus Inſtructionibus, quas Diecæſum Paſtores Confeſſariis dant ad validè abſolvendum, continetur doctrina, de qua loquimur: ergo eſt abſolutè ſervanda. Antecedens patet in Inſtructionibus, quas edidit pro Confeſſariis Cardinalis S. Carolus Borromæus, Mediolanenſis Archiepiſcopus; & in aliis pariter Inſtructionibus, ut apud ipſas videre eſt.

IV. Probatur. Pænitentibus, qui dicunt ſe velle uti remediis a Confeſſario ſibi præſtitis, quando de eorum promiſſione ſervanda Confeſſarius non habet moralem certitudinem, eſt differenda abſolutio: ergo multo magis eſt deneganda Pænitentibus, qui iiſdem remediis uti nolunt. Antecedens patet ex verbis Cleri Romani apud Juenioum, ubi aſſerit Romanam Eccleſiam minimè probare: *Ut properata nimis remedia communicationum, atque non profutura præſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus transgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pænitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe medicus intercepta pænitentia indulget periculis? Tantummodo operit vulnus; nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem.*

Dicimus II. Abſolvendos non eſſe peccatores pænitentes, qui habent affectum ad mortale peccatum.

I. Probatur. Abſolvendi non ſunt, qui reſtituere nolunt, vel damnum, vel injuriam proximo illatam; qui deponere nolunt incentiva ad peccandum; qui ignorant, & diſcere renuunt fidei myſteria, vel quæ neceſſaria ſunt ad proprium ſtatum; ſed iſti ſunt, qui habent affectum ad mortale peccatum: ergo qui habent affectum ad mortale peccatum abſolvendi non ſunt. Major patet ex Confeſſione S. Auguſtini lib. 8. Confeſſionum cap. 5. ubi ſcribit: *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam.... Jam enim, & ipſa terra erat, ego au-*

tem adhuc terræ obligatus, militare tibi recuſabam, & impedimentis omnibus ſic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum eſt. Ita ſarcina ſeculi, velut ſomno aſſolet, dulciter præmebar: & cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur: Et ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omniumque ſano judicio vigilare præſtat, differt tamen plerunque homo ſomnum diſcutere cum gravis torpor in membris eſt, eumque jam diſplicentem carpit libentius, quamvis ſurgendi tempus advenerit: ita certum habebam eſſe melius tuæ charitati me dedere, quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat, hoc libebat, & vinciebat.

II. Probatur. Confeſſarius tenetur interrogare Pænitentem, an habeat affectum ad mortale peccatum: ergo ubi invenerit illum habere hunc affectum, non debet ei impendere abſolutionem. Antecedens eſt doctrina S. Thomæ in 4. Sententiarum diſtinct. 19. in qua hæc habet: *Sacerdos debet ſcrutari conſcientiam peccatoris in confeſſione, quaſi Medicus vulnus, & Judex cauſam, quia frequenter, quæ pro confuſione confitens taceret, interrogatus revelat..... Sed tamen in interrogationibus faciendis tria ſunt attendenda: 1. ut interrogetur peccator de peccatis, quæ conſueverunt in hominibus illius conditionis abundare. 2. ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, niſi de illis, quæ omnibus manifeſta ſunt: De aliis autem adinventionibus peccatorum, ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut ſi commiſit, dicat, ſi non commiſit, non addiſcat. 3. ut de peccatis, præcipue carnalibus, non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias, quia hujuſmodi delectabilia, quanto magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt movere.*

III. Probatur. Abſolvi non debent Pænitentes, qui non habent materiam neceſſariam proximam ad validitatem confeſſionis ſacramentalis; ſed qui habet affectum ad peccatum mortale, non habet diſpoſitionem neceſſariam, & eſſentialem ad validitatem Confeſſionis ſacramentalis: ergo abſolvi non debet. Major negari non poteſt, & neque minor; quia ille talis non habet veram contritionem, neque verum propoſitum non peccandi de cætero; ergo &c.

Dicimus III. Abſolvendos ſtatim non eſſe illos, qui peccandi conſuetudine detinentur.

I. Probatur Concluſio ex Scripturis. Prima Joannis 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*. Quibus verbis edocemur, adeo ex recta confeſſione peccatores pænitentes renaſci ex Deo debere, ut peccatum non faciant. Pſalmorum 1. de peccatore pænitente dicitur: *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet proſperabuntur*. Eccleſ. 27. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol; nam ſtultus ſicut Luna mutatur.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius Papa VII. lib. 7. epiſt. 10. *Infructuoſam pænitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel ſimili, vel deteriori, vel parum minori permaneatur..... Quiſquis digne vult pænitere, neceſſe eſt, ut ad fidei recurrat originem, & quod in Baptiſmo promiſit, diabolo ſcilicet, pompiſque illius abrenunciare, & in Deum credere, videlicet recte de Deo ſentiendo, mandatis ipſius obedire; ſollicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicunque ergo taliter pænituerit (quoniam aliter ſimulatio dici poteſt, non pænitentia) illi peccatorum ſuorum remiſſionem, apoſtolica freti poteſtate largimur*. Innocentius XI. damnavit, & proſcripſit propoſitionem hanc: *Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.*

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Toletanum III. hæc habet: *Quoniam comperimus per quaſdam Hiſpaniarum Eccleſias, non ſecundum Canones, ſed fœdiſſime pro ſuis peccatis homines agere pænitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris ſe reconciliari poſtulent: ideo pro coercenda tam execrabili præſumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut ſecundum formam canonum antiquorum detur pænitentia*. Concilium Provinciale Mediolanenſe IV. *Inſtructiones ad Sacramentorum, & Pænitentiæ, & ſacræ communionis* ad-

adminiſtrandorum uſum, cultumque pertinentes a nobis Concilii Provincialis tertii decreto confectas, atque editas in ſua quiſque Urbe, Diœceſique Epiſcopus ſervari omni diligentia curet. In Inſtructionibus autem S. Caroli hæc leguntur: *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis pænitentibus procraſtinent, quos veriſimile eſt ad peccata iterum lapſuros, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros. Hujuſmodi vero ſunt adoleſcentes otio ut plurimum dediti, qui in ludis, commeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitiis majorem vitæ partem impendunt. Iis pariter accenſeri debent blaſphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii, qui ſemel tantum quotannis tempore Quadrageſimali labente ſeſe Sacerdoti ſiſtunt ad Confeſſionem; ſicut univerſim omnes, qui per multos annos in eadem peccata prolapſi erunt abiecto debitæ correctionis ſtudio.*

IV. Probatur ex Patribus. Cyprianus lib. de Lapſis. *Si quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe cunctis putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, dans ſcilicet pacem nondum pænitentia perfunctis, non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis; provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam: nec miſericordiam prius Dei deprecandam putare, ſed contempto Domino de ſua facultate præſumere.* Et infra: *Hæc ſunt lapſis, quod grando frugibus, quod turbidum ſydus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, & quod navigiis ſæva tempeſtas..... Non concedit pacem iſta facilitas, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta propalatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa, & plena pænitentia deprecetur. Cum ſcriptum ſit: Memor eſto unde excideris, & age pænitentiam.* Auguſtinus lib. 8. Confeſſionum cap. 5. Deum alloquens ait: *Vellem eum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas; Quibus quaſi annullis quibuſdam ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus.*

V. Probatur rationibus. I. Contritio, ut ſit vera, debet eſſe ſtabilis, & conſtans; ſed nequit eſſe hujuſmodi, niſi ſit probata, in Peccatoribus præcipue, de quibus loquimur: ergo iiſdem Peccotoribus pænitentibus, de quibus loquimur, non debet illico impendi abſolutio. II. Quemadmodum animus non cito avertitur a peccandi conſuetudine, præcipue ubi affectum ad peccatum fovet; ita nec cito credi debet ad Deum vere converſus per veram contritionem; ſed illis, qui ad Deum vere non convertuntur per veram contritionem dari non debet abſolutio ſacramentalis: ergo &c. III. Hæc diſciplina, de qua nos loquimur, laudabiliter, & conſtanter in antiqua Eccleſia obſervabatur: ergo etiam in præſenti obſervari debet. Antecedens patet ex iis, quæ in probationibus adduximus. IV. Paſſim Patres aſſerunt, ſollicitas abſolutiones non eſſe beneficia, ſed maleficia, quæ Peccatoribus pænitentibus impenduntur, & potius obeſse lapſis, quam iiſdem prodeſse: ergo non ſunt peccatoribus pænitentibus, de quibus loquimur, concedendæ.

Arguunt I. Dari poteſt caſus, ut qui peccat ex habitu aliquando dum confitetur ſit verè contritus; ſed in tali caſu ei injuſte denegatur abſolutio: ergo illis, qui peccant ex habitu, non eſt deneganda abſolutio. II. Latrori pænitenti fuit ſtatim a Chriſto data peccatorum indulgentia: ergo Chriſti exemplum nos provocare debet, ut ſtatim Peccatores pænitentes abſolvamus. III. Servanda eſt fama Peccatorum pænitentium; ſed in denegatione, vel procraſtinatione abſolutionis eorundem famæ præjudicium irrogatur: ergo non eſt eiſdem, vel deneganda, vel procraſtinanda abſolutio. IV. Poteſt dari caſus etiam, ut Pænitentes, quibus abſolutio, vel denegatur, vel differtur, in deteriora peccata labantur: ergo ut hujuſmodi inconveniens evitetur, non eſt deneganda, vel differenda abſolutio.

Reſpondemus ad I. Quod non ſufficit ad licitam abſolutionem, ut Pænitens ſit vere contritus interius, ſed requiritur etiam, ut exterius talis appareat. Hoc

autem fieri non poteſt illico, & abſque eo quod Confeſſarius ipſius propoſitum experiatur, quod quidem non ſit abſque temporis mora. Hoc vero mire explicat Yvo Carnotenſis in epiſt. 128. *Quærit fraternitas tua, quomodo inter ſe conveniant prophetica ſententia, quæ dicit: In quacumque hora peccator ingemuerit ſalvus erit; & ſynodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquandiu a Corporis, & Sanguinis Chriſti communione ſuſpendit..... Quæ quæſtio facile ſolvitur, ſi interni judicis animadverſio, & humanæ fragilitatis conſideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem ſeparet a capite, & corpore, rationis ordo hoc exigit ut internus judex tanto remittat celerius, quanto ſolus magis videt interius. Judex vero, qui tantùm videt in facie, uſque adeo delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum Pœnitentiæ fructum, quis ſit pœnitentis affectus intelligat: Per internum enim gemitum ſatisfacit interno judici, & idcirco inlata datur ab eo peccati remiſſio: Eccleſia vero, quia occulta cordis ignorat, non ſolvit ligatum licet reſuſcitatum, niſi de monumento elatum, ideſt publica ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes a Sacramentorum communione ſuſpendit, & in cinere, & cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, ſi jam ſunt interius vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbit nec diſſentire propheticam, & ſynodalem ſententiam: cum illa deferat, quod ſuum eſt capiti, & iſta concedat, quod ſuum eſt corpori.*

Ad II. Dicitur, quod in Latrone pœnitente virtutes illæ agnitæ fuerunt a Chriſto, quæ in Pœnitentibus, de quibus loquimur, non agnoſcuntur; vel quod Chriſtus cognoſcebat interiorem illius diſpoſitionem, quam Confeſſarii, ut pote homines, non agnoſcunt; vel quod converſio illa fuit omnino miraculoſa, & quæ non trahit poſt ſe exemplum. Unde S. Thomas prima ſecundæ quæſt. 113. art. 10. ad 6. de Converſione S. Pauli, quæ fuit etiam miraculoſa, ſcribit: *In operibus miraculoſis, præter ſolitum, & conſuetum ordinem eſt vis cauſandi effectum: ſicut cum aliquis infirmus ſanitatem perfectam aſſequitur præter ſolitum ſanationis, quæ ſit a natura, vel arte; & quantum ad hoc, juſtificatio impii, quandoque eſt miraculoſa, quandoque non. Eſt enim iſte communis, & conſuetus curſus juſtificationis, ut a Deo movente interius animam homo convertatur ad Deum, primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat; quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, ſicut dicit Auguſtinus. Quandoque vero tam vehementer animam movet, ut ſtatim quandam perfectionem juſtitiæ aſſequatur, ſicuti fuit in converſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione. & ideo converſio Pauli tanquam miraculoſa in Eccleſia commendatur.*

Ad III. Dicitur, quod utique ſervanda eſt fama Pœnitentibus, ſed ſervatis prius quæ eſſentialiter concurrunt ad Sacramenti pœnitentiæ conſtitutionem. Aliter ſi propoſituo argumentum vim haberet, multa ſequerentur abſurda, & nunquam poſſet abſolutio pœnitentibus, vel denegari, vel differri; nec iis, qui pacem proximo dare nolunt; nec iis, qui injuſte ablata nolunt reſtituere; nec iis, qui verum dolorem, & propoſitum non habent; nec aliis hujuſmodi.

Ad IV. Dummodo Confeſſarii ſuum munus bene adimplere ſatagant, parum aut nihil refert, ſi Peccatores ex ipſorum culpa pejores fiant, ſi iraſcantur, ſi minitentur &c. Unde Cyprianus citato lib. de Lapſis ſcribit. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul, atque inſtruit, fratrem promovet ad ſalutem. Imperitus eſt medicus, qui tum latentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in aliis receſſibus viſcerum mortale virus inclusum dum ſervat, exagerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum? Vociferetur, & clamet, licet & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem.*

DIS-

DISSERTATIO CCCXIC.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. Quinam ſit Miniſter Sacramenti pœnitentię ratione ordinis? Quinam ſit Miniſter Sacramenti pœnitentiæ ratione Juriſdictionis?

DE Miniſtro Sacramenti Pænitentiæ duo quæri poſſunt; I. ſcilicet, quiſnam ille ſit ratione poteſtatis Ordinis? II. Quisnam ille ſit ratione poteſtatis Juriſdictionis? Nos ut conſueta methodo procedamus, I. Enumeramus errores contra I. II. adducimus ſententias circa II. Et quidem.

Primo errarunt Novatiani, qui volebant, nullum ſuiſſe in Eccleſia a Deo inſtitutum Sacramenti Pænitentiæ Miniſtrū, ſed Deum ſoli ſibi poteſtatem remittendi peccata reſervaſſe. Hoc colligit Coccius in theſauro tom. 2. lib. 1. de Pænitentia, art. 3. ex Cypriano, Lactantio, Hjeronymo, Ambroſio, Auguſtino, Paciano &c.

Secundo Joannes Wicleſus aſseruit, Laicum, ſi vir frugi fuerit, clavium poteſtatem a Chriſto accepiſſe. Proinde Martinus V. voluit, quod illi, qui erant ſuſpecti erroris ejuſdem, & ad Eccleſiam revertebantur, interrogandi eſſent, an Chriſtianus, ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, teneatur de neceſſitate ſalutis confiteri Sacerdoti, & non Laico, ſeu Laicis, quantuncumque bonis, & devotis?

Tertio Waldenſes dixerunt, bonum Laicum, non vero malum Sacerdotem, abſolvendi poteſtatem habere. Teſtis eſt Reinerus lib. 5. Coccius vero ſcribit, quod Waldenſes, ſeu potius Piccardi, dicunt, Confeſſionem auricularem nugacem eſſe, & ſufficere ſuam quenque Deo in cubili confiteri peccata; & hoc aſserit ex Enea Sylvio cap. 39. hiſt. Bohemicæ, & ex Joanne Schecta epiſt. ad Eraſmum.

Quarto de Novatoribus omnibus ultimorum temporum refert Cardinalis Pallavicinus lib. 20. Hiſt. Concilii Tridentini cap. 10. quod dicerent, *Sacerdotes non habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi, niſi Spiritus Sancti gratia, & charitate ſint præditi, & non eos ſolos eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtianis eſſe dictum: Quæcunque ſolveritis &c. quorum verborum virtute abſolvere poſſunt peccata.*

Circa ſecundum vero Morinus lib. 8. cap. 23. dixit in capitis titulo „ Diaconis
„ Confeſſionem in extremo periculo au-
„ dire, & Pænitentes reconciliare, a
„ multis Latinis, & multorum ſeculo-
„ rum ſpatio permiſsum fuiſse, apud
„ Grçcos non legitur unquam hoc uſur-
„ patum. Subdit tamen num. 1. hæc
„ verba. Nullus Catholicus dubitat,
„ auctoritatem abſolvendi a peccatis ad
„ ſolos Epiſcopos, & Præsbyteros perti-
„ nere: Hoc enim videtur a Concilio
„ Tridentino definitum ſeſſione 14. cap.
„ 65. *Circa Miniſtrum autem hujus Sa-*
„ *cramenti declarat Sancta Synodus, falſas*
„ *eſſe, & a veritate Evangelii alienas do-*
„ *ctrinas omnes, quæ ad alios quoſdam ho-*
„ *mines præter Epiſcopos, & Sacerdotes,*
„ *clavium miniſterium pernicioſe exten-*
„ *dunt, putantes verba illa Domini,*
„ *quæcunque alligaveritis ſuper terram,*
„ *&c.* Sic & antiqui Patres Latini,
„ & Græci. Lego tamen Latinorum
„ Patrum nonnullos ſententiam iſtam
„ non ita preſse, & ſtricte intelle-
„ xiſse, quin opinarentur urgente ne-
„ ceſſitate, & abſente Epiſcopo, & Preſ-
„ bytero, abſolvendi miniſterium in
„ Diaconos quodammodo tum eſse dif-

fun-

„ fundendum . Monent enim eorum
„ multi in data hypotheſi vicem Epiſco-
„ porum, & Presbyterorum Diaconos
„ quadantenus implere poſſe . „

Dicimus I. Solos Epiſcopos , & Sacerdotes, habere a Chriſto derivatam abſolvendi a peccatis auctoritatem .

I. Probatur ex Scripturis . Matthęi 8. Chriſtus Dominus ſolis Apoſtolis loquebatur, dicens : *Amen dico vobis , quæcumque alligaveritis ſuper terram , erunt ligata , & in Cælo ; & quæcumque ſolveritis ſuper terram , erunt ſoluta, & in Cælo* . Joannis 20. *accipite Spiritum Sanctum , quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis , & quorum retinueritis , retenta ſunt* . Lucæ 5. *Vade, oſtende te Sacerdoti* . Lucæ 17. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus* .

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Innocentius I. in Epiſt. ad Decentium Eugubinum cap. 7. *Cæterum de pondere æſtimando delictorum , Sacerdotis eſt judicare , ut attendat ad Confeſſionem Pœnitentis , & ad fletus , atque lacbrimas corrigentis , ac tum jubere dimitti , cum viderit congruam ſatisfactionem* . Leo Magnus epiſt. 80. „ Ne de ſin-
„ gulorum peccatorum genere libellis
„ ſcripta profeſſio publice recitetur :
„ Cum reatus conſcientiarum ſufficiat
„ ſolis Sacerdotibus indicare confeſſio-
„ ne ſecreta . Quamvis enim plenitudo
„ fidei videatur eſse laudabilis, quæ pro-
„ pter Dei timorem erubeſcere non ve-
„ retur : tamen quia non omnium ejuſ-
„ modi ſunt peccata , ut ea , quæ pæni-
„ tentiam poſcunt , non timeant publi-
„ care , removeatur tam improbabilis
„ conſuetudo, ne multi a pænitentiæ re-
„ mediis arceantur; dum aut erubeſcunt,
„ aut metuunt inimicis ſuis ſua facta re-
„ ferari , quibus poſſint legum conſtitu-
„ tione percelli . Sufficit enim illa con-
„ feſſio, quæ primum Deo offertur, tum
„ etiam Sacerdoti , qui pro delictis pæ-
„ pænitentium precator accedit . Tunc
„ enim demum ad pænitentiam plures
„ poterunt provocari , ſi populi auribus
„ non publicetur conſcientia confiten-
„ tis . Epiſt. 91. Multiplex miſericordia
„ Dei ita lapſibus ſubvenit humanis , ut
„ non ſolum per Baptiſmi gratiam , ſed
„ etiam per pænitentiæ medicinam, ſpes
„ vitæ reparetur æternæ : ut qui rege-
„ nerationis donum violaſſent , proprio
„ ſe judicio condemnantes, ad remiſſio-
„ nem criminum pervenirent ; ſic divi-
„ næ bonitatis præſidiis ordinatis , ut in-
„ dulgentia Dei , niſi ſupplicationibus
„ Sacerdotum nequeat obtineri . *Me-*
„ *diator enim Dei : & hominum homo Je-*
„ *ſus Chriſtus* Hanc præpoſitis Eccle-
„ ſiæ tradidit poteſtatem , ut & confi-
„ tentibus actionem pænitentiæ darent,
„ & eoſdem ſalubri ſatisfactione pur-
„ gatos ad communionem ſacramento-
„ rum per januam reconciliationis ad-
„ mitterent . Gregorius Magnus Ho-
„ milia 26. ſuper Evangelia : Omnis
„ peccator dum culpam ſuam intra
„ conſcientiam abſcondit , introrſum
„ latet , in ſuis penetralibus occultatur :
„ ſed mortuus venit foras , cum pecca-
„ tor nequitias ſuas , ſponte confitetur .
„ Lazaro ergo dicitur : *Veni foras* : ac ſi
„ aperte cuilibet mortuo in culpa dice-
„ retur : Cur reatum tuum intra con-
„ ſcientiam abſcondis ? Foras jam per
„ confeſſionem egredere , qui apud te
„ interius per negationem lates . Ve-
„ niat itaque foras mortuus , ideſt , cul-
„ pam confiteatur peccator . Venien-
„ tem vero foras ſolvant diſcipuli , ut
„ paſtores Eccleſiæ , & pœnam debeant
„ amovere quam meruit , qui non eru-
„ buit confiteri , quod fecit „ Innocentius III. ſerm. 3. de Conſecratione Pontificis : *Gravius peccat Sacerdos, qui peccatum revelat , quam homo , qui committit* .

III. Probatur ex Conciliis . Concilium in Trullo habitum can. 103. „ Opor-
„ tet eos, qui ſolvendi , ac ligandi pote-
„ ſtatem a Deo accepere , peccati qua-
„ litatem conſiderare , & ejus , qui pec-
„ cavit , ad eam converſationem prom-
„ ptum ſtudium , & ſic morbo conve-
„ nientem afferre medicinam : ne ſi in
„ utroque immoderatione utatur , ab
„ ejus , qui laborat ſalute excidat . „ Concilium Cabilonenſe I. cap. 8. *Pænitentibus a Sacerdotibus facta confeſſione indicatur pænitentia*. Concilium Turonenſe III. cap. 22. „ Epiſcopis, & Præſ-
„ byteris diligenti cautela pertractan-
„ dum eſt , qualiter hominibus , ſua de-
„ licta confitentibus, tempus abſtinendi
„ adſcribant , ut juxta modum peccati
„ Pænitentibus abſtinentia indicetur . „ Concilium Rhemenſe cap. 12. Ven-
„ tilata eſt ratio pænitentiæ , ut Sacer-
„ dotes certius intelligerent , quomodo
„ confeſſiones recipere , & pænitentiam
„ ſecundum canonicam inſtitutionem
„ pænitentibus debere indicare „ Conci-

cilium Cabilonenſe II. cap. 32. „ Sed, & hoc emendatione egere perſpeximus, quod quidam, dum confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo conſtat, hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate, peccatur: ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit confeſſio: ſcilicet ut & ea confiteantur, quæ per corpus geſta ſunt; & ea, quibus in ſola cogitatione delinquitur: Inſtruendus eſt itaque peccatorum ſuorum confeſſor, ut de octo principalibus vitiis, ſiue quibus in hac vita difficile vivitur, confeſſionem faciat &c. „ Concilium Generale Florentinum in doctrina de Sacramentis „ Ad oris confeſſionem pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter, Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos, habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris „ Concilium Generale Tridentinum ſeſs. 14. cap. 1. „ Dominus autem Sacramentum Pænitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus, inſufflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſsoribus fuiſſe communicatam univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Novatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam hæreticos, exploſit, atque condemnavit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum Sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi Verbum Dei, & Chriſti Evangelium annunciandi, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem falſo detorquent „ Et in eadem ſeſſione cap. 6. „ Circa Miniſtrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, Clavium miniſterium pernicioſe extendunt; putantes verba Domini: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt alligata, & in Cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cælo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*: Ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcue, contra inſtitutionem hujus Sacramenti, ita fuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit: ſecreta vero per ſpontaneam Confeſſionem, cuicunque factam. Docet quoque etiam, Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti, in ordinatione collatam, tanquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere; eoſque prave ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſse contendunt. Quanvis autem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolum nudum Miniſterium, vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remiſsa eſse peccata; ſed ad inſtar actus judicialis quo ab ipſo, velut à Judice, ſententia pronunciatur. „

IV. Probatur ex Patribus Græcis. Athanaſius, ſermone in illa verba: *Profecti in pagum, qui ex adverſo eſt, invenientes pullum alligatum*: „ Nos ipſos examinemus, num ſoluta ſint noſtra vincula, ut in melius proficiamus. Quod ſi non dum ſoluta ſint vincula, tradas teipſum Diſcipulis Jeſu: adſunt enim, qui te ſolvant pro poteſtate ea, quam a Salvatore acceperunt: *Quæcumque enim ligaveritis, inquit, in terra, erunt ligata & in cælis: & quæ ſolveritis in terra, erunt ſoluta, & in cælis. Et ſi quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Baſilius in quæſtionibus brevioribus interrogatione 288. Neceſſario iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pænitentia etiam veteres illos cernimus ſecutos fuiſſe, quando, & in Evangelio ſcriptum eſt, quod Joanni confitebantur peccata ſua; & in Actis Apoſtolis ipſis, a quibus etiam baptizabantur cuncti: „ Chryſoſtomus lib. 3. de

Sacer-

Sacerdotio capit. 5. *Etenim qui terram incolunt, atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea, quæ in cœlis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, & poteſtatem habent, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata, & in cœlo; & quæcumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta, & in cœlo. Habent quidem, & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos uſque pervadit: uſque adeo ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat; ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet: Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? Quorumcumque enim, ait, peccata remiſeritis, remittuntur eis; & quorumcumque retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro, poteſtas hac una major eſſe queat?*

V. Probatur ex Patribus Latinis. Hilarius ad cap. 18. in Matthæum. *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis apoſtolicæ Judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverunt, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque, aut ſoluti ſint, aut ligati.* Ambroſius ad cap. 16. Matth. *Sacerdos pro officio ſuo, cum peccatorum audivit varietates, ſcit quis ſit ligandus, quis ſolvendus.* Auguſtinus homil. 41. inter quinquaginta. *Non ſolum poſt pœnitentiam ab ebrietate, furto, & cæteris vitiis, ſe homo ſervare debet, ſed ante pænitentiã dum ſanus eſt, quia ſi ad ultimum vitæ ſteterit, neſcit ſi ipſam pænitentiam accipere, ac Deo, & Sacerdoti peccata ſua confiteri poterit. Ecce quare dixit, quia & ante pænitentiam bene vivendum eſt, & poſt pænitentiam melius.* S. Eligius hom. 11. in Cœna Domini. *Omnis peccator intra conſcientiam abſcondit ſe, introrſus latet, in ſuis penetralibus occultatur: ſed mortuus venit foras, dum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro igitur dicitur, Veni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras ſolvant Diſcipuli, ut paſtores Eccleſiæ pœnam amoveant, quam meruit: quia non erubuit confiteri, quod fecit*, Venerabils Beda ad cap. 5. Jacobi. *Confitemini alterutrum peccata veſtra: in hac ſententia illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana, leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari. Porro gravioris lepræ immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.*

VI. Probatur Rationibus I. Confeſſio Sacramentalis fieri debet, ut a Deo dimittantur peccata; Sed Deus ſenſibiliter non dimittit peccata per ſe ipſum, ſed per Miniſtros ſuos, qui ſunt Sacerdotes: ergo Miniſter Sacramenti pænitentiæ ratione Ordinis eſt Sacerdos. Ratio eſt Alenſis part. 4. quæſt. 18. mem. 4. art. 2. §. 2. „ Omne peccatum mortale eſt confitendum, ſive ſit occultum, ſive manifeſtum. Apertum eſt confitendum duplici de cauſa: una eſt ex parte audientis, ſcilicet ut audiat, ſive cognoſcat peccatum, non ut homo, ſed ut Dei Vicarius, ſcilicet per teſtimonium conſcientiæ accuſantis, quæ eſt teſtis divinus: quouſque enim ſic noverit, non eſt ejus ſolvere, aut ligare, & ideo oportet confiteri peccatum, quantumcunque fuerit publicum. Alia eſt ex parte confitentis, ut juſtificetur: Quantumcunque enim aliquis ab alio accuſetur, non propter hoc juſtus judicatur, ſed magis injuſtus. Quando autem homo ſeipſum, qui eſt dignus accuſatione, accuſat, tunc exercet opus juſtitiæ. Et ideo Prov. 18. *Juſtus in principio accuſator eſt ſui*. Similiter, & peccatum occultum confitendum eſt duplici de cauſa: Una eſt ex parte audientis, ſcilicet obligatio ad pœnam, & abſolutio a culpa. Quia enim pro peccato mortali meretur quis pœnam æternam, pro qua immutanda injungenda eſt ſatisfactio temporalis arbitrio Sacerdotis, neceſſe eſt, quod fiat iſti confeſſio peccati occulti. Ex parte confitentis eſt cauſa, ut quod non erubuit in occulto, in conſpectu divinæ majeſtatis,

„ eru-

erubeſcat in conſpectu Sacerdotis. Homo enim carnalis plus erubeſcit oculos hominis, quam Dei. „ II. Neceſſaria eſt oris confeſſio ad ſacramentalem Confeſſionem; ſed hæc fieri non poteſt, niſi Sacerdoti, qui locum Chriſti tenet: ergo &c. Ratio eſt S. Thomæ in opuſc. de Articulis Fidei cap. 14. Secunda pænitentiæ pars eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter, non dividens ea diverſis Sacerdotibus. „ Eſt pariter S. Antonii Paduani in ſerm. Dominicæ 14. poſt Trinitatem: „ Ibi eſt vera confeſſio, ubi ſit percuſſio; ideſt peccatorum reprehenſio, quæ annuntiat omne, quod intus latet. Bene igitur dicit: *Oſtendite vos*; per vos, non per alios. Peccaſti enim per te, ideo per te debes te oſtendere. Sequitur: *Sacerdotibus*. A quibus pænitentia injungitur; ideo per ipſos ſatisfactio figuratur. Per hoc verbum aperte habes, quod peccatores Sacerdotibus ſe debent oſtendere, quibus auctoritas ligandi, & ſolvendi eſt tradita. „ III. Miniſtri Sacramenti pænitentiæ habent a Deo virtutem medendi ulcera peccatorum; ſed hi non ſunt, niſi Sacerdotes: ergo &c. Argumentum eſt Guilhelmi Pariſienſis tract. de pænitentia cap. 4. Cura medicinalis Sacerdotibus injuncta eſt, & omnes eis peccatores, velut ægri medicis, curandi traditi, & commiſſi: quare incumbit eis morbos omnes, & vulnera peccatorum, & totam conſcientiam hominum ægrotantium cognoſcere. Neceſſe igitur habent ægrotantes hujuſmodi morbos ſuos, & vulnera ſua, & totam conſcientiam, Sacerdotibus detegere. „ IV. Sacrificium, quod in Lege veteri offerebatur pro peccatis, per Sacerdotis manum offerebatur; ſed illud erat figura Sacramenti pænitentiæ: ergo &c. Argumentum eſt Nicolai de Lyra ad cap. 5. Jacobi, ad illa verba: *Confitemini alterutrum*; ubi habet: „ Ex quo patet, quod confeſſio debet fieri non ſolum Deo, ſed etiam hominibus. Unde, & in Lege veteri ſacrificia, quæ offerebantur Deo pro peccatis, offerebantur per manum Sacerdotis.

Arguunt I. Antiquitus urgente neceſſitate fuit mos confitendi Laicis: ergo Miniſtri Sacramenti pænitentiæ, ratione ordinis, non ſunt Sacerdotes. II. Auguſtinus in epiſt. ad Fortunatum refert exemplum confeſſionis Laico factæ per hæc verba. *Cum in navi quadam nullus eſſet præter unum Pænitentem, cæpit imminere naufragium: Erat ibi quidam non immemor ſalutis ſuæ, & Sacramenti vehementiſſimus flagitator: nec erat aliquis, qui dare poſſet, niſi Pænitens ille. Acceperat enim, ſed pro peccato, de quo agebat, Pænitentiam, amiſerat Sacramentum. Nam ſi hoc amittunt peccantes, cum reconciliantur poſt pænitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat, & ne periculoſe vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipſo, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret; & factum eſt, & naufragium evaſerunt. Cognitum habes, quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut conſiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuiſſe: Motus enim animus religioſus, & ſupplex ab homine exigit Sacramentum, a Deo ipſo impetravit Sanctitatem.* III. Idem Auguſtinus lib. de vera & falſa pænitentia ait: *Tanta eſt vis Confeſſionis, ut ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pænitens non poteſt confiteri coram Sacerdote, quem deſideranti, nec locus, nec tempus offert.* IV. Albertus Magnus in 4. diſtinct. 17. artic. 58. concedit cuicunque Laico abſolvendi poteſtatem, quæ remittat peccata, dicens: „ Eſt poteſtas abſolvendi ex auctoritate, quæ eſt Dei: Eſt poteſtas ſuperexcellentiæ, & hæc eſt Chriſti hominis &c. Tertia poteſtas eſt ex vitæ merito, & ſuffragiis orationum; & hæc Sanctorum in Eccleſia, qua unus alii meretur primam gratiam, quæ abſolvit a peccatis. Alia autem poteſtas ex officio Miniſtrorum conceſſa Sacerdotibus; Et ultima ex unitate fidei, & charitatis; & hæc pro neceſſitatis articulo deſcendit in omnem hominem ad proximo ſubveniendum; & hanc poteſtatem habet laicus in articulo neceſſitatis, & mulier ſimiliter. „

Reſpondemus ad I. Negando morem illum, de quo loquitur argumentum; nunquam enim in uſu fuit, ut Pænitentes laicis peccata ſua confiterentur; & nunquam poterunt Adverſarii, ſi qui ſunt, exempla iu contrarium afferre.

Ad III. Dicitur, quod non fuit illa, de qua loquitur Auguſtinus, confeſſio ſacramentalis; ſed tantum confeſſio quædam ob pietatis excitationem facta, nec neceſſaria, nec ſufficiens.

Ad III. Liber ille de vera, & falſa pœnitentia, non eſt Auguſtini; non enim in lib. ejus retractationum, nec in Indiculo Poſſidii continetur; ut apud Bellarminum, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, videre eſt.

Ad IV. Dicitur, quod Albertus Magnus exiſtimavit Confeſſionem illam habuiſſe valorem ex fide, dolore, & merito Confitentis, ſaltem quoad actus contritionis; & confitendi deſiderium; non autem ex poteſtate laici, qui in nullo caſu authoritatem habere poterat abſolvendi ſacramentaliter.

Pro ſecunda vero Diſſertationis parte, in qua quæritur; quinam ſit Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ ratione Juriſdictionis? Scire prius oportet, quod Poteſtas Juriſdictionis eſt poteſtas regendi & gubernandi plebem ſibi ſubjectam; & duplex eſt, Ordinaria ſcilicet, & Delegata; Prima habetur ex officio, & illis omnibus competit, qui ex officio, & ex beneficio curam habent animarum; ut ſunt Pontifices, Epiſcopi, Parochi &c. Altera vero competit ex commiſſione, & delegatione. Senſus igitur quæſiti eſt; an ultra ordinis poteſtatem, quæ Sacerdotibus omnibus communis eſt, requiratur etiam in Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ juriſdictio in certas Perſonas; ſive ordinaria, ſive delegata, ut earum Confeſſionem poſſit valide audire, & eaſdem valide abſolvere?

Dicimus II. Requiri in Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, ultra ordinis poteſtatem, juriſdictionis quoque poteſtatem, quæ ſit ab illa diſtincta.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. can. 21. habet: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſt quam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Eucharistiæ Sacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſiis publicetur; ne quiſquam ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſe non poſſit ſolvere, vel ligare.* Quid proprii Sacerdotis nomine intelligatur, in ſuperioribus fuſe diximus, atque probavimus; pro modo ſufficiat tantum obſervare, quod non nominatur quilibet Sacerdos, qui habet poteſtatem Ordinis, ſed Sacerdos proprius, qui ultra poteſtatem Ordinis habet etiam poteſtatem juriſdictionis. Concilium Eliberitanum can. 32. Concilium Carthaginenſe III. can 32. hoc idem aſſerunt. Concilium Florentinum in Decreto: *Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ eſſe Sacerdotem habentem auctoritatem abſolvendi, ordinariam, vel ex commiſſione Superioris.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

II. Probatur ex Patribus. Baſilius Magnus in Regulis fuſius diſputatis reſponſione 26. *Debet unuſquiſque eorum, qui inferiores ſunt, ſi quidem memorabilem ullam progreſſionem facere ſtudet, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini Noſtri Jeſu Chriſti eſt conſentanea pervenire, cum nullum animi ſui motum apud ſe ipſum celatum retinere, tum in ſermone nihil non diligenti ante cura non conſideratum proferre, ſed mentis ſuæ arcana aperire fratribus iis, quibus datum illud negotium ſit, ut adhibitis facilitate, & miſericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, ut & quod laude dignum ſit in nobis confirmetur: & quod minus probandum, congruo remedio ſanetur: atque ex hujuſmodi mutua exercendi inter eos conſuetudine per modicas acceſſiones ad perfectionem perveniamus.* Joannes Climacus gradu 4. *Ante omnia vero culpas noſtras præclaro judici noſtro ſoli confiteamur, omnibuſque, ſi ille ita juſſerit, confiteri parati ſimus. Nam in lucem*

educta

educta vulnera nunquam in deterius proficient, ſed ſanabuntur &c. Quia habes nonnullos, qui peccata necdum confeſſi ſunt: quocirca illos jam ad Confeſſionem hoc exemplo provoco, qua ſine nullus remiſſionem petictur. Hilarius cap. 18. in Matt. *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverunt, ideſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint confeſſione, videlicet veniæ receperint in ſalutem, apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque, aut ſoluti ſint, aut ligati.* Caſſiodorus in Pſalm. 6. *Eſt quoddam judiciale genus, in quo reus conſpectibus Judicis præſentatus aſſiſtit, peccatum ſuum lacbrymis diluens, & confitendo diſſolvens, ſummum genus defenſionis aſſerens, quo ſe ipſe condemnat: hic non eſt accuſator extraneus, ſed ipſe accuſator eſt ſuus: meretur veniam, qui ſe non excuſat a culpa. Sola igitur neceſſaria eſt, quæ dicitur Confeſſario, cum reus non id quod factum eſt defendit, ſed ut ignoſcatur expoſtulat.*

I. Probatur Rationibus. I. Conveniunt omnes Catholici, Sacramentum Pænitentiæ eſſe inſtitutum a Deo per modum Judicii; ſed nullum eſſe poteſt judicium, niſi ſupponatur in eo, qui judicat, jurisdictio: ergo jurisdictio neceſſaria eſt in Miniſtro Pænitentiæ. II. Actus miniſtri Sacramenti Pænitentiæ eſt actus ab auctoritate dependens; ſed auctoritas includit jurisdictionem; ergo Miniſter ſacramenti pænitentiæ ut valide, & licite agat, debet habere jurisdictionem. III. Supponuntur ſubditi, qui confitentur, & abſolvuntur a pænitentiæ ſacramenti Miniſtris: ergo in iſtis ſupponitur jurisdictio.

Objiciunt I. Urbanus II. *Ordinavit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad Pænitentiam ſuſcipere, ſine ejus conſenſu, cui prius ſe commiſit*; & refertur capit. *Placuit, de Pænitentia*: ergo prius licebat cuilibet Sacerdoti confeſſiones audire, & pænitentes abſolvere. II. Quilibet Sacerdos ſicut in ſua ordinatione recipit poteſtatem in Corpus Chriſti verum, ita recipit poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum; ſed poteſtas in Corpus Chriſti myſticum inportat jurisdictionem: ergo quilibet Sacerdos habet poteſtatem juriſdictionis. III. In caſu mortis quilibet Sacerdos poteſt abſolvere pænitentem; ſed in tali caſu quilibet Sacerdos non habet jurisdictionem; ergo non requiritur jurisdictio. IV. Quilibet Sacerdos poteſt abſolvere a venialibus, & etiam a mortalibus, alias rite confeſſis; ſed hoc fieri non poteſt ſine juriſdictinne: ergo &c.

Reſpondemus ad I. Quod in textu allato non agitur de pænitentia ſacramentali, ſed tantum de pænitentia publica, ut ait Fraſſen, qui ſubdit „ & de-
„ cernitur, ne aliquis agendo ſolem-
„ nem Pænitentiam poſtquam commiſ-
„ ſus eſt uni Sacerdoti, ut illam juxta
„ illius judicium, & præſcriptum agat,
„ poſſit ſine hujus Sacerdotis licentia
„ alteri ſe committere in eadem cauſa;
„ niſi forte Sacerdos ille, cui ſe primo
„ commiſerat, ei injunxiſſet aliquid in-
„ decens propter ignorantiam: hoc
„ enim in caſu poſſet alterum conve-
„ nire. „

Ad II. Dicitur, quod quanvis quilibet Sacerdos in ſua ordinatione recipiat poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum, recipit tamen illam inchoatam, & incompletam, quia nondum ei aſſignantur ab Eccleſia Subditi, in quibus poteſtatem illam exerceat; recipit tamen quando ab Eccleſia ei aſſignantur Subditi, in quibus poteſtatem illam exerceat, & tunc poteſtas dicitur completa, quæ eſt jurisdictio.

Ad III. In caſu mortis ipſamet Eccleſia dat omnibus Sacerdotibus poteſtatem abſolvendi, adeoque jurisdictionem; quod docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. dicens. *Veruntamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt.*

Ad IV. Quia Pænitens non tenetur confiteri venialia, nec mortalia, alias rite confeſſa; ideo cenſetur quod Eccleſia in illis caſibus dat cuilibet Sacerdoti facultatem, & jurisdictionem licite Pænitentes abſolvendi.

DISSERTATIO CCCXCI.

De Reſervatione abſolutionis. An hæc ſit apud Pontifices, & Epiſcopos? An Regulares Privilegium habeant abſolvendi a reſervatis? An poſſit abſolvi in ea Diœceſi, in qua non ſunt reſervata?

QUia ad Eccleſiæ Prælatos pertinet Sacerdotes approbare, ſeu illis jurisdictionem tradere, ut licite, & valide confeſſiones excipiant, & Pænitentibus abſolutionem impendant; quod docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 15. *Decernit Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat*: Inde eſt, quod ad eoſdem Prælatos quoque pertinet poteſtas peccata quædam ſibi reſervandi, quæ ſine ipſorum licentia Confeſſarii abſolvere non poſſunt, quamvis ad confeſſiones audiendas, ab ipſiſmet Prælatis ſint approbati. Proinde

Dicimus I. Inferiores Sacerdotes non poſſe valide & licite abſolvere Pænitentes, niſi a Pontifice, vel ab Epiſcopis ſint approbati.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Pius IV. in Conſtitutione, *in Principis Apoſtolorum*, revocat ad terminos Tridentini Concilii privilegia Regularibus conceſſa, dicens: *Omnia illa & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, indulta, confeſſionalia, Maremagnum, & aliæ gratiæ in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa ſtatutis, & decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata, ac ad ipſius Concilii terminos, atque limites reducta ſint, & eſſe cenſeantur.* Urbanus VIII. S. P. in Bulla, quæ incipit: *Cum ſicut accepimus; omnia, & ſingula indulta hujuſmodi audiendi ſecularium confeſſiones, abſque Ordinarii examine, & approbatione, quibuſvis Collegiis, Capitulis, apoſtolica auctoritate ..... conceſſa, tenore præſentium caſſamus, revocamus, tollimus, abrogamus, & annullamus.* Alexander VII. has propoſitiones damnavit anno 1665. die 24. Septembris, nempe XX. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate*; & XIII. *Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.* Et anno 1666. die 18. Martii damnata eſt ab eodem Pontifice hæc altera propoſitio: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per concilium Tridentinum.*

II. Probatur ex Conciliis. Ultra Concilium Tridentinum, cujus verba nuper adduximus, hoc ipſum decernunt particularia Concilia plura, præcipue in Galliis celebrata; nempe Rothomagenſe, anno 1581. Burdigalenſe anno 1583. Aquenſe anno 1585. Toloſanum anno 1590. Narbonenſe anno 1609. Et nomine omnium Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1625. 1635. 1545. *Nullus ſit ita temerarius, ut ingerat ſe audiendis confeſſionibus, quin ad id facultatem ſcripto traditam ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali, obtinuerit. Et Religioſi, quamvis exempti ab illius juriſdictione, excipere non poterunt confeſſiones, quin prius examen ſubierint, ab eoque aut ejus Vicario generali approbati fuerint, ex quorum nutu pendebit,*

ut

ut indefinitam, aut ad tempus ſolum facultatem concedant.

III. Probatur Rationibus I. Ab illo recipi debet approbatio, a quo recipitur jurisdictio; ſed jurisdictio accipitur a Summo Pontifice, & ab Epiſcopis: ergo ab iisdem concedi debet approbatio. II. Jurisdictio eſt concedenda non cæco modo, ſed prævia ſcientia concedentis idoneitatis illius, cui traditur; ſed hæc idoneitas cognoſci non poteſt, niſi prævio examine ejusdem: ergo ſi Eccleſiæ Prælati poſſunt Confeſſarios examinare, poſſunt etiam illos approbare. III. Jurisdictio importat determinationem, & deſignationem ſubditorum, ſupra quos ipſa debet exerceri; ſed hæc determinatio, & deſignatio includit approbationem illius, cui traditur juriſdictio: ergo &c. IV. Judicium, quod ferre debent Confeſſarii in foro pænitentiali, eſſe debet doctrinale, & prudentiale; ſed hoc eſſe nequit ſine examine illorum: ergo eſſe nequit pariter ſine illorum approbatione.

Obſtant I. In Clementina *Dudum*, quæ fuit edita in Concilio Generali Viennenſi, fuit data Mendicantibus facultas audiendi confeſſiones, dummodo tantum ab Epiſcopis approbationem peterent, quanvis non obtinerent: ergo non eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi. II. Leo X. decrevit in Conſtitutione, quæ fuit publicata in Concilio Lateranenſi, ut qui confiterentur Regularibus præſentatis, admiſſis, vel etiam indebite recuſatis, ſatis facerent Canoni *utriuſque ſexus*. III. Si eſſet neceſſaria approbatio Epiſcopi, eſſet neceſſaria approbatio Epiſcopi Pænitentis, Epiſcopi Confeſſarii, & Epiſcopi illius loci, in quo Confeſſarius confeſſiones audit; ſed hoc eſſet nimis durum: ergo &c. IV. Si eſſet neceſſaria approbatio, eſſet etiam neceſſarium examen; ſed hoc ab Epiſcopis aliquando omittitur: ergo nec eſt neceſſarium examen, nec eſt neceſſaria approbatio.

Reſpondemus ad I. Quod in Concilio Tridentino fuit derogatum privilegium, quod in Clementina *Dudum* Regularibus concedebatur.

Ad II. Eadem eſt reſponſio; ſicut etiam pari modo reſpondetur ad Extravagantem Benedicti XI. quæ incipit, *Inter cunctas*.

Ad III. Dicitur, quod eſt tantũmodo neceſſaria approbatio Epiſcopi illius Diœceſis, in qua Sacerdos confeſſiones audit; & ratio eſt, quia illius tantũ neceſſaria, & ſufficiens eſt approbatio, a quo jurisdictio accipitur; ſed jurisdictio accipitur ab Epiſcopo illius Diæceſis, in qua Confeſſiones audiuntur: ergo illius tantum requiritur approbatio.

Ad IV. Examen ideo præcedere debet approbationem, ut Epiſcopus ſit conſcius idoneitatis illius, quem approbat; atqui dari poteſt caſus, in quo Epiſcopus hanc ſcientiam habeat abſque examine: ergo in tali caſu, non eſt neceſſarium examen, eſt tamen neceſſaria approbatio.

Dicimus II. Eſſe in Summo Pontifice, & in Epiſcopis, poteſtatem ſibi reſervandi peccata quædam, a quibus alii Confeſſarii, etiam Regulares, abſolvere non poſſunt.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Gregorius XIII. anno 1577. ad caſum propoſitum; *An Regularibus ex privilegio a Sede Apoſtolica impetrato, & præſertim ex eo quod nominant: Maremagnum; poſſint in caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſervaverit, abſolvere pænitentes?* Et reſpondit: *Sanctitas Sua cenſuit ex facultatibus per hoc Maremagnum, aliare privilegia, Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopis reſervatis.* Clemens VIII. anno 1601. die 9. Januarii: „ Sacra Congregatio Sanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ Cardinalium negotiis,
„ & conſultationibus Epiſcoporum, &
„ & Regularium præpoſita, juſtis, &
„ gravibus cauſis id exigentibus, ac de
„ SS. D. N. Clementis VIII. ſpeciali
„ mandato, vivæ vocis oraculo deſuper
„ habito, Sacerdotibus omnibus, tam
„ Secularibus, quam Regularibus, per
„ univerſam Italiam extra Urbem de-
„ gentibus, ad confeſſiones audiendas
„ probatis, quorumvis Ordinum, etiam
„ Mendicantium, militiarum, aut con-
„ gregationum, etiam Societatis Jeſu,
„ quarumcumque aliarum, quovis no-
„ mine nuncupentur; jubet, & præcipit,
„ ne quis eorum ſub prætextu privile-
„ giorum, indultorum, aut facultatum
„ generaliter, vel ſpecifice, ſcripto,
„ aut vivæ vocis oraculo, vel per com-
„ municationem a Sede Apoſtolica, vel
„ ejus authoritate, eorum Ordinibus,
„ Congregationibus, Collegiis, vel So-
„ cietatibus, aut archiconfraternitati-
„ bus

„ bus ſecularium, aut ſingulis perſonis.
„ ſeu alias quomodocumque, ſub qui-
„ busvis tenoribus, formis, & clauſulis,
„ etiam derogatoriis, ad cujusvis etiam
„ Imperatoris, aut aliorum Principum
„ inſtantiam conceſsarum, ſeu confir-
„ matarum, alicui cujusvis ſtatus, gra-
„ dus, & conditionis, aut dignitatis,
„ tam Eccleſiaſticæ, quam Secularis,
„ etiam Regiæ, vel Imperialis; ab ullo
„ ex caſibus clare, vel dubie in Bulla
„ die Cœnæ Domini legi ſolita conten-
„ tis, vel alias quomodcumque Sedi
„ Apoſtolicæ reſervatis, aut in futurum,
„ & per Sanctitatem ſuam, ejusve ſucceſ-
„ ſores pro tempore, in eadem Bulla,
„ vel aliter reſervatis; nec etiam, a
„ caſibus, quos Ordinarii locorum hac-
„ tenus reſervarunt, vel impoſterum
„ ſibi reſervabunt, nullo caſu etiam ne-
„ ceſſitatis, vel impedimenti, niſi in
„ mortis articulo, ſeu cum nova, vel
„ ſpeciali Sanctitatis ſuæ, aut Succeſ-
„ ſorum ſuorum, vel Ordinariorum,
„ quoad caſus ad ipſos tantum reſerva-
„ tos reſpective, impetrata inſcriptis
„ licentia, Ordinariis locorum exhiben-
„ da, abſolutionis beneficium de cœte-
„ ro impendere audeat, aut præſumat.
„ Sed cum opus fuerit pænitentes ad ſu-
„ periores legitimosque judices accede-
„ re conſulant: ſub pœna contrafacien-
„ tibus, tam Regularibus, quam Secu-
„ laribus excommunicationis &c. Præ-
„ terea noverint Pænitentes, abſolu-
„ tionem, ſi quam obtinebunt, contra
„ hujusmodi prohibitionem, eſſe nullam,
„ nulliuſque roboris, & momenti. „
Urbanus VIII. anno 1628, die 8. No-
vembris „ Sacra Congregatio S. R. E.
„ Cardinalium negotiis, & Conſultatio-
„ nibus Epiſcoporum, & Regularium
„ præpoſita cenſuit, per confirmationes
„ privilegiorum, quas Regulares a Sede
„ Apoſtolica poſt Sacrum Concilium
„ Tridentinum obtinuerunt, nequaquā
„ revixiſse privilegia prius ab eodem
„ Concilio, ac deinde etiam ipſius Con-
„ gregationis decretis ſublata atque ex-
„ tincta, ſi quæ habebant, abſolvendi a
„ caſibus Ordinario loci reſervatis.
„ Quemadmodum neque indulta abſol-
„ vendi a caſibus contentis in Bulla, quæ
„ in die Cœnæ Domini legi conſuevit,
„ ut pote ſublata per annuam ipſius Bul-
„ læ publicationem, vires, aut robur ac-
„ quiſiviſſe ex ſubſequentibus privile-
„ giorum confirmationibus, ac proinde
„ Regulares cujusvis Ordinis, Congre-
„ gationis, Societatis, & inſtituti etiam
„ neceſsario exprimendi, nec extra Ita-
„ liam in vita privilegiorum, aut con-
„ firmationum hujuſmodi, quas vel ha-
„ ctenus obtinuerint, vel deinceps forte
„ obtinebunt, poſſe quempiam abſolve-
„ re ab eisdem caſibus in Bulla Cœnæ
„ Domini, aut Ordinario loci reſerva-
„ tis. At ſi ſecus egerint, abſolutiones
„ nullas, atque irritas fuiſſe, ac fore:
„ ab aliis vero caſibus, & cenſuris Sedi
„ Apoſtolicæ reſervatis, ſiquidem Re-
„ gulares habeant a Sede Apoſtolica
„ abſolvendi facultatem, illam extra
„ Italiam nemini ſublatam fuiſſe iisdem
„ Sanctæ Congregationis decretis hac
„ de re editis juſſu ſanctæ memoriæ Cle-
„ mentis VIII. quam Sacræ Congrega-
„ tionis Sanctitas Sua ad re relatam ap-
„ probavit, mandavitque ab omnibus,
„ ad quos pertinet inviolabiliter obſer-
„ vari „ Clemens X. ann. 1670. de-
claravit I. „ Ex facultatibus per Ma-
„ re magnum aliave privilegia Regula-
„ ribus cujuſcumque Ordinis, inſtituti,
„ aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis
„ factam eis non eſſe poteſtatem abſol-
„ vendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi re-
„ ſervatis. Declaravit II. Per confir-
„ mationes dictorum privilegiorum,
„ quas Regulares a Sede Apoſtolica poſt
„ Sacrum Concilium Tridentinum ob-
„ tinuerunt, nequaquam reviriſſe pri-
„ vilegia prius ab eodem Concilio, aut
„ deinde Apoſtolicis etiam decretis ſu-
„ blata, atque extincta, ſi quæ habebant
„ abſolvendi a caſibus Epiſcopo reſer-
„ vatis. Declaravit III. habentes facul-
„ tatem abſolvendi ab omnibus caſibus
„ Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo
„ poſſe abſolvere a caſibus, quos Epiſco-
„ pi ſibi reſervaverint.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium
Tridentinum ſeſſ. 14. cap. [illegible]. „ Neque
„ dubitandum eſt, quando omnia quæ
„ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc
„ idem (ideſt reſervatio caſuum) Epiſ-
„ copis omnibus in ſua cuique Diœceſi
„ in ædificationem tamen, non in deſtru-
„ ctionem, liceat pro illis in ſubdi-
„ tos tradita ſupra reliquos inferiores
„ Sacerdotes authoritate, præſertim
„ quoad illa, quibus excommunicatio-
„ nis cenſura annexa eſt. Hanc autem
„ delictorum reſervationem conſonum
„ eſt divinæ authoritati, non tantum in
„ externa politia, ſed etiam coram Deo
„ vim

„ vim habere. Verumtamen pie admo-
„ monendũ, ne hac ipſa occaſione aliquis
„ pereat, in eadem Eccleſia Dei custo-
„ ditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſer-
„ vatio in articulo mortis: atque ideo
„ omnes Sacerdotes quoslibet pænitem-
„ tes a quibusvis cenſuris, & peccatis
„ abſolvere poſſunt, extra quem arti-
„ culum, Sacerdotes cum nihil poſſint
„ in caſibus reſervatis, id unum pæni-
„ tentibus perſuadere nitantur, ut ad
„ ſuperiores, & legitimos judices pro
„ beneficio abſolutionis accedant. „
& can. 11. ejusdem ſeſſ. „ Si quis di-
„ xerit, Epiſcopos non habere jus reſer-
„ vandi ſibi caſus, niſi quoad externam
„ politiam, atque ideo caſuum reſerva-
„ tionem non prohibere, quo minus Sa-
„ cerdos a reſervatis vere abſolvat; ana-
„ thema ſit: „ Concilium Vienneſe
ſub Clemente V. concedit quidem
Regularibus multa privilegia, ſed non
plura illis, quæ Parochis conceſſa in-
veniuntur: Parochis autem non eſt
conceſſum privilegium abſolvendi a
reſervatis: Unde ait Clemens præfa-
tus: „ Per hujuſmodi autem conceſ-
„ ſionem, nequaquam intendimus per-
„ ſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter
„ deputatis, poteſtatem in hoc impen-
„ dere ampliorem, quam in eo Curatis
„ vel Parochialibus Sacerdotibus eſt a
„ Jure conceſſa: niſi forſan eis Eccleſia-
„ rum Prælati uberiorem in hac parte
„ gratiam ſpecialiter duxerint facien-
„ dam. „ Et refertur in Clementina
Religioſi, ubi dicitur ab eodem Pon-
tifice „ Quibus etiam *Religioſis*, in
„ virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub in-
„ terminatione maledictionis æternæ
„ diſtrictius inhibemus, ne in caſibus Se-
„ di Apoſtolicæ, aut locorum Ordina-
„ riis reſervatis quemquam abſolvere,
„ præſumant. „ Concilium Mediola-
nenſe III. „ Ne Confeſſarii regulares
„ eorum peccatorum, quorum abſolutio
„ Epiſcopo reſervata eſt, vinculis inte-
„ ritos pænitentes abſolvant, quemad-
„ modum a Sede Apoſtolica declaratum
„ eſt, id eis non licere, quavis privile-
„ giorum ſuorum authoritate. „ Con-
„ cilium Mediolanenſe XV. . Ab iis
„ caſibus maxime promulgatis, ſi quis
„ Confeſſarius cujuſuis Ordinis, ſine
„ facultate ſcripto ab Epiſcopo data,
„ aliquem abſolvere auſit, excom-
„ municationis pœnam ipſo facto ſu-
beat. „ Concilium Burdigalenſe
ann. 1583. „ Sunt (ſicut accepimus)
„ nonnulli Sacerdotes, qui terminis ſuis
„ non contenti, paſſim, & ſine diſcri-
„ mine ab omnibus peccatis quantumvis
„ atrocibus, delinquentes cum maximo
„ ſuæ, & illorum ſalutis periculo abſol-
„ vere præſumunt. Nos huic malo oc-
„ currere cupientes præſenti decreto
„ omnibus Parochis, & aliis Sacerdoti-
„ bus, confeſſionibus audiendis præfectis,
„ ſub excommunicationis pœna prohi-
„ bemus, ne deinceps a peccatis & a cri-
„ minibus atrocioribus, quorum cogni-
„ tionem, & abſolutionem ſibi Summus
„ Pontifex, aut Epiſcopus in ſuis con-
„ ſtitutionibus Synodalibus reſervarunt,
„ quemquam abſolvere, ſed ejuſmodi
„ criminum reos ad Epiſcopos ſuos
„ amandent, ut vel ipſi, cauſa cognita,
„ eos abſolvant, vel ad Summum Pon-
„ tificem abſolvendos mittant: decla-
„ rantes abſolutionem in prædictis cri-
„ minibus abſque certa, & præcipua
„ SS. D. Noſtri Papæ, vel propriorum
„ Epiſcoporum conceſſione, per Paro-
„ chos, & alios Sacerdotes, præterquam
„ in mortis articulo, datam, viribus
„ penitus carere, & nullam eſſe. „

III. Probatur Rationibus. I. Ille poteſt negare, qui poteſt concedere; ſed Pontifices, & Epiſcopi poſſunt concedere juriſdictionem Confeſſariis; ergo poſſunt etiam illam, vel negare, vel reſtringere, vel limitare. II. Præcipuum paſtorale onus incumbit Eccleſiæ Prælatis, a quibus deinde in alios derivatur, præcipue in Regulares, qui ſunt eorundem delegati: ergo Eccleſiæ Prælati poſſunt, vel concedere, vel reſervare abſolutionem peccatorum, prout ipſis magis ad ſalutem gregis convenire videbitur. III. Eccleſiæ Prælati ſupponuntur conſcii pluſquam cæteri infirmitatum, & indigentiarum Ovium, quas regunt: ergo ad ipſos præcipue ſpectat quorundam peccatorum abſolutionem uni Confeſſario concedere, & alteri denegare. IV. Quicunque Confeſſarii, ſive ſint Sacerdotes ſeculares, ſive ſint Sacerdotes Regulares, ideo abſolvunt, quia ab Epiſcopis approbantur, & ab iiſdem abſolvendi munus accipiunt: ergo illas perſonas poſſunt abſolvere, & ab illis caſibus, prout iiſdem ab Epiſcopis demandatur.

Objiciunt I. In articulo mortis nulla eſt peccatorum reſervatio: ergo ſaltem

in

Digitized by Google

in illo caſu pro reſervatis oon eſt neceſſaria Pontificis vel Epiſcoporum conceſſio. II. Epiſcopi poſſuot abſolvere a caſibus Summo Pontifici reſervatis: ergo ſaltem reſpectu Epiſcoporum, nulla eſt reſervatio Summorum Pontificum. III. Qui confitetur peccata reſervata Confeſſario habenti facultatem, & invalide confitetur, nou tenetur eadem iterum confiteri: ergo ſaltem in eo caſu nulla eſt reſervatio peccatorum. IV. Poſſunt Pænitentes valide abſolvi in aliena Diæceſi, in qua peccata non ſunt reſervavata: ergo nec pariter tunc locum habet reſervatio peccatorum.

Reſpoodemus ad I. Ideo io mortis articulo nulla eſt peccatorum reſervatio, quia Eccleſiæ Prælati, qui peccata poſſunt reſervare, & noo reſervare, ſic voluerunt; & declararunt, quod io mortis articulo reſervatio peccatorum ceſſet; & hoc ut Pæoitentibus facilior via ad ſalutem aperiatur, quum poſſint a quocunque Coofeſſario abſolvi.

Ad II. Dicitur, quod Epiſcopi poſſunt abſolvere a caſibus Summo Pontifici reſervatis pæniteotes illos, qui legitimo impedimento detinentur, ne Summum Pontificem adeaot; ut habetur ex capite *Mulieres* ex capite *ea noſcitur*, ex capite *Quamvis &c.* Item Epiſcopi poſſunt abſolvere a caſibus Summo Pontifici reſervatis, ſi ſint occulti. Quod docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de Reformat. cap. 6. „ Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus..... & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diæceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pænitentia ſalutari. „

Ad III. dicitur, quod ſi confitetur Superiori, qui reſervavit, quamvis invalide confiteatur, non tenetur tamen iterum ſua peccata tanquam reſervata confiteri: qui confitetur tamen Coofeſſario habeoti poteſtatem delegatam, & invalide confitetur, tenetur iterum confiteri peccata reſervata. Ex ratio eſt, quia quum illa confeſſio ſit invalida, non eſt Sacramentalis; adeoque Confeſſarius ille delegatus non ſacramentaliter abſolvit, ſed extra Sacramentum; & hoc facit, quod pænitens debeat iterum peccata reſervata confiteri, ut poſſit ſacramentaliter abſolvi.

Ad IV. dicitur, quod ſi Pænitens ex caſu confiteatur alicui Confeſſario in illa Diœceſi, in qua peccatum noo eſt reſervatum, poteſt ab illo abſolvi; non ſic autem ſi hoc ex fraude faciat; & ratio eſt, quia reſervatio afficit pænitentem, & nemo debet ex ſua fraude beneficium reportare.

DIS-

DISSERTATIO CCCXCII.

De Peccatorum Reſervatione. An quæcunque peccata reſervari poſſint? An occurrente dubio in caſu reſervationis poſſit quis valide abſolvi?

SUpponimus hic, non poſſe Superiores pro ipſorum libito quælibet peccata ſibi reſervare licitè, quanvis valide poſſint; & ratio eſt, quia reſervatio peccatorum inducta eſt in Eccleſia ad ædificationem animarum, non vero ad deſtructionem. Et ita ſentiunt Navarrus in cap. *placuit* num. 20. diſtin.6. de Pænitentia. Sylveſter verbo caſus quæſt. 5. Suarez par. 3. tom. 4. diſputat. 25. aliique. Et licet Sotus, Angelus, & alii pauci ſuſtineant, gravem, & inſolitam plurium peccatorum reſervationem, non ſolum eſſe illicitam, ſed pariter invalidam; communiter tamen reprobantur, quia jurisdictio, per quam peccata reſervantur, eſt illimitata; adeoque quæcunque peccatorum reſervatio, quanvis excedens, & nimia, ſemper erit valida, licet ſit illicita.

Igitur pro prima Diſſertationis parte, plures ſunt ſententiæ; prima eſt Mazuchelli de caſibus reſervatis, diſputat. 1. qu. 2., qui vult, quod reſervari poſſint omnia peccata, etiam venialia, etiam mortalia, alias rite confeſſa. Secunda eſt Vaſquez, quem plures ſequuntur, qui ſuſtinet, quod quanvis prima opinio, ſpectata Eccleſiæ poteſtate, non ſit improbabilis, tamen Eccleſia de facto nullum veniale. & nullum mortale alias rite confeſſum, reſervare ſolet.

Dicimus I. Reſervationem fieri poſſe de peccatis mortalibus, quæ ſint graviora, & externo opere conſumata.

I. Probatur Concluſio; quia ſacra Cardinalium Congregatio, ut refert Quaranta in ſumma Bullarii verbo caſus reſervati num. 14., cenſuit monendos eſſe Ordinarios, ut non paſſim peccata mortalia, ſibi reſervent, ſed atrociora tantum, & graviora. Aſſerit etiam Lupus de caſibus reſervatis par. 1. diſtinct. 1. nu. 2. eandem Congregationem decreviſſe, venialia reſervari non poſſe.

II. Probatur; quia reſervatio eſt ad finem, ut peccata evitentur, non ad finem, ut Peccatoribus laquea multiplicentur; ſed ſi venialia reſervarentur Peccatoribus laquea multiplicarentur: ergo &c. Quod aſſerit Suarez cit. loco, quem ſequuntur Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 20., Reginaldus lib. 1. num. 126. &c.

Ex his infert Cabrinus in Elucidario caſuum reſervatorum par. 1. reſol. 6., quod quicquid excuſat a peccato mortali, excuſat etiam a reſervatione; & ſubdit: „ Unde quemadmo-
„ dum parvitas materiæ (excepto cri-
„ mine ſimoniæ, hæreſis, blaſphemiæ)
„ impotentia ſervandi legem, indeli-
„ beratio rationis, imperfectus conſen-
„ ſus voluntatis, & ignorantia, ſive ju-
„ ris, ſive facti, quæ non ſit craſſa vel
„ affectata, excuſant a peccato morta-
„ li; ita etiam a reſervatione, quæ
„ ſemper mortalem culpam ſupponit.
„ Graſſ. lib. 4. deciſ. aur. cap. 8. num. 20.
„ excommun. „

III. Probatur, quod ſcilicet reſervatio non debeat eſſe de peccatis mortalibus internis; quia reſervatio peccatorum internorum non eſſet expediens, quum induceret grave damnum, & anxietatem animarum;

& quia etiam non eſſet neceſſaria ad gubernationem Eccleſiæ, quæ tantum ſpectat externa.

IV. Probatur, quod reſervari debeant peccata externa opere conſumata. Reſervatio habet rationem pænæ; ſed pæna non habet locum, niſi ſequuto effectu: ergo reſervatio non habet locum, niſi peccatum ſit opere conſumatum. Hæc autem omnia dicuntur in ſuppoſitione, quod reſervans expreſſis verbis non loquatur de attentatione, vel conatu ad crimen committendum, ut fit in procuratione abortus animati; quia in illo caſu ſola peccati attentatio, & ſolus conatus, etiam ſecluſo effectu, & ſecluſa conſumatione, eſſent reſervata.

Objiciunt I. Eccleſiæ poteſtas eſt abſoluta, & non limitata: ſed peccata reſervantur ratione eccleſiaſticæ poteſtatis, quam ſuperiores Eccleſiæ habent: ergo Eccleſiæ ſuperiores quælibet peccata ſibi reſervare poſſunt, etiam venialia, etiam mortalia alias rite confeſſa. II. Juriſdictio eſt neceſſaria ad abſolutionem quorumcunque peccatorum; ſed reſervatio pendet a juriſdictione: ergo reſervatio eſt quorumcunque peccatorum. III. Percuſſio levis eſt opus externum; ſed percuſſio levis non cenſetur reſervata, quando reſervatur Clerici percuſſio: ergo non quodcunque opus externum reſervatum cenſetur. IV. Si eſſet reſervatus tantum actus externus opere conſumatus, cenſeri non deberet reſervatum peccatum nefandũ conſumatum, niſi fieret conſumatio intra vas obſcænum; ſed hoc eſt falſum: ergo &c.

Reſpondemus ad I. nos jam dixiſſe, habito reſpectu ad Eccleſiæ poteſtatem, quæcunque peccata poſſe reſervari, etiam venialia, etiam rite confeſſa, mortalia; ſed diximus quoque, id non expedire, & quod quanvis eſſet valida reſervatio, eſſet tamen illicita.

Ad II. Satis quoque explicavimus, quod non ſit licitum reſervare venialia, & mortalia alias rite confeſſa, propter eandem rationem, quæ in objectione adducitur; ſemper tamen ſtat, quod reſervari valide poſſint, ut in objectione intenditur.

Ad III. dicitur, quod quum percuſſio levis Clerici non attingat ad mortale peccatum, neque etiam eſt reſervationi obnoxia. „ Unde ſubdit citatus „ Gabrinus, „ ſi reſervata eſſet percuſſio- „ nis in caſum non incideret, qui ex pra- „ vo, & mortali affectu alterum percu- „ teret, ſi externa læſio, utpote levis, „ ad culpam mortalem non pertinge- „ ret. Ita communiter DD. Sylveſ. v. „ caſus quæſt. 5. Henriq. lib. 6. cap. 14. „ num. 6. Dian. p. 8. reſol. 46. Card. de „ Lugo diſ. 20. de pænit. ſect. 2. num. 15. „ Graff. cit. nu. 71. Finell. de caſ. reſerv. cap. 5. n. 8. „

Ad IV. negatur falſam eſſe propoſitionem illam, quæ affertur, tamquam abſurda; & hoc patet ex citat. Gabr. reſol. 8. ubi habet. „ Similiter ſodo- „ mia, ſi alicubi, ut Bergomi, & Medio- „ lani, epiſcopali reſervatione ſit com- „ prehenſa, non debet cenſeri reſerva- „ ta, niſi fuerit conſumata; Non dice- „ tur autem tam nefandum ſcelus con- „ ſumatum, niſi in vaſe obſcæno fiat „ ſeminatio, de quo fuſius infra in ad- „ ditione poſt ſecundam partem. Ita „ Graff. loc. cit., & lib. 2. deciſ. aur. cap. „ 80. nu. 7. Navar. In man. cap. 27. nu. „ 250. Sayrus lib. 8. cap. 5. n. 16.

Pro ſecunda Diſſertationis parte, diſtinguenda ſunt dubium juris, & dubium facti; in dubio juris omnes conveniunt, quod caſus haberi non debet pro reſervato. Rationes ſunt, quia conſtitutio, & promulgatio legis eſt quid facti, factum autem in dubio non præſumitur: tum quoque quia in dubio an lex ſit lata, vel ſit præceptum reſervans, poſſeſſio ſtat pro dubitante; & ideo ſimplex etiam Confeſſarius manet in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, adeoque poteſt ab illo abſolvere. Et ita docent Suarez, Sanc., Lugo, Bonaci. apud Gabrinum. In dubio autem facti quidam aſſerunt peccatum cenſeri reſervatum; alii vero hoc negant.

Dicimus II. Caſum Epiſcopalem in dubio non eſſe cenſendum reſervatum.

I. Probatur; quia peccatum dubium non eſt peccatum ſimpliciter, ſed eſt peccatum ſecundum quid; ſed reſervatio reſtringi debet ad ea peccata, quæ ſunt peccata ſimpliliter, non autem ad illa, quæ ſunt peccata ſecundum quid: ergo &c. Minor probatur; quia reſervatio eſt odioſa: ergo eſt ſtricte accipienda, adeoque eſt reſtringenda ad peccata ſimpliciter, & ad caſus certos,

certos, non vero eſt extendenda ad peccata ſecundum quid, & ad caſus dubios.

II. Probatur. In dubiis melior eſt conditio poſſidentis: ergo & Confeſſarius conſervari debet in poſſeſſione ſuæ juriſdictionis, & Pænitens in poſſeſſione ſuæ expetitæ, & obtinendæ abſolutionis.

III. Probatur. Epiſcopus non reſervat ſibi caſus dubios, ſicut facit Pontifex: ergo quanvis caſus papales dubii cenſeantur reſervati, caſus tamen epiſcopales dubii cenſeri non debent reſervati. Antecedens ſupponitur certum a Quaranta citato, qui docet, quod caſus papales ſive dubie, ſive clare, ſive in Bulla Cænæ, ſive extra, ſemper ſunt reſervati: caſus tamen epiſcopales non ſic.

Obſtant I. In dubio tutior pars eſt eligenda; ſed tutius eſt in dubio peccatum cenſeri reſervatum: ergo &c. II. Quoties dubitatur, an percuſſio Clerici ſit gravis, vel levis, ſemper recurrendum eſt ad Epiſcopum: ergo ſemper habet locum reſervatio. III. Si quis dubitat de peccato reſervato, & poſt confeſſionem venit in certam cognitionem, peccatum eſſe reſervatum, debet illud iterum confiteri cum Confeſſario habente poteſtatem abſolvendi: ergo ſignum eſt, quod peccatum dubium etiam reſervationi ſubjacet. IV. In peccato dubio debet illud pænitens confiteri, ut dubium: ergo pariter in peccato dubio reſervato debet illud pænitens confiteri ut dubium coram Confeſſario authoritatem habente.

Ad I. dicitur, quod non ſemper tutior pars eſt eligenda, ſed ſufficit, quod eligatur tuta, præcipue ſi tuta ſit probabilior. Cæterum, ut docet Navar., principium illud, quod in dubiis tutior pars ſit eligenda, eſt potius conſilium, quam præceptum.

Ad II. hæc reponit Gabrinus reſolut. 10.
„ Similiter ſi dubitetur, utrum percuſ-
„ Clerici ſit levis, aut mediocris, aut
„ gravis, judicari debent levis. Sicque
„ ab excommunicatione, ob ejuſmodi
„ dubiam læſionem contracta, abſolve-
„ re poteſt Epiſcopus; ſicut docet Dian.
„ quem citat, & ſequitur Maquehellos
„ loc. cit. num. 33. qui num. 34. ſentit
„ judicium qualitatis percuſſionis Cle-
„ rici pro foro externo, ſpectare ad
„ Epiſcopum, pro foro autem interno
„ ad quemlibet virum prudentem, &
„ doctum. Contrarium tamen, quod
„ ſcilicet percuſſio Clerici dubia, num
„ gravis, vel levis ſit, non cadat ſub
„ facultate, & abſolutione Epiſcopi, te-
„ net Januar. l. c. num. 12. ex Navar.
„ quorum opinio conformior eſt ſupra-
„ dictis. „

Ad III. negatur aſſumptum. Et ratio, quam affert Gabrinus hæc eſt. „ Quia
„ ſicut votum in dubio non cenſetur
„ reſervatum, ſic nec peccatum: ergo
„ ſicut in dubio de voto reſervato, po-
„ teſt Epiſcopus diſpenſare, & diſpen-
„ ſatio manet valida, etiamſi poſtea
„ conſtet de voti rectitudine, ut docet
„ Sanchez lib. 4. mor. cap. 44. num. 10.
„ ſic in dubio de peccato reſervato ab-
„ ſolvere poteſt Confeſſarius ſimplex,
„ & abſolutio valebit, licet poſtea con-
„ ſtet de certitudine reſervationis. Nam
„ ad recipiendam directam abſolutio-
„ nem ſufficit manifeſtatio peccati du-
„ bii prout tunc eſt in conſcientia, non
„ prout cognoſcitur poſt abſolutionem.
„ Ita Suarez de pænit. diſput. 22. ſect. 5.
„ nu. 38. Coninck de ſacram. diſ. 7. dub.
„ 7. nu. 62. Card. de Lugo, diſ. 20. de
„ pænit. ſect. 2. num. 20., quem citat, &
„ ſequitur, P. Baſſeus in florib. theol.
„ pract. verbo caſ. reſerv. n. 24. Joſeph de
„ Januario de caſ. reſerv. reſ. 3. n. 2. & 5.„

Ad IV. negatur Paritas; & ratio diſparitatis eſt, quia confeſſio peccati majoris eſt ponderis, quã reſervatio peccati; & ideo in confeſſione illius debet Pænitens illud aperire, quale eſt, etiamſi dubium ſit; at vero in reſervatione hæc ceſſat, quando de ea certitudo non habetur.

DISSERTATIO CCCXCIII.

De Indulgentiis . Quæ ſit earum antiquitas? Quod nomen? Quæ eſſentia?

PRimo, contra Indulgentiarum antiquitatem, earumdenque veritatem, & exiſtentiam, erraruɴt Montaniſtæ, qui negarunt, poſſe Eccleſiam indulgentias concedere. Adducitur teſtis Tertullianus, jam factus Montaniſta, qui in libro de Pudicitia Sanctum Zephyrinum Papam his verbis alloquebatur: *An tu & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem? .... ſufficiat Martyri propria delicta purgaſſe .. . . Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius?*

Secundo errarunt Waldenſes an. 1170. Teſtantur Reinerus lib. contra Waldenſes cap. 6. *de Indulgentiis autem, quæ fiunt per Eccleſiam, non credunt*. Philedorphius lib. contra eoſdem hæreticos ait cap. 40. *Item reprobant hæretici Waldenſes indulgentias Prælatorum Eccleſiæ.*

Tertio, errarunt Joannes Wiclefus, & Joannes Hus; de quibus loquitur Concilium generale Conſtantienſe ſeſſ. 15. in condemnatione articulorum hujuſmodi hæreticorum: *Item decimus nonus articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ Papæ, ſive Epiſcoporum, conceſſæ nihil proſunt.*

Quarto, erravit Conradus Abbas Uſpergenſis, qui ſibi ſoli indulgentias concedendi authoritatem attribuebat, & quanvis illarum uſum antiquum in Eccleſia fuiſſe concederet, illum tamen jam penitus extinctum aſſerebat ob Prælatorum malitiam, qui eas concedere poterant. Refert Franciſcus Phebæus in tract. de Jubileo parte 1. cap. 2.

Quinto, errarunt Flagellantes, qui pariter in Eccleſiæ Præſulibus extinctam indulgentias authoritatem concedendi aſſerebant, & indulgentiarum virtutem ad ſua flagella tranſitum feciſſe affirmabant. Teſtatur idem Phebæus loc. cit.

Sexto, erravit Lutherus, qui anno 1517. primo Indulgentiarum abuſus varios reprehendens, poſtmodum in ipſarum ſubſtantiam, ac valorem ſcribere non erubuit. Leo X. in Bulla contra eundem Lutherum recenſet: *Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum, & ſunt de numero eorum, quæ expediunt ..... Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valet ad remiſſionem pænæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus. Sex generibus hominum indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis legitime impeditis, his, qui non commiſerunt crimina, his, qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.*

Septimo, errarunt alii Novatores Hæretici, & præcipue Zuinglius, Calvinus, & Kemnitius, qui voluerunt indulgentiarum uſum incepiſſe anno milleſimo ducenteſimo. Contra hos omnes.

Dicimus I. Indulgentiarum antiquitatem a primis Eccleſiæ temporibus repetendam eſſe.

I. Probatur exemplo Corinthii incæſtuoſi, de quo Apoſtolus 11. ad Corinthios 2. hæc ſcribit: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus. Itaut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt.* Ad quæ verba addit Jueninus cit. loco „ Iis vero verbis Apoſtolus jubet,

,, bet, ut Corinthius eximatur iis, qui
,, ex injunctis ſupererant pænitentiæ
,, laboribus: At ea exemptio non aliud
,, eſt, quam indulgentiarum conceſſio:
,, non enim (ut proxime ſubſequenti ca-
,, pite dicetur) aliud ſunt indulgentiæ
,, quam relaxatio pœnæ, quæ peccato,
,, quoad culpam dimiſſo, debetur. Chri-
,, ſtum autem relaxationem, de qua eſt
,, quæſtio, ratam habere declarat Pau-
,, lus, cum ſubdit, ſe eam indulgere
,, nomine, & authoritate Chriſti: cui
,, aliquid autem donatis, & ego, nam
,, & ego, quod donavi, ſi quid donavi,
,, propter vos in perſona Chriſti. Nec
,, mirum quod aſſerat ſe in illa indul-
,, gentiæ conceſſione Chriſti vices agere,
,, cum priore Epiſtola conteſtetur, ſe
,, ejuſdem Chriſti perſonam geſſiſſe, ubi
,, illum addixit pænitentiæ laboribus:
,, Jam judicavi ut præſens eum qui ſic
,, operatus eſt, in nomine Domini no-
,, ſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, &
,, & meo ſpiritu, cum virtute Domini
,, noſtri Jeſu Chriſti, tradere hujuſmodi
,, Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus
,, ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu
,, Chriſti. ,, His additur, quod & Patres Græci, & Patres Latini, verba Apoſtoli de Indulgentiis interpretati ſunt. Ex Græcis ſufficiet audire Chryſoſtomum, qui hom. 4. in 2. ad Corinthios ſic loquitur Apoſtoli nomine: *Non enim, quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibuerit pænitentiam, ſed quod infirmus, ideo (inquit) judico dignum illum venia. Unde, & adjecit, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Qui ſermo declarat illius vehementem pænitentiam, quem Paulus, non ſit paſſus in diſperationem venire.* Et infra, *ex ea re docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pænitentiam.* Sufficiat etiam audire Theophilactum, qui in eundem Apoſtoli locum hæc ſcribit. *Pulchre autem dixit: Donare. Ut enim ille non exiſtimat ſibi remiſſam noxam, quia ſatis confeſſus ſit, & ſufficienter pænitentia ductus, attendit. quod non tantum ex pænitentia ſua, quantum ex illorum gratia, & donatione dimiſſionem recipiat.* Ex Patribus Latinis audiamus Pacianum lib. 3. contra Novatianos, ubi ſic explicat Apoſtoli verba: *Vides Apoſtoli indulgentiam proprias etiam ſententias temperantem; vides mitiſſimam lenitatem longe a veſtro ſupercilio ſuperatam? Longe a Novatiani fronte diſſimilem? Communi vero vitæ, ac ſaluti omnium conſulentem.* Eadem habet Ambroſius lib. 6. de Pænit. capit. ultim.

II. Probatur ex Praxi Eccleſiæ, ex qua conſtat, quod primis ſeculis Epiſcopi ad Martyrum, & Confeſſorum preces reis ſatisfactiones debitas relaxabant. Hoc patet ex verbis Tertulliani, qui lib. 1. ad Martyres capit. 1. ſcribit: *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, a Martyribus in carcere exorare conſueverunt: & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & cuſtodire debitis, ut ſi forte & aliis præſtare poſſitis:* & lib. de Pudicitia cap. ult. *At tu jam & in Martyres tuos effundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſentione vincula induit adhuc immollia in novo cuſtodiæ nomine ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, jam preces circumſonant, jam lachrymæ circumſtagnant maculati cujuſque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Eccleſiam perdiderunt: violantur viri, ac feminæ in tenebris plane ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium neceſſarium eſt delictis poſt martyrium novis.*

Pro ſecunda, & tertia Diſſertationis parte, in quibus quæritur de nomine, & eſſentia Indulgentiarum, ſubdimus, quod indulgentiæ nomen in genere idem ſonat, ac remiſſio, ſeu relaxatio alicujus debiti; unde dicimus, quod quando Titius erat creditor Caii in centum aureis, & contentus fuit quod Cajus ſibi ſolveret tantum quinquaginta; dicimus quidem, quod Titius Cajo fecit indulgentiam quinquaginta aureorum. In caſu autem noſtro indulgentiæ nomen importat relaxationem pœnæ temporalis, quam peccator ſubire debet poſt culpę, ac pœnę æternæ condonationē.

Quantum vero ad eſſentiam ſic definitur Indulgentia: Eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ ſupereſt luenda poſt culpam, & pœnam æternam condonatam. Et quidem dicitur remiſſio pœnæ temporalis ad innuendum, quod culpa, & pœna æterna per indulgentias non relaxantur.

Ar-

DISSERTATIO CCCXCIV.

De Indulgentiis. An remittant culpam, & æternæ pœnæ reatum? An remittant pœnam temporalem? Et quam?

Dicimus I. Indulgentias, nec remittere culpam, nec æternæ pœnæ reatum.

I. Probatur. Culpa, quæ inducit ęternę pęnæ reatum, & æterna ipſa pœna, non remittuntur niſi vel per Sacramentũ pænitentiæ, vel per contritionẽ perfectã cum voto, & deſiderio ſacramenti: ergo nullo modo remittuntur per indulgentias. Antecedens ſupponimus conſtare certum ex iis, quæ in ſuperioribus diſſertationibus diximus, atque probavimus; conſequentia ſequitur.

II. Probatur. Indulgentiæ conceduntur ab Eccleſia, ſeu ab Eccleſiæ Miniſtris; ſed Eccleſia, & Eccleſiæ Miniſtri non non habent poteſtatem infundendi gratiam habitualem, per quam gravia peccata remittuntur, & æterna pœna tollitur: ergo indulgentiæ, nec gravia peccata, nec æternã pœnã remittunt.

III. Probatur. Indulgentiæ non conceduntur per modum judicii, ſed per modum gratiæ; ſed ad remittenda gravia, & pœnam æternam requiritur judicium Eccleſiæ, quæ habet poteſtatem ligandi, atque ſolvendi: ergo per indulgentias non remittuntur peccata gravia, nec æterna pœna relaxatur.

Dicimus II. Indulgentias remittere pœnam temporalem, tam coram Eccleſia, quam coram Deo.

I. Probatur Concluſio ex omnibus Indulgentiarum diplomatibus, in quibus pœnæ temporalis pro peccatis debitæ remiſſio memoratur: ergo ex Eccleſiæ mente Indulgentiæ pœnam temporalem remittunt. Et quidem non tantum pœnam temporalem injunctam, ſed etiam injungendam; quod probatur ſequentibus rationibus. Primo, quia favores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda: ergo quanvis in diplomatibus prædictis legatur *de Injunctis*, ſubintelligitur tamen etiam de injungendis. Secundo, quia antiquitus Indulgentiæ, quæ concedebantur precibus Martyrum, relaxabant pœnas temporales, & a Confeſſariis impoſitas, & a canonibus imponendas. Tertio, quia pœnæ temporales, quæ ad præſens a Confeſſariis imponuntur, ſunt quam maxime leves: ergo ſi has tantum remitterent indulgentiæ, modicus admodum earum fructus eſſet. Quarto, quia authoritas concedendi indulgentias, quã a Christo habet Eccleſia, eſt indefinita; dicitur enim, *quæcunque ſolveritis, erunt ſoluta*: ergo indulgentiarum vis non eſt tantum pro remittendis pœnis temporalibus injunctis, ſed etiam pro iujungendis.

Arguunt I. In Indulgentiarum diplomatibus dicunt Pontifices, ſe abſolvere a peccatis: ſed hæc verba important peccata gravia, a quibus verificatur quod Pænitens vere abſolvatur: ergo indulgentiæ remittunt etiam peccata gravia. II. Lapſi, qui antiquitus ob Martyrum preces indulgentias conſequebantur, gravium peccatorum rei exiſtebant: ergo indulgentiæ etiam pro peccatis gravibus proderant. III. Nemo poteſt ſolvere, quod in pænitentiæ tribunali, quod ſupremum eſt in Eccleſia, judicatur: ergo indulgentiæ relaxare non poſſunt pœnas temporales, quæ a Confeſſariis in tribunali pænitentiæ inponuntur. IV. Si indulgentiæ pœnas temporales remitterent, Pœnitentes ad eas ſolvendas non tenerentur: ſed hoc eſt falſum:

ergo

ergo &c. V. Tunc juvabant indulgentiæ, quando ex Canonum rigore graves pænitentiæ imponebantur; ſed modo hæ non imponuntur: ergo indulgentiæ non juvant. VI. Graves pænitentiæ nunquam fuerunt decem, & viginti millium annorum; ſed indulgentiæ, quæ modo imponuntur, ſunt pro decem & viginti millium annorum: ergo vel nullæ ſunt, vel fictitiæ.

Reſpondemus ad I. quod indulgentiæ dicuntur abſolvere a peccatis, vel indirecte, vel præſuppoſitive; quatenus ſcilicet, vel præſupponunt pænitentiæ Sacramentum, vel ad illud diſponunt, & ducunt.

Ad II. Dicitur, quod Pænitentes illi in judicio Eccleſiæ a peccatis gravibus prius ab Eccleſiæ Miniſtris abſolvebantur, & deinde iiſdem ob Martyrū preces pænitentiæ temporales, quæ ab ipſis ſolvendæ erant, remittebantur; ſicque nunquam per ſolas indulgentias peccata gravia remittebantur.

Ad III. Indulgentiarum Miniſter non ſolvit per indulgentias quod ligatum eſt per Confeſſarium in pænitentiæ tribunali, ſed tantum ex theſauro Eccleſiæ ſolvit, quod debitor Reus in eodem tribunali judicatus eſt ſolvere debere. Et hoc quidem valide facere poteſt; tum quia ſupra illum theſaurum ſupponitur, quod habeat poteſtatem: tum etiam, quia non eſt irritare, quod in tribunali pænitentiæ judicatum eſt, ſolvere debitum, pro quo reus eſt condemnatus.

Ad IV. Negatur ſequela; & ratio eſt, quia quum pænitentiæ ut plurimum ſint medicinales, ad has ſupplendas indulgentiæ non extenduntur; tum etiam ob alias cauſſas, quæ apud Bellarminum legendæ remittuntur.

Ad V. Ex illo eodem capite, quod in objectione proponitur, potius eruitur, quod indulgentiæ ſint neceſſariæ; quia quum modo pænitentiæ ſint leves, ad ſupplendum rigorem Canonum, inductæ ſunt indulgentiæ; adeoque indulgentiæ ipſæ non ſunt inutiles, ſed neceſſariæ.

Ad VI. Bellarminus lib. 2. de Indulgentiis capit. 20. putat indulgentias illas decem, & viginti millium annorum fuiſſe fictitias, & fabuloſas: ait enim lib. 1. cap. 9. *Non ſolebant enim indulgentias concedere, niſi tot annorum pænitentiæ injungebantur: pænitentiæ vero non ſolebant injungi niſi unius, duorum, trium, quinque, ſeptem, decem, viginti annorum, aut ad ſummum pertotam vitam, quæ ultra centum annos porrigi non ſolet.*

Secunda Concluſionis pars, quod ſcilicet indulgentiæ remittant pœnas temporales, tum coram Eccleſia, tum coram Deo; I. Probatur Matth. 16. *quæcunque ſolveritis ſuper terram*; ſi ergo ſoluta ſunt in Cœlis, ſoluta ſunt etiam coram Deo. Proinde Paulus Apoſtolus pœnam temporalem Corinthio inceſtuoſo condonans, dixit ſe in perſona Chriſti donaſſe.

II. Probatur. Indulgentiæ ſupponuntur ab Eccleſia in ſupplementum pœnarum, & ſatisfactionum temporalium; ſed pœnæ, & ſatisfactiones temporales habent valorem tam coram Eccleſia, quam coram Deo; ergo pariter indulgentiæ.

III. Probatur. Si indulgentiæ non remitterent pœnam temporalem coram Deo, non prodeſſent defunctis ad purgatorii pœnas eluendas: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Probatur minor, & ex Concilio Tridentino, quod in decreto de indulgentiis docet, eas maxime ſalutares eſſe, & excommunicat illos qui aſſerunt eſſe inutiles: tum ex Xiſto IV. in conſtitut. quæ incipit *Licet ea*, in qua damnat Petri Oxomenſis errorem, qui dicebat: Romanus Pontifex *Purgatorii pœnam remittere non poteſt*: tum ex Leone X. in conſtitut. contra articulos Luteri, in qua hunc damnat errorem: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam Juſtitiam.*

Objiciunt I. Abſurdum eſt dicere, quod Deus in judicando ſe regulet ſecundū arbitrium hominum; ſed hoc ſequeretur ſi indulgentiæ remitterent pœnas temporales coram Deo: ergo &c. II. Indulgentiæ, quæ antiquitus concedebantur ob Martyrum preces, valorem tantum habebant coram Eccleſia, non autem coram Deo: ergo pariter indulgentiæ, quæ modo ab Eccleſia conceduntur, & quæ antiquis illis ſuccedunt, pœnas temporales remittunt coram Eccleſia, non coram Deo. III. Satisfactiones temporales, quæ a Confeſſariis imponuntur, non eſt certum,

tum, quod apud Deum omnem pœnam temporalem remittant: ergo nec etiam Indulgentiæ, quæ illarum ſunt ſupplementum. IV. Si indulgentiæ valorem hunc apud Deum haberent, maxime quando ſunt plenariæ, non reiterarentur, quia una ſola ex illis ſufficeret ad totam pœnam temporalem relaxandam; ſed reiterantur: ergo ſignum eſt, quod hunc valorem apud Deum non habent.

Reſpondemus ad I. dicendo, quod nullum eſt abſurdum, quando Deus ſic decrevit, & hanc poteſtatem hominibus dedit. Aliter nec Deus condonaret peccata, a quibus Confeſſarii abſolvunt Pænitentes; quia tunc etiam judicium hominum ſequeretur Deus, & ſecundum illud ſe regularet.

Ad II. negatur antecedens; in contrarium enim eſt tota Eccleſiæ traditio, & uniformiter antiqui Patres teſtantur, & docent.

Ad III. dicitur, hoc maxime provenire, vel quia ſatisfactiones temporales cũ debita diſpoſitione non fiunt, vel quia remiſſionem gravis culpæ per judiciũ Eccleſiæ non præſupponunt; quod etiam verum eſt in indulgentiis, ad quas lucrandas & diſpoſitiones debitæ requiruntur, & quod anima, quæ eas lucratur, in ſtatu gratiæ ſit.

Ad IV. dicitur, quod ideo reiterantur indulgentiæ, quia non ſumus certi an eas vere lucrati fuerimus; quæ quidem incertitudo, vel provenit ex incertitudine noſtræ diſpoſitionis, vel divinæ acceptationis.

DISSERTATIO CCCXCIV.

De Indulgentiis. A quibus concedi poſſint? An ſemper ab iiſdem conceſſæ fuerint? Et quinam fuerit uſus ipſarum?

PRo certo habendum eſt, quod illi poſſunt concedere Indulgẽtias, qui habent juriſdictionem. Hæc enim poteſtas ex illis Evangelii verbis deſumitur, ex quibus deſumitur jurisdictio; nempe Matt. 18. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*: & Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt*. At quia juriſdictio eſt & in Preſbyteris, & in Epiſcopis, ſurgit quæſtio, an etiam tam in Presbyteris, quam in Epiſcopis, ſit indulgentias concedendi poteſtas? Unde dependet quæſtio hæc ab altera, in qua quæritur, quænam juriſdictio requiratur, ut quis valeat concedere indulgentias?

Pro qua quidem quæſtione fuerunt multi Theologi, qui dixerunt, ſufficere juriſdictionem in foro interiori conſcientiæ; alii vero voluerunt, ſatis eſſe juriſdictionem in foro exteriori; alii tandem docent, requiri utramque juriſdictionem, in foro ſcilicet interiori, & in foro exteriori. Cum quibus.

Dicimus I. Poteſtatem concedendi indulgentias eſſe penes Eccleſiæ Prælatos, qui jurisdictionem habent in foro interiori, & exteriori.

I. Probatur ex Conciliis. Concilium Ancyranum an. 314. in pluribus Canonibus ſuis loquitur de Epiſcopis, qui indulgentias concedebant; nempe can. 2. *Niſi forte aliqui Epiſcoporum conſcii ſint laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere vel adimere. Penes ipſos ergo de his erit poteſtas*: & can. 5. *Epiſcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perſpecta ſingulorum*

rum converſatione, normam, regulamque converſationis attribuat: ideſt aut humanius agens, ſecundum vitæ modum, tempus alicui pænitentiæ breviet, aut etiam prolixius, quod correctione neceſſarium viderit, addat. Diſcutiatur autem omnium horum, & præcedens vita, & poſterior: & ita circa eos ſacerdotalis ſe humanitas moderetur, & can. 22. *Modus autem hujus pænitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundum converſationem pænitentiam poſſint, & extendere tardantibus, & minuere ſtudioſe feſtinantibus*. Concilium Nicænum generale I. can. 20. *Quotquot metu, & lacrymis, atque patientia vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione, demonſtrant: hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: poſtmodum vero licebit Epiſcopo de his aliquid humanius cogitare.* Eadem habent Concilium Trullanum can. 20. Carthaginenſe IV. can. 75. Triburienſe can. 51.

II. Probatur ex Patribus. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium canonibus 2., 7., 54., & 84. *Eſt autem tuæ prudentiæ, pro circumſtantiæ proprietate pænas intendere, vel remittere*. Gregorius Nyſſenus in epiſt. ad Letojum: *Et in hoc quoque idem obſervabitur ab eo, qui Eccleſiam adminiſtrat, & pro ratione converſionis illi quoque pænæ tempus contrahetur; adeo ut novem annis in unoquoque gradu, vel octo, vel ſeptem, vel ſex, immo etiam quinque tantum anni ponantur, ſi pænitentiæ magnitudo tempus vincat, & ſuperet correctionis ſtudio eos, qui in longo tempore præſtituto ſuſceptas a ſe maculas ſegniter eluunt.* Cyprianus epiſt. 4. *Quod enim periculum metuere non debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores .... cum contumelia, & contemptu Præpoſiti, totum ſibi vindicent?*

III. Probatur Rationibus I. Illi poteſtatem habent concedendi indulgentias, quibus libelli mittebantur a Martyribus, per quos lapſos commendabant, ut eis laborioſæ pænæ remitterentur; ſed Epiſcopis libelli illi mittebantur: ergo penes Epiſcopos erat poteſtas indulgentias concedendi. II. Epiſcopi poteſtatam habebant canonicas pænas peccatoribus remittendi; ſed hic erat indulgentiarum uſus: ergo Epiſcopi poteſtatem habebant indulgentias concedendi. III. Epiſcopi etiam poteſtatem habebant commutandi canonicas ſatisfactiones in expeditionem Hieroſolymitanam, & in peregrinationes ad Apoſtolorum limina; ſed inde etiam provenit indulgentiarum uſus: ergo &c. IV. Indulgentiæ fundantur in clavium Eccleſiæ uſu; ſed hic uſus erat penes Epiſcopos, ut ait Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. can. 61. ergo &c. & hæc ſunt ejus verba: *Quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidem Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pænitentialis ſatisfactio enervatur: decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendantur indulgentiæ ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deinde in anniverſario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pænitentiis indulta remiſſio non excedat.*

Opponunt I. Presbyteri etiam libellos in lapſorum commendationem recipiebant a martyribus; ergo non ſoli Epiſcopi. II. Poteſtas concedendi indulgentias fundatur in Verbis Evangelii Matt., & Ioa. ſed in illis verbis continetur poteſtas a Chriſto conceſſa tam Epiſcopis, quam Presbyteris: ergo tam Epiſcopi, quam Presbyteri concedere poſſunt indulgentias, III. Illi poſſunt ſolvere, qui poſſunt ligare; ſed Presbyteri per pænitentiam ligant: ergo per indulgentias poſſunt ſolvere. IV. Ille, qui electus eſt Epiſcopus, ſed non eſt conſecratus, poteſt indulgentias concedere; ſed hic non habet juriſdictionem in foro interiori conſcientiæ, quia aliquando neque eſt Sacerdos: ergo poteſtas concedendi indulgentias non ſupponit juriſdictionem tam in forointeriori conſcientiæ, quam in foro exteriori Eccleſiæ.

Reſpondemus ad I. Quod Cyprianus temerarium illum auſum Presbyterorum repreſſit, tanquam Evangelio contrarium, & Epiſcopatui injurioſum; ut in allatis ejus verbis clare patet.

Ad II. dicitur, quod utique poteſtas concedendi indulgentias fundatur in illis verbis, ſed non ſingulis, pro quibus verba illa verificantur, datur hujuſmodi poteſtas. Ratio eſt, quia etiam in illis verbis continetur poteſtas

ſtas

ſtas ſibi reſervandi peccatorum abſolutionem, & nihilominus hæc poteſtas non convenit Presbyteris, ſed ſolis Eccleſiæ Prælatis. Igitur poteſtas abſolvendi in foro interiori, quæ continetur in illis verbis, traditur Presbyteris, non vero poteſtas in foro exteriori, quæ tantum convenit Eccleſiæ Prælatis.

Ad III. dicitur, quod falſum eſt principium illud, quo dicitur, quod illi poſſunt ſolvere, qui poſſunt ligare; evenit enim quandoque, ut inferior liget, & ſolutionem ſuperior ſibi reſervet, adeoque ad ſuperiorem tantum ſolvere ſpectabit.

Ad IV. dicitur, quod ille talis licet de facto non habeant poteſtatem actualem in foro interiori, habet tamen poteſtatem potentialem; quia quando ordinatur Epiſcopus jam ſupponitur Sacerdos, & non poteſt diu remanere Epiſcopus electus, & non conſecratus.

Secunda Diſſertationis Pars ex uſquemodo dictis deciſa & probata remanet; quod ſcilicet ſemper ab Eccleſiæ Prælatis indulgentiæ conceſſæ fuerint, ut in probationibus obſervare eſt.

Pro tertia tandem diſſertationis parte, in qua quæritur quinam fuerit indulgentiarum uſus? Diſtinguendum eſt inter illas operationes, quibus indulgentiæ ſucceſſerunt, & indulgentias ipſas proprie dictas. Satisfactiones martyrum, quæ antiquitus vices indulgentiarum gerebant, a primis Eccleſiæ ſeculis in uſu fuerunt; & hoc probatur, quia Montanus hunc morem applicandi ſatisfactiones martyrum, qui tunc in uſu erat, primus omnium denegavit ſecundo ſeculo. Montano ſucceſſit Tertullianus fere eodem tempore, qui in lib. de pudicitia, & eundem errorem ſequutus, ſcripſit: *Sufficiat martyri propria delicta purgaſſe; ingrati, vel ſuberbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſequutus*. Tandem pro hoc eodem errore ſe declararunt Novatiani, qui dixerunt, nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, adeoque nec eſſe poteſtatem relaxandi pænam per indulgentias. Ex quibus omnibus erroribus patet, quod jam tunc temporis erat in Eccleſia uſus indulgentiarum, quando ſcilicet indulgentiarum vices retinebant actiones illæ, quæ effectum illarum producebant, quanvis nomen non retinerent. Indulgentiarum vero proprie dictarum uſum ſunt, qui repetunt a S. Sylveſtri Pontificis temporibus, quod in concluſione probabimus.

Dicimus II. Indulgentiarum proprie dictarum uſum ab antiquiſſimis Romanæ Eccleſiæ Pontificibus repetendum eſſe.

I. Probatur teſtimonio Jo: Diaconi in vita S. Gregorii Magni, ubi ait, quod S. Sylveſter in dedicatiooe, & per octavā dedicationis Eccleſiæ Principis Apoſtolorum, conceſſit indulgentiam omnibus, qui ad eam conveniret; *ut magna fieret remiſſia peccatorum; Romanis videlicet, & circumadjacentibus mille annorum; Tuſcis, & Longobardis duorum millium; & iis, qui maria traſmeare noſcuntur, trium millium annorum*.

II. Probatur teſtimonio Gregorii II., qui teſtatur, quod idem S. Sylveſter conceſſit in dedicatione Eccleſiæ Lateranenſis eaſdem indulgentias; & hoc habemus ex fide Cardinalis Cæſaris Raſponi in ſuo opere de Baſilica Lateranenſi lib. 2. cap 14., ubi ſcribit, quod Conſtantinus Auguſtus, ut eſt humanum ingenium præclaris conſiliorum ſuorum operibus maxime deditum, ne exteriori, & viſibili Baſilicæ a ſe conſtructæ cultui ſpiritualis ac inviſibilis cultus non reſponderet, magnopere laboraſſe traditur. Et quia Eccleſiarum præcipuus uſus in propitiando in eis divinam gratiam, eluendiſque peccatorum ſordibus eſt; diligenter cum S. Sylveſtro egiſſe, ne quid illi cæleſtium theſaurorum, quod ad eam rem idoneum putaretur, deeſſe vellet. Et ut habemus ex vetuſtiſſimo codice, quem magnam tabulam vocant, Archivi Lateranenſis, obtinuit Conſtantinus, *ut accedentibus ſine peccato mortali ad eandem Baſilicam remiſſio fieret omnium peccatorum*. Eandem indulgentiam confirmavit Gregorius II. in iterata ejuſdem Baſilicæ reſtauratæ conſecratione; ut idem Cardinalis teſtatur.

III. Probatur ex lapide antiquiſſimo, qui extat apud Baſilicam S. Crucis in Jeruſalem, & eſt inciſus characteribus illius ævi, in quo eſt memoria indulgentiæ, quam idem S. Sylveſter con-

ceſſit in conſecratione ejuſdem Baſilicæ ad S. Helenæ Auguſtæ, Conſtantini Magni Matris, petitionem.

IV. Probatur teſtimonio Nicolai IV. qui refert Sixtum III. ann. 433. conceſſiſſe indulgentias unius anni, & quadraginta dierum anniverſaria die conſecrationis Baſilicæ S. Mariæ Majoris, quam indulgentiam ipſe Nicolaus confirmavit. Alia teſtimonia videnda remittimus apud Phebæum, Archiepiſcopum Tarſenſem, in ſuo lib. cui titulus *de anno Jubilæi* par. 1. cap. 2., qui quidem Auctor cit. loc. in confirmationem dictorum a nobis hæc ſcribit: ,, Nempe ab ipſis Marty-
,, ribus adhuc vagientem Eccleſiam
,, Catholicam indulgentiarum uſum,
,, ſeu applicandarum ſuper erogatarum
,, earumdem ſatisfactionum praxim
,, hauſiſſe; cum perſecutionum tempo-
,, re lapſi fideles ad Eccleſiam redeun-
,, tes, & exemologeſim facientes, in-
,, dulgentias de injunctis, deque injun-
,, gendis implicite pænitentiis ab ipſis
,, Martyribus in carceribus conſtitutis,
,, ac proxime martyrium ſubituris po-
,, ſcebant: quod minus ſe illas ab Epiſ-
,, copis aſſequi poſſe ob facinorum gra-
,, vitatem confiderent. Id quidem eſt,
,, quod Tertullianus ad Martyres tunc
,, in carcere poſitos ſcripſit, ipſas indul-
,, gentias *pacem* appellans, adhuc Ca-
,, tholicus eas non improbrans, ſed pru-
,, dentem earumdem conceſſionem
,, commendans, easdem literas, quas
,, proinde pacis libellos dictitat, caute
,, etiam ab Epiſcopis executioni deman-
,, dandas aſſeruit. Non tamen ipſimet
,, Martyres lapſis indulgentias conce-
,, debant, ſed ſupplices libellos ad Epi-
,, ſcopos dabant, ut eorum martyrii
,, mox ſubeundi ſupererogatas ſatisfa-
,, ctiones lapſis applicare dignarentur;
,, uti Cyprianus pariter multis exemplis
,, declarat, ac in primis in Epiſtola ad
,, Martyres, qui pluſquam fas eſſet in-
,, dulgentes, nimis propere lapſis lite-
,, ras ipſas tradebant. Itaque ſicuti non-
,, nullis tanquam importune nimis vel
,, inofficioſa petentibus vigor ſacerdo-
,, talis reſiſtere cæpit; ita humiliter,
,, ſubmiſſeque indulgentias ipſas efflа-
,, gitantibus, paſtoralis commiſeratio,
,, cum præſertim id temporis ratio po-
,, ſtularet, præſto fuit. Et quidem Cy-
,, prianus ipſe in epiſtola contra Nova-
,, tianos, ac alibi fuſe hujusce conſue-
,, tudinis meminit licet epiſtola 23. ano-
,, nymas, & generales Martyrum in-
,, dulgentiales largitiones, ſeu pacis li-
,, bellos, & nominatim exceſſum Luci-
,, ani improbet, qui Pauli in carcere
,, poſiti literarum ejuſmodi ſuperero-
,, gationum quoſcumque poſcentes la-
,, pſos participes faceret, quem ſibi Lu-
,, cianus ipſe ad Celerinum crimini im-
,, putat his Verbis: *Scire debuiſti, quod*
,, *circa nos actum* (nempe a Cypriano)
,, *cum benedictus Martyr Paulus adhuc*
,, *in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mi-*
,, *bi; Luciane coram Chriſto tibi, ut ſi quis*
,, *poſt accerſitionem meam abs te pacem*
,, *petierit, des in nomine meo, & adjungit,*
,, *Sed & omnes, quos Dominus in tanta*
,, *tribulatione accerſire dignatus eſt literis*
,, *ex compacto univerſis pacem dimiſimus.*
,, Hujuſmodi autem abuſus, ac exceſſus
,, animos dederunt Patribus Concilii
,, Nicæni, ſolis Epiſcopis poteſtatem
,, tribuendi ad applicandas pro eorum
,, arbitrio lapſis indulgentias, libello-
,, rum pacis uſu prorſus abolito; hæc
,, ſunt Canonum verba: *pro animi ardo-*
,, *re quivis ſuſceperit injunctam pœniten-*
,, *tiam, valeat Epiſcopus indulgentiam,*
,, *ne præſtitum integrum tempus perſolve-*
,, *re teneantur illi præſtare.*

DIS-

DISSERTATIO CCCXCV.

De Indulgentiis. An Indulgentiarum fundamentum ſit Eccleſiæ theſaurus? Ex quibus Eccleſiæ theſaurus componatur?

Diximus ſupra, Indulgentiam eſſe ſolutionem pro pœna temporali debitam: modo inquirimus, ex quo deſumatur ſolutio iſta? Et quum ſententia omnium Theologorum, immo omnium Catholicorum ſit, quod deſumatur ex Eccleſiæ theſauro; ſupereſt videndum, quid ſit hic Eccleſiæ theſaurus, qui eſt indulgentiarum fundamentum? Et ex quibus componatur? Eccleſiæ theſaurus conſtat ex infinitis Chriſti Domini meritis, & ex meritis, quæ acquiſierunt Sancti per ejuſdem Chriſti merita. Theologorum placita afferimus.

Primo, Franciſcus Mayronus, qui putavit indulgentias eſſe meram abſolutionem, non autem remiſſionem cum ſolutione conjunctam, hunc theſaurum non admittit in 4 ſententiarum diſtinc. 19, quæſt. 2., etiam ex illa parte, qua complectitur merita Chriſti.

Secundo, Durandus in 4. diſtin. 20. qu. 3. admittit theſaurum Eccleſiæ pro illa parte, qua complectitur merita Chriſti, negat vero pro illa, qua continet merita Sanctorum.

Tertio, communis Theologorum eſt ſententia, quod theſaurus Eccleſiæ continet, & merita Chriſti, & merita Sanctorum, non ſolum per viam ſuffragii, & impetrationis, ſed etiam proprie dictæ ſolutionis.

Dicimus I. De fide eſſe, quod theſaurus Eccleſiæ conſtet ex meritis ſuperabundantis ſatisfactionis Chriſti.

I. Probatur. De fide eſt, quod Chriſtus Deus, & Homo, vere fuit propitiatio, & redemptio pro omnibus; ſed in hoc fundatur, quod theſaurus Eccleſiæ componatur ex Chriſti meritis: ergo de fide eſt, quod theſaurus Eccleſiæ conſtet ex Chriſti meritis. Argumentum fundatur in authoritate Apoſtoli I. ad Thimoteum 2., ubi dicitur de Chriſto: *Qui dedit ſe redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis*; & ad Hæbreos 9. *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? Et ideo novi Teſtamenti mediator eſt; ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Et fundatur in propheti a Iſajæ 3: *Vere languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit.*

II. Probatur ex Clemente VI. in extravaganti *Unigenitus*, in qua expreſſe loquitur de hoc theſauro Eccleſiæ, dicens: *Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum; ſed per beatum Petrum, cæli clavigerum, ejuſque ſucceſſores, ſuos in terris Vicarios commiſit fidelibus diſpenſandum, & propriis rationabilibus cauſis nunc pro totali, nunc pro partieli remiſſione pœnæ temporalis pro peccato debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter, prout cum Deo expedire cognoſcerent, vere pænitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum.*

Dicimus II. Sanctorum merita, & ſatiſfactiones, etiam ingredi Eccleſiæ theſaurum per modum ſuffragii, & interpetrationis, & etiam abſolutionis.

I. Pro-

Digitized by Google

I. Probatur ex Scripturis. II. ad Corint. 20.: *Ego lubentiſſime impendam, & ſuper impendar ipſe pro vobis*. II. ad Thimot. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos*: AdColoſſen. 1. *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo quæ deſunt* (hoc eſt, quæ ſuperſunt) *paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.*

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Clemens VI. in extravaganti citata; *Ad cujus quidem theſauri cumulum à Beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum, a primo juſto uſque ad ultimum, merita, adminiculum, præſtare noſcuntur*. S. Pius V. damnavit hanc propoſitionem Baji, quæ eſt num. 60. *Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur; ut digni ſimus, qui pretio ſanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis, liberemur.*

II. Probatur Rationibus. I. Debitores, qui plus ſolvunt, quam debeant, poſſunt licite diſponere de toto illo, quod debito ſupereſt; ſed Beata Virgo, & Sancti quidam plus ſolverunt, quam deberent: ergo poſſunt de toto illo diſponere; ſeu poteſt Chriſtus diſponere ad Eccleſiæ diſpenſationem, cui ipſe commiſit hanc poteſtatem. II. In Apoſtolico ſymbolo profitemur nos credere Sanctorum communionem; ſed hæc Sanctorum communio importat, quod Sanctorum merita ingrediantur Eccleſiæ theſaurum; ergo &c. III. Sancti ſunt membra Eccleſiæ; ſed non ſolum caput, at etiam membra prodeſſe poſſunt aliis membris; ergo etiam in corpore myſtico Sancti per ſua merita prodeſſe poſſunt cæteris fidelibus, qui ſunt ejuſdem Eccleſiæ membra. IV. Exempla habemus in Sacris Scripturis, quod Chriſtus pepercit peccatoribus per Sanctorum preces: ergo poteſt etiam per eorundem Sanctorum merita peccatoribus prodeſſe in pœnarum temporalium ſolutionem. Exempla ſunt, quando Deus pepercit Loth per fidem Abrahæ; Iſraelitis propter orationes Moyſeu; Sodomitis, ſi in Sodoma fuiſſent decem viri juſti.

Objiciunt I. Chriſtus habuit præmium, quod reſpondere poterat merito, quod habuit: ergo non habet quid ſuperfluum, quod applicari poſſit fidelibus pro pœnis temporalibus. II. Si merita Sanctorum poſſent applicari nobis, ſignum eſſet, quod ſatisfactio Chriſti non fuiſſet infinita; ſed hoc eſt falſum: ergo ſatisfactiones Sanctorum ſunt inutiles, otioſæ, ac Chriſto injurioſæ. III. Merita Sanctorum, vel applicantur nobis ſimul cum meritis Chriſti, vel ſeorſum ab illis? Si primum; ſunt otioſa: ſi ſecundum; nihil valent. IV. Sancti receperunt mercedem meritorum ſuorum: ergo nihil ipſis ſupereſt, quod peccatoribus applicetur.

Reſpondemus ad I. Sententiam Mayronis reputari a Maldonato hæreſi proximam; & ratio eſt, quia ſi de præmio eſſentiali loquitur, hoc fuit Chriſto omnino debitum, & connaturale ex vi unionis hypoſtaticæ; ſi vero loquitur de præmio accidentali, adhuc ſententia eſt falſa, & erronea, quia ſatisfactiones Chriſti fuerunt pretii infiniti, unde ſemper excedunt quodcumque præmium accidentale.

Ad II. dicimus, quod non adjungimus merita Sanctorum meritis Chriſti, quaſi merita Chriſti indigeant illis ad ſolvendum; ſed ut detur hæc gloria Sanctis, quorum merita nobis applicantur, & ut nobis proveniat hæc ſpecialis utilitas ex eorumdem Sanctorum meritis; unde ſequitur, quod merita Sanctorum conjuncta cum meritis Chriſti, non habent quid majoris pretii, quam ſola merita Chriſti, ſi conſiderentur a Sanctorum meritis ſeparata.

Ad III. dicitur, quod ſatisfactiones Chriſti, etſi ſint infinitæ, nobis tamen applicantur finito modo; unde hic modus finitus capax eſt augmenti per merita Sanctorum.

Ad IV. dicitur, quod Sanctorum operationes poſſunt conſiderari & prout ſunt meritoriæ, & prout ſunt ſatisfactoriæ; prout ſunt meritoriæ, proſunt Sanctis ipſis; prout ſunt ſatisfactoriæ, proſunt aliis, quibus applicantur.

DIS-

DISSERTATIO CCCXCVII.

De Indulgentiis. An in concedendis Indulgentiis debeat eſſe cauſſa legitima? Et quæ conditiones eſſe debeant in iiſdem lucrandis ex parte accipientis?

INdulgentiarum Cauſſæ plures eſſe poſſunt; & quidem una eſt generalis omnium indulgentiarum, quæ reſpicit Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem. Altera eſt peculiaris, quæ dirigitur ad majorem alicujus Sancti cultum, ob quem indulgentiæ conceduntur illis, qui illius Eccleſiam devotis precibus viſitant, ut major ejus Feſti devotio promoveatur. Cauſſa vero finalis Indulgentiarum, quæ etiam dicitur motivum earundem, dividitur a Maldonato, vel ut conſideratur in pœnitente, vel ut conſideratur extra pænitentem. De prima hæc aſſerit Clemens VI. in Extravaganti *Unigenitus*; ut ſcilicet *cunctorum fidelium augeatur devotio, fides ſplendeat, ſpes vigeat, charitas vehementius intendatur*; Et hæc eſt prima cauſſa. Secunda eſt dolor intenſus in pænitente propter dilatam cum Eccleſia reconciliationem. Tertia eſt periculum mortis, quo urgente dabatur pænitentibus pax, & communio. Quarta eſt ſtudium exequendi pænitentiam injunctam, quæ per multum temporis fieri deberet. Quinta eſt difficultas exequendi pænitentiam, vel propter infirmitatem, vel propter aliud impedimentum. Cauſſa juſta extra pænitentem multiplex etiam eſſe poteſt; ſcilicet Infidelium converſio, hæreſis extirpatio, pax Chriſtianorum, Bellum ſacrum, Eccleſiarum ædificatio, ſuſtentatio pauperum, & Eccleſiæ Miniſtrorum. His poſitis, quæritur modo; an ſi Indulgentiæ ſint ſine juſta, & legitima cauſſa, valeant?

Dicimus I. Indulgentias, ſi ſint ſine juſta, & legitima cauſſa, non valere.

I. Probatur ex Scripturis. Prima ad Corint. 20. ait Apoſtolus: *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Igitur Sanctiſſimus Pontifex, & Epiſcopi, qui ſunt indulgentiarum Miniſtri, ſunt dumtaxat diſpenſatores, & Oeconomi Eccleſiæ bonorum, non ſunt Domini: atqui diſpenſatores non habent poteſtatem abſolutam, ſed ſubordinatam voluntati Domini; voluntas autem Domini eſt, ut indulgentiæ ſine juſta, & legitima cauſſa non concedantur: ergo &c.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Clemens VI. in citata conſtitutione *Unigenitus* declarat, quod ea conditione concreditus fuit theſaurus Eccleſiæ Petro, & Succeſſoribus ejus, ut eum *piis rationabilibuſque cauſſis diſpenſent*. Ergo eſt neceſſaria juſta, & legitima cauſſa in diſpenſatione indulgentiarum. Martinus V. in conſtitutione poſt Concilium Conſtantienſe, vult de hæreſi ſuſpectum interrogari: *Utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis vere contritis, & confeſſis cauſſa pia, & juſta poſſit concedere indulgentias in remiſſionem peccatorum*.

III. Probatur ex Conciliis. Concilium Lateranenſe IV. can. 62. vocat indulgentias ſine juſta caſſa conceſſas, *indiſcretas, ac ſuperfluas*. Inſuper in Concilio Baſileenſi ſub Eugenio IV. fuit data Indulgentia plenaria ſub juſta cauſſa illis, qui aliquid contribuebant in ſubſidium expeditionis Hieroſolymitanæ. In Concilio Ravennate III. ſub Clemente V. fuit reſtricta Epiſcopis facultas concedendi indulgentias, quia juſtam cauſſam non habebant.

IV. Pro-

Digitized by Google

IV. Probatur Rationibus. I. Ex communi Patrum doctrina indulgentiæ debent eſſe rationabiles; ſed rationabiles non eſſent ſine juſta & legitima cauſſa conceſſæ: ergo &c. II. Indulgentiæ debent reſpicere Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem; ſed hunc reſpectum non haberent, ſi eſſent ſine juſta & legitima cauſſa: ergo &c. III. Indulgentiæ non debent eſſe ſuperfluæ, & indiſcretæ: ergo non debent eſſe ſine juſta, & legitima cauſſa.

Sunt, qui requirunt ad juſtam, & legitimam cauſſam conferendi indulgentias, proportionem aliquam operis injuncti cum indulgentia; Attamen omnes conveniunt ad juſtam cauſſam indulgentiæ non requiri, ut opus injunctum ſit ad æqualitatem cum pæna debita, alias inutilis eſſet indulgentia, nec remiſſio eſſet, ſed commutatio. Ceterum quoad hoc duæ opiniones inveniuntur. Cardinalis Bellarminus ad juſtam cauſſam requirit, ut non ſolum ſit opus pium, & utile, ſed etiam quod habeat proportionem cum indulgentia, ita ut pro levi cauſſa non detur Indulgentia maxima. Alii vero volunt ſufficere etiam minimam cauſsam, modo ſit pia.

Dicimus II. Requiri ad juſtam cauſsam proportionem quandam, ut diximus.

I. Probatur Concluſio. Ut quis dicatur diſpenſator fidelis, non ſolum requiritur ut cum cauſsa diſpenſet alterius bona, ſed etiam ut diſpenſet cum cauſsa juſta; ſed indulgentiarum diſpenſator debet eſse diſpenſator fidelis; ergo non ſolum cum cauſsa diſpenſare debet, ſed etiam cum juſta & legitima cauſsa: atqui quando non eſt aliqualis proportio, non eſt juſta & legitima cauſsa; ergo &c.

II. Probatur. Si quæcunque cauſsa ſufficeret ad indulgentiarum diſpenſationem, nullæ darentur ſuperfluæ, & indiſcretæ indulgentiæ; ſed hæ dantur, & abrogatæ declarantur ex Conciliis ſupracitatis: ergo aliqualis cauſsa non ſufficit. Major eſt certa, quia ſemper aſſignari poſset, & allegari aliqua cauſsa, quæ eſset pia.

III. Probatur. Diſpenſatio indulgentiarum aſſimilatur diſpenſationi Votorum; ſed in diſpenſatione votorum non ſufficit quæcunque cauſsa, ſed requiritur cauſsa maxima, quæ magis Deo placeat, quam voti exequutio: ergo pariter in diſpenſatione indulgentiarum; atqui hoc continet proportionem, quam dicimus: ergo in diſpenſatione indulgentiarum requiritur hæc aliqualis proportio.

Verum ipſemet Bellarminus has duas oppoſitas ſententias conciliare nititur, & pro ſua temperanda has exceptiones profert, quæ referuntur a Tournely de Sacramento pænitentiæ queſt. ult. artic. 8. his verbis,, I. ad cauſ-
,, ſam juſtam ut plurimum duo requiri.
,, I. finem aliquem pium, ac Deo gra-
,, tum, cujus aſsecutio magis Deo pla-
,, ceat; quam pænitentialis ſatisfactio,
,, quæ per indulgentiam relaxatur. 2.
,, opus aliquod, per quod revera finis
,, ille probabiliter obtineri poſſit: nam
,, ſi finis quidem valde placeat Deo; ſed
,, per opus injunctum nullo modo va-
,, leat obtineri, non videtur juſta cauſ-
,, ſa obtinendæ indulgentiæ. V. G. ſi
,, detur indulgentia plenaria iis, qui ſe-
,, mel recitaverint Orationem domini-
,, cam pro converſione Hæreticorum,
,, cauſsa juſta non videbitur, nec opus
,, proportionatum quantitati indulgen-
,, gentiæ. II. ad proportionem cauſsæ
,, cum indulgentia, non requiri ut opus
,, injunctum ſit in ſe valde meritorium,
,, vel ſatisfactorium, vel difficile, ac
,, laborioſum; (quamvis hæc tamen
,, ſpectari debeant) ſed ut ſit medium
,, aptum, atque utile ad conſequendum
,, finem, cujus gratia conceditur indul-
,, gentia. Itaque fieri poteſt, ut per
,, opus in ſe leve, ac facile magna in-
,, dulgentia acquiri poſſit, quia opus il-
,, lud in ſe leve, ac facile medium eſt ad
,, finem Deo gratiſſimum aſsequendum.
,, Talis eſt V. G. aſſiſtentia illa præ fo-
,, ribus Baſilicæ S. Petri Romæ; dum
,, S. Pontifex ſolemni ceremonia popu-
,, lo benedicit: frequentia etenim po-
,, puli ea in circumſtantia, medium eſt
,, aptum, & utile ad proteſtationem
,, fidei de Capite Eccleſiæ. Similiter
,, nonnullæ indulgentiæ conceduntur
,, iis, qui certa die ad aliquam Baſili-
,, cam, ſeu Aedem ſacram animo reli-
,, gionis, ac pietatis accedunt: opus
,, quidem in ſe leve, nec laborioſum:
,, attamen attentis circumſtantiis, pro-
,, portionatum fini indulgentiarum,
,, nempe ad cultum alicujus Sancti ad
,, incrementum pietatis &c. 66. ſervat
,, Maldonatus de indulg. q. 4. pœniten-
,, tiam, quæ præſcribitur in indulgen-

,, tiis,

„ tiis, ſemper ex ſeſe æſtimari non de-
„ bere, ſed ex fine, propter quem impo-
„ nitur. Nam, inquit, fieri poteſt, ut
„ melius agat pænitentiam, qui jejuna-
„ turus erat integrum annum, dato uno
„ aureo nummo ad redimendos capti-
„ vos, aut ad defendendam Eccleſiam
„ ab hoſtibus, quod indulgentiis præſcri-
„ bitur; quam ſi jejunaſſet totum annum.
„ Non quod non ſit facilius unum au-
„ reum dare, quam jejunare totum an-
„ num; ſed quod propter præſentem ne-
„ ceſſitatem, & alias circumſtantias,
„ pluris eſt dare aureum, quam jejuna-
„ re. III. Excipit Bellarminus, non eo-
„ dem modo judicandum eſſe de cauſſa
„ indulgentiæ, cum datur alicui parti-
„ culari, & cum datur multis in com-
„ mune. In priori caſu oportet ut opus
„ *injunctum* illi ſoli, ſit proportionatum
„ fini, *cujus* gratia datur indulgentia;
„ in ſecundo caſu, neceſſe non eſt ut
„ opus ſingulorum, ſed tantum ut opus
„ omnium ſimul proportionatum ſit fini;
„ atque hinc accidere poteſt, ut indul-
„ gentia maxima ſit *juſtiſſima*, etiam ſi
„ opus *injunctum* ſingulis videatur. V.
„ Gr. ſi neceſſe ſit ædificari Baſilicam,
„ vel Xenodochium, & detur indulgen-
„ tia ſeptem, vel decem annorum, vel
„ etiam plenaria, conferentibus certam
„ auri ſummam: ſi reſpiciatur opus ſin-
„ gulorum, videbitur cauſſa *injuſta*; ſed
„ tamen ſi tota ſumma ab omnibus col-
„ lata conſideretur, *jam* erit *juſta* cauſ-
„ ſa, quia poterit illis ſumptibus ædifi-
„ cari Baſilica, vel Xenodochium, quæ
„ ædificatio gratior Deo eſt, & utilior
„ Eccleſiæ, quam pænitentialis ſatisfa-
„ ctio, quæ per indulgentiam relaxatur.
„ Confirmari poteſt iſta exceptio aucto-
„ ritate S. Th. in Supplemento qu. 25.
„ ar. 2. ad 3. IV. Denique Bellarminus
„ excipit plerumque in cauſſa *juſta* duo
„ contineri, finem, & media ad finem;
„ & contingere aliquando ſolum finem
„ ſufficere ſine ullis mediis, id eſt ſine
„ aliquo opere *injuncto*, quando videli-
„ cet finis, non pendet ab aliquo opere,
„ & per ſe ſufficit ad indulgentiam *ju-*
„ *ſtam* efficiendam. Sic in articulo mor-
„ tis hominibus de Eccleſia bene meritis
„ dantur aliquando indulgentiæ, abſque
„ ullo *injuncto* opere, quia videtur
„ cauſſa eſſe ſatis *juſta*, ipſa neceſſitas
„ extrema conjuncta cum meritis præ-
„ cedentibus.

Objiciunt I. ſi opus *injunctum* deberet eſſe proportionatum indulgentiæ conceſſæ, nullæ darentur indulgentiæ plenariæ; atqui hoc eſt falſum: ergo non eſt neceſſaria proportio dicta. Probatur *major*. Indulgentia plenaria eſt, quæ remittit omnem pænam temporalem; ſed nullum eſt opus *injunctum*, quod proportionem habeat cum tota pæna temporali: ergo ſi hæc proportio eſſet neceſſaria, nulla daretur indulgentia plenaria. II. Si validitas indulgentiarum dependeret a cauſſa ipſarum, nunquam nos eſſemus ſecuri, an indulgentiæ, quas lucrari conamur, ſint validæ, vel invalidæ; atqui hoc importat ſummam anxietatem, & ſollecitudinem fidelium: ergo non eſt admittendum. III. Communiter in Eccleſia dicitur, quod indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant: ergo nulla eſt neceſſaria cauſſa ex parte concedentis, & nulla eſt neceſſaria proportio ex parte lucrantis. IV. Theſaurus meritorum Chriſti eſt vera cauſſa omnium indulgentiarum; ſed theſaurus hic eſt infiniti valoris: ergo ex quacunque cauſſa concedi poſſunt indulgentiæ, & ex quocunque opere *injuncto* poſſunt pariter lucrari.

Reſpondemus ad I. quod in conceſſione plenariæ indulgentiæ ſemper intelligitur hæc tacita conditio, quod ex parte recipientis ſit diſpoſitio proportionata ad eam obtinendam. Et ratio eſt, quia quilibet fidelis pro menſura ſuæ diſpoſitionis conſequitur indulgentiarum effectum; eo ſane modo, quo ſacramenta conferunt nobis gratiam *majorem*, vel minorem, pro *majori*, vel minori ſuſcipientium diſpoſitione.

Ad II. dicitur, quod nulla anxietas, vel ſollicitudo eſſe debet ex parte recipientium, quando in contrarium nullum reperiunt obicem manifeſtum, nec in eo, qui indulgentias concedit, nec in eo, qui ipſas lucratur; eo etiam modo, quo fit in iis, qui per ſacramenta gratiam recipiunt.

Ad III. Effatum illud eſt verum, ſed ſuppoſitis conditionibus ad veram indulgentiam requiſitis; quando ſcilicet cauſſa fuit vera & legitima ex parte dantis, & opus *injunctum* fuit vere exhibitum ex parte recipientis.

Ad IV. dicitur, quod theſaurus meritorum Chriſti utique eſt primaria, &

meritoria cauſsa indulgentiarum; at nihilominus auctoritas Eccleſiæ eſt cauſsa proxima, quæ nobis applicat merita illa; & noſtra diſpoſitio eſt conditio, per quam applicatio illa fit.

Devenientes modo ad ſecundam Diſsertationis partem, in qua quæritur de diſpoſitionibus neceſsariis ad lucrandas indulgentias; & quidem nemini eſt difficultas, quod ſit neceſsaria exequutio operis injuncti; at dubitatur quo animi affectu opus injunctum peragi debeat? Et in hoc Eſtius in 4. diſtin. 20. §. 8. diſtinguit tria tempora, quorum primum eſt illud, quo indulgentia publicatur; ſecundum illud, quo fit opus pro conſequenda indulgentia; tertium, quo quis eam vult conſequi.

Dicimus ergo ſtatum gratiæ non eſſe neceſſarium pro tempore, quo indulgentiæ publicantur, ſed pro tempore, quo perficitur ultimum opus injunctum.

Prima Concluſionis pars probatur, quia nulla eſt lex, quæ hoc præcipiat; & Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 13. ſubdit; *niſi forte idem ſit tempus publicationis, & perceptionis: ut cum in ſacello pontificio dantur indulgentiæ omnibus, qui divinis Officiis in eo loco interfuerunt.*

Secunda Concluſionis pars probatur etiam, quia pœna temporalis, quæ remittitur per indulgentiam, non remittitur, niſi remiſſa culpa; ſed culpa non cenſetur remiſſa, niſi quando quis eſt in ſtatu gratiæ: ergo requiritur ſtatus gratiæ in adimpletione operis injuncti.

Colligimus ex his, quod alia opera injuncta optimum quidem eſt, ſi fiant in ſtatu gratiæ; attamen ſufficere, ſi fiant animo religioſo, ac pænitente, & ab omni affectu mortalis peccati alieno. Confeſſio autem ſacramentalis eſt neceſſaria, ſi in ultimo opere injuncto quis inveniatur in ſtatu peccati mortalis; vel ſi etiam ſacramentalis confeſſio eſſet unum ex operibus injunctis.

DISSERTATIO CCCXCVIII.

De Indulgentiis, De variis Indulgentiarum ſpeciebus, Quænam ſint? & quomodo intelligantur?

PRima Indulgentiarum diviſio eſt illa notiſſima, quæ fit in plenariam, & non plenariam, ſeu partialem. Indulgentia plenaria eſt totius pœnæ temporalis remiſſio, & adeo perfecta eſt, ut ex vi clavium non poſſit eſſe major. Unde Eſtius in 4. diſt. 20. §. 10. ſcribit; „ Plenæ enim dicuntur indulgentiæ, quarum ea vis eſt, ut plenam is, qui ſit præparatus, accipere queat peccatorum remiſſionem. Per quod imprimis certum eſt, non omnem ſatisfactionem excludi, quandoquidem præparatio, ſeu diſpoſitio quædam ſatisfactoria requiritur ex parte ſuſcipientis, idque ex lege divina, cui beneficium hoc indulgentiæ plenariæ non contrariatur. Quocirca Pontifex hujuſmodi indulgentiam concedens non legem divinam infringit, ſed ea præſuppoſita de plenitudine poteſtatis indulgentiam diſpenſat, nulla temporis menſura limitatam; tantum videlicet largiens, quantum quiſque ſecundum præparationem ſuam capere poteſt, & totam condonans pœnam, ſi totalis condonationis ſecundum ſuam præparationem capax eſt Pœnitens. Unde verè dicitur, quod indulgentia etiam plenaria tantum valet, quantum ſonat, tametſi non omnis, qui eam participat, plenum inde fructum conſequatur. Quod ſignificant illa verba Bonifacii

Google

„ facii VIII. in Extravagante Jubilei,
„ quibus ait: Unuſquiſque tamen plus
„ merebitur, & indulgentiam efficacius
„ conſequetur, qui Baſilicas ipſas am-
„ plius, & devotius frequentabit. Quæ
„ verba manifeſte ſignificant indulgen-
„ tiam plenariam non ſemper æqualiter
„ ab omnibus participari. Atque id vo-
„ luit Bonaventura, cum dicit, indul-
„ gentias, quantum eſt ex poteſtate
„ dantis, tantum valere, quantum
„ promittunt; nec tamen omnibus va-
„ lere æqualiter, ſed ſecundum æſtima-
„ tionem, quam habuit, vel habere
„ debuit, qui indulgentiam dedit.
„ Quam, inquit, æſtimationem non
„ oportuit exprimere, quia omnes fide-
„ les debent illud in corde præſuppone-
„ re, quod dona, & miſerationes Sancti
„ Spiritus dantur cum æquo libramine.
Plenaria igitur indulgentia, quo plenior
eſt, eo rarior fuit antiquis temporibus;
Quia ante bellum ſacrum contra Tur-
cas, vel Saracenos, vel Albicenſes,
indulgentia hujuſmodi generaliter
non legitur conceſſa; ſed ſpecialiter
tantum. Proinde Bellarminus lib. 1.
de Indul. cap. 20. fatetur; veteres par-
ciſſimos fuiſſe in indulgentiis confe-
rendis. Attamen in Conciliis Latera-
nenſi, & Claromontano, expreſſius
audita eſt hæc plenaria indulgentia,
quæ conceſſa legitur illis, qui propriis
impenſis arma ſuſcipiebant, & Hiero-
ſolymam tendebant; vel illis, qui
per quadraginta dies cum certo mili-
tum numero contra Albicenſes pugna-
bant.
Indulgentia non plenaria, ſeu partialis,
ideo ſic nominatur, quia per ipſam
non tota pœna temporalis remittitur,
ſed pars; & per hoc ad certum nume-
rum, vel annorum, vel dierum re-
ſtringitur. Non conveniunt tamen
Scriptores, an ille numerus referatur
ad tempus, quo per Canones pœni-
tentiales pæna temporalis pœnitentiæ
injunctæ fieri debebat, an ad tempus,
quo in Purgatorio pæna temporalis
ſolvi debeat per ignem. Eſtius cit. lo-
co putat dies illos, vel annos referen-
dos non eſſe ad pœnam luendam in
purgatorio, ſed ad pœnitentiam in
hoc ſeculo pro peccatis ſecundum
Canones peragendam. Et hæc ſunt
ejus verba „ Jam quod attinet ad in-
„ dulgentias non plenas, in iis rigor ca-
„ nonis pœnitentialis relaxatur dumta-
„ xat remiſſione certi temporis, velut
„ aliquot dierum, vel unius anni, aut
„ plurium. Neque enim dies illi, vel
„ anni referendi ſunt ad pœnam luen-
„ dam in Purgatorio, quaſi, verbi gra-
„ tia, quadraginta dierum indulgentiam
„ tollat pœnam quadraginta dierum fu-
„ turi ſeculi, ſed ad pœnitentiam in hoc
„ ſeculo pro peccatis ſecundum canones
„ debitam. Senſus enim eſt, per tot
„ dierum, vel annorum indulgentiam,
„ demi tot dies, vel annos de pœniten-
„ tia, quæ ſecundum canones pro pec-
„ catis injuncta fuit, vel certe injungi
„ debuit. Quem ſenſum manifeſte ar-
„ guit indulgentiarum forma, in qua
„ non dicit Pontifex ſe remittere tot
„ dies, vel annos de pœnis, ſed de pœ-
„ nitentiis, & plerumque addit injunctis.
„ Quod ad pœnas purgatorii nullo mo-
„ do referri poteſt. Conſequenter ta-
„ men remittitur pæna Purgatorii tantæ
„ Pænitentiæ reſpondens. Quanta vero
„ reſpondeat ſoli Deo cognitum eſt.
Cæterum hæ diſcordes ſententiæ facile
conciliantur, ſi dicatur, quod dies &
anni indulgentiarum primario ac per
ſe referantur ad pænam, quæ eſt in
præſenti ſeculo ſolvenda; ſecundario
verò & indirecte ſeu conſequenter
referantur ad Purgatorii pænam. Et
ratio ipſorum eſt, quia omnis indul-
gentia minuendo pænam ab Eccleſia
injunctam, minuit etiam partem pæ-
nitentiæ, quæ reſpondet eidem in al-
tera vita ſecundum menſuram ſoli
Deo cognitam. Et hæc eſt explicatio,
vel concordia Tournaly, cui nos ſub-
ſcribimus.
Modo deveniendum eſt ad Indulgentiam
plenariam, quæ dicitur Jubileum. Hæc
indulgentia fuit introducta in Eccle-
ſiam ad inſtar magni anni Jubilei, de
quo fit ſermo cap. 25. 27. Levitici, &
cap. ult. Numerorum. Qui quidem
Annus magni Jubilei apud Hebreos di-
cebatur annus remiſſionis; quia quo-
libet quinquageſimo anno recurrente,
omnium debitorum fiebat remiſſio;
& ad normam hujus inſtitutus fuit Ju-
bileus Chriſtianorum, quem Bonifa-
cius VIII. Anno 1130. celebrandum
voluit centeſimo quocumque anno;
Clemens VI. anno 1350. reduxit ad
annum 50., Urbanus VI. anno 1389.
reſtrinxit ad annum 33., & nihilominus
conſtitutio Clementis fuit obſervata a
Bonifacio IX. anno 1400., & a Nico-
lao V.

lao V. anno 1450. Paulus verò II. anno 1470. reduxit Jubileum ad annum 25., quod confirmavit Xiſtus IV. anno 1673., & nunc ſic in Eccleſia obſervatur.

Ultra pœnæ temporalis relaxationem, Jubileus continet quoque poteſtatem eligendi ſibi quemlibet Confeſſarium ex approbatis, qui poſſit ab omnibus caſibus reſervatis, & cenſuris abſolvere, & vota omnia, excepto illo Religionis, & caſtitatis perpetuæ, commutare.

Præter has dictas indulgentias aliæ numerantur ab Auctoribus: Et ſunt vel perſonales, quæ certis perſonis conceduntur; vel temporales, quæ ad certum tempus limitantur; vel Locales, quæ quibuſdam Eccleſiis, vel Altaribus, vel Imaginibus, vel granis benedictis alligantur; de quibus citat. Tournely hæc ſcribit, „Sunt inter noſtros nonnulli, qui in hujuſmodi realibus indulgentiis, quæ granis benedictis, imaginibus, roſariis &c. non aliam vim ineſſe putant, quam quæ libellis Martyrum olim competebat; nempe ut Epiſcopus, & Sacerdos excitarent ad indulgentiam lapſis, ſi bene affecti forent, concedendam. Verum aliquid amplius in rebus hujuſcemodi ad mentem SS. Pontificum ineſſe, Fidelibus perſuaſum videtur. Et vere ſi poteſt Eccleſia huic, vel illi operi, hoc vel iſto modo faciendo indulgentiam annectere, quare non poterit facere, ut idem beneficium ab alicujus ſigni, & ſymboli, geſtatione dependeat, cum ea ipſa lege, ac conditione, qua viſitantibus Eccleſias Indulgentia confertur; hoc eſt, ut quæ neceſſaria ſunt pietatis, ac pœnitentiæ opera non omittantur? Cæterum graviter aberrant rudes, & imperiti Chriſtiani, qui aliter indulgentiarum fructus ſe aſſequi poſſe arbitrantur. Quapropter ſerio monendi ſunt, ac edocendi, ne forte in hujuſcemodi rebus mobilibus benedictis vim plus æquo tribuant, ac fiduciam ultra modum collocent; ſed ſtudeant potiſſimum; totiſque viribus elaborent, ut dignos faciant fructus pœnitentiæ.„

DISSERTATIO CCCXCIX.

De Indulgentiis. An concedi poſſint, non ſolum pro vivis, ſed etiam pro mortuis? An pro mortuis concedantur per modum judicii, & abſolutionis? An per modum ſuffragii?

IN eo verſantur errore Heterodoxi fere omnes poſteriorum temporum, ſive illi, qui Lutero ſubſcribunt, ſive illi, qui Calvino famulantur, ut temere aſſerant, indulgentias nullo modo defunctis prodeſſe. Et quidem nec per modum judicii, & abſolutionis, nec per modum ſuffragii, ſeu ſubſidii. Primo modo eſſet, quando exerceretur juriſdictio ſupra illos, quibus indulgentia concederetur, illos nimirum judicando, & abſolvendo. Secundo modo, quando daretur auxilium, ſeu ſubſidium eccleſiaſticum, per quod defunctorum animæ, vel a pœnis ſuis ſublevarentur, vel liberarentur; & hoc tribus modis fieri poſſe communiter dicitur; videlicet merendo per opera, impetrando per orationes, & ſatisfaciendo per paſſiones. Hoc totum optime explicatur ab Eſtio in 4. diſt. 20. §. 9., ubi habet: „Hoc autem, ut melius intelligatur, phraſis ipſa explicanda eſt. In qua primum ſuf-

„ ſuffragii nomine auxilium, ſeu ſubſidium eccleſiaſticum oportet intelligere; ut indulgentia per modum ſuffragii non aliud ſit quam indulgentia, quæ datur per modum auxilii eccleſiaſtici; ideſt, eo modo, quo fideles per pia opera ſubveniunt aliis, ſeu vivis, ſeu defunctis. Quod cum fiat trifariam, vel merendo per opem, vel impetrando per orationes, vel ſatisfaciendo per paſſiones; indulgentia ut talis, cum proprie diſpenſet paſſiones Sanctorum, non cujuſcumque ſuffragii eccleſiaſtici, ſed ſatisfactorii tantummodo rationem habet. Pervenit autem hæc indulgentia ad defunctos non per viam juſtitiæ, ſed per viam gratiæ, & miſericordiæ; eo quod, ut jam oſtenſum eſt, animæ defunctorum non ſint ſubjectæ poteſtati Eccleſiæ militantis, ut ab ejus Prælatis via juriſdictionis abſolvi poſſint. Quare ut a pœnis ſolvantur, expectanda eſt miſericordia judicis, cui immediate ſubſunt, videlicet Dei; ut oblata pro illis ſuffragia ſatisfactoria gratioſe acceptare ad earum liberationem dignetur; uti bene explicat Cajetanus Tract. 16. queſt. 5. „

Dicimus I. Indulgentias per modum judicii, & abſolutionis, animabus mortuorum concedi non poſſe.

I. Probatur ex Scripturis: *quæcumque ſolveritis ſuper terram &c.* ſed animæ defunctorum non ſunt ſuper terram, ſed potius infra terram: ergo non eſt poteſtas in Eccleſia ſupra ipſas. Quod confirmatur, quia Job. 41. habetur: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei*; & nunquam Scriptura animas defunctorum dicit eſſe ſuper terram, ſed potius aſſerit eas inhabitare infra, & ſubterranea loca.

II. Probatur ex Romanis Pontificibus. Alexander III. in ſuo decreto dicit. *Cum a non ſuo judice ligari nullus valeat, vel abſolvi, remiſſiones prodeſſe illis tantummodo arbitramur, quibus proſint, proprii judices ſpecialiter indulſerunt.* Ex quibus citatus Eſtius infert: „ Unde ſequi videtur quod abſolvi non poſſint defuncti a Prælatis Eccleſiæ; ut qui non ſint eorum proprii Judices. Nam qua ratione quis dixerit Summum Pontificem eſſe judicem animarum, quæ ſunt in Purgatorio, dici non poſſet idem de aliis Epiſcopis, cum nec divino, nec humano jure poteſtas eorum magis reſtricta videatur ad ſolos ſuperſtites, quam Pontificis Summi, „ Leo Magnus epiſt. 91. *Si aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo a munere indulgentiæ præſentis exciderit, & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus a carne non poterit. Non neceſſe eſt nobis eorum, qui ſic obierint, merita actuſque diſcutere, cum Dominus Deus noſter cujus judicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit.* Ad quæ ſubdit citatus Eſtius laudato loco: „ Quibus verbis & ſi de ſacramentali abſolutione ſit ſermo, generaliter tamen ſignificatum videtur, homines per mortem ſubtrahi foro Eccleſiæ, ſive judicio ſacerdotali, & reſervari juſtitiæ divinæ.

III. Probatur ex Patribus. Bernardus in epiſt. 7. ait. *Mortuos ſolum Deum habere judicem*: ergo nullus homo poteſt mortuis prodeſſe per modum judicii, & abſolutionis. Et cohærenter ad hæc Sacra facultas Pariſienſis damnavit hanc propoſitionem Joannis Angeli: *Animæ in Purgatorio detentæ ſunt de juriſdictione Papæ.* Et damnavit illam tanquam ſuſpectam, ſcandaloſam, & nullatenus publice prædicandam; ut teſtatur Joannes Major in 4. diſt. 20. quæſt. 3.

Dicimus II. Indulgentias concedi poſſe animabus defunctorum per modum ſuffragii.

I. Probatur ex Romanis Pontificibus. Leo X. in epiſt. decretali, miſſa ad Cardinalem Cajetanum, ut ait Eſtius loco cit. „ expreſſe diſtinguit duos modos indulgentias concedendi, cum dicit, ac declarat, Romanum Pontificem, tam pro vivis, quam pro defunctis, apoſtolica auctoritate indulgentiam concedendo, poſſe theſaurum meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare, vel & per modum abſolutionis indulgentiam ipſam conferre, vel per modum ſuffragii illam transferre conſueviſſe. Quæ disjunctiva locutio manifeſte ſignificat Pontificem ita per modum ſuffragii transferre indulgentiam in defunctos, ut non per modum abſolutionis eam illis conferat. „ Unde conſuetudo eſt

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ, quod quando Summi Pontifices extendunt indulgentias ad mortuos, hanc clauſulam addunt, ut illarum extenſio fiat *per modum ſuffragii*. Et ſic effecerunt Alexanter VI., Clemens VII., Julius III., Gregotius XIII., aliique.

II. Probatur ex Conciliis. Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio docet. *Curent autem Epiſcopi, ut fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta pie, & devote fiant; & quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perſunctorie, ſed a Sacerdotibus, & Eccleſiæ miniſtris, & aliis, qui hoc præſtare tenentur, diligenter, & accurate perſolvantur.* Et ſeſſ. 6. de juſtificatione can. 30. *Si quis poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo, vel in futuro in Purgaterio, antequam ad regna cœlorum aditus patere poſſit; anathema ſit.* Et ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 2. *Et quoniam in divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit; docet Sancta Synodus, ſacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit. Una enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa. Cujus quidem oblationis, cruentæ inquam, fructus per hanc uberrime percipiuntur: tantum abeſt, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non ſolum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto non dum ad plenum purgatis, rite, juxta Apoſtolorum traditionem, offertur.* Igitur ſi Animæ defunctorum juvari poſſunt bonis operibus viventium per modum interpretationis, poſſunt etiam juvari per modum ſatisfactionis, & ſolutionis.

III. Probatur ex Patribus, qui aſſerunt, Miſſæ ſacrificium fuiſſe quovis tempore in Eccleſia Deo pro defunctis oblatum. Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. *pro defunctis, pro natalitiis, oblationes annua die facimus.* Auguſtinus lib. 9. Confeſſionum cap. 20. aſſerit pro matre ſua Monica *oblatum fuiſſe ſacrificium pretii noſtri*; & ſerm. 172. alias 31. de verbis Apoſtoli n. 22. *Orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum iis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerant, hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia .... Non omnino ambigendum eſt, iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, qui ita vixerunt ante mortem ut poſſint hæc utilia eſſe poſt mortem ....: Non ergo mortuis nova merita comparantur ....ſed eorum præcedentibus conſequentia iſta redduntur.*

Arguunt I. Mortui aliquando abſolvuntur, vel damnantur ab Eccleſia: ergo etiam erga mortuos ſuam exercet juriſdictionem Eccleſia. II. Nullus homo poteſt pro altero ſuum meritum applicare: ergo nec pariter poteſt applicare ſuas ſatisfactiones. III. Satisfactiones noſtræ prodeſſe non poſſunt animabus defunctorum ex juſtitia, & ex condigno: ergo nullo modo prodeſſe poſſunt. IV. Moraliter eſt impoſſibile, ut obſerventur conditiones requiſitæ pro valida applicatione indulgentiarum pro mortuis: ergo hujuſmodi indulgentiæ nihil valent. V. Indulgentiæ applicatæ pro defunctis non valent pro iis, pro quibus in ſpecie applicantur, quia aliter adſtringeretur Deus ad ſe uniformandum noſtræ voluntati; neque in communi pro omnibus defunctis, quia pro his in communi non applicantur.

Reſpondemus ad I. quod Eccleſia abſolvat, vel damnet defunctos, intelligitur per hoc, quod declaret defunctum errore facti, vel fuiſſe damnatum, quando erat innocens, vel fuiſſe abſolutum, quando erat reus; ac proinde reſtituit memoriam primi cum honore, & laude; & privat ſecundum Eccleſiæ ſuffragiis. Teſtatur hoc Bellar-

minus

minus lib. 1. de Indulgentiis cap. 14. ſcribens. *Excommunicatio, vel abſolutio defunctorum, eſt potius declaratio ſententiæ, quæ ferenda fuiſſet, ſi meritum eorum non ſtatuiſſet, quam nova aliqua pœna, quæ ad animas ipſas pertingat.*

Ad II. Negatur paritas; & diſparitas eſt, quia meritum ſupponit gratiam ſanctificantem in eo, qui applicat, & in eo pro quo applicatur; non ſic autem ſatisfactio, quæ eſt mera ſolutio pœnæ debitæ, quæ per alium fit.

Ad III. Dicitur, indulgentias prodeſſe defunctis non ex juſtitia, neque ex condigno, ſed ex benignitate Dei, de ejus acceptatione, & de congruo; & in hoc nulla eſt repugnantia.

Ad IV. dico cum Bellarmino citato loco. *Quod non ſufficit autem pro cauſa utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarum illarum liberatione: nam ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe, pius, ac miſericors, jam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut de indulgentiis pro viventibus dicemus; ita ut S. Pontifex arbitretur gratiorem eſſe Deo rem illam, cujus gratia indulgentiæ conceduntur, quam executionem juſtitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.* Hæc quidem cauſſa facilis eſt ex parte concedentis. Ex parte autem viventium, qui indulgentias lucrantur, & eas pro defunctis per modum ſuffragii applicant, requiritur ſtatus gratiæ, & exequutio operum injunctorum, quæ etiam faciles ſunt. Pro parte autem defunctorum requiritur, ut iidem in ſtatu gratiæ deceſſerint; & in hoc nulla videtur difficultas inſuperabilis.

Ad V. Dicitur cum communi Doctorum Sententia, quod ſuffragia, & indulgentiæ proſunt omnibus defunctis in communi, quoad gaudium accidentale; ſed pro ſatisfactione proſunt illis certis animabus, quibus, ſecundum viventium intentionem, ſpecialiter applicantur.

DISSERTATIO CCCC.

De Indulgentiis. An Indulgentiæ liberent lucrantes illas ab omni ſatisfactione temporali? An ſtatus gratiæ pro eorumdem lucratione ſemper ſit neceſſarius.

QUod indulgentiæ liberent reos ab aliqua parte ſatisfactionis, quã deberent ſolvere in hoc ſeculo, pro pœna, quæ in altero deberetur, certum eſt apud omnes; quæſtio autem in hoc verſatur, an indulgentiæ liberent lucrantem illas a debito convenientis ſatisfactionis; ita ut, ait Jueninus, graviſſimorum ſcelerum reus levi ſatisfactione caſtigari debeat indulgentiarum tempore?

Dicimus I. plenarias etiam indulgentias non eximere peccatores a debito convenientis ſatisfactionis.

I. Probatur pluribus Sancti Cypriani teſtimoniis, quibus reprehendit Sacerdotes, qui ad libellos martyrum eximebant lapſos a convenienti ſatisfactione. lib. de lapſis hæc ſcribit, Miniſtros hoſce agere *contra legem Domini, contra evangelicam diſciplinam, contra Evangelii rigorem*. Subdit, quod hæc eſt *perſecutio alia, & alia tentatio, ut poſt culpam criminis tollatur & pænitentia*. Concludit, quod nocent potius animabus, qui contrarias doctrinas docent: ea concedere, quæ in perniciem vertant, decipere eſt; nec erigitur ſic lapſus, ſed per Dei offen-

ſam;

Digitized by Google

ſam, magis impellitur ad ruinam. Et denique aſſerit: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia crimine minor non ſit. Putaſne Dominum cito placari poſſe, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere voluiſti, cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti?* Et alibi: *Tu licet indumenta peregrina, & veſtes ſericas induas, nuda es. Auro licet, & margaritis gemmiſque condecores, ſine Chriſti decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine. Et quæ nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres, facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritualiter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis?*

II. Probatur rationibus. I. Indulgentiæ antiquitus conceſſæ non eximebant lapſos a lege convenientis ſatisfactionis; ſed indulgentiæ, quæ modo conceduntur, illis antiquis ſuccedunt: ergo nec hæ, quæ modo conceduntur, eximunt. Major probatur ex Conciliis Nicæno I., & Ancyrano, in quibus fit ſermo de indulgentiis, quæ conceduntur pœnitentibus, qui integrum pœnitentiæ ſtadium decurriſſent. II. Doctrina antiquorum fuit, quod indulgentiæ proderant iis, qui debitis pœnitentiæ operibus incumbebant: ergo pariter Doctrina antiquorum fuit, quod indulgentiæ non eximebant pœnitentes a debito convenientis ſatisfactionis. III. Quantitas indulgentiæ præſupponit opus, quantitati illi proportionatum: ergo præſupponit pœnitentiam, quæ illi quantitati conveniens ſit. Quod docet Concilium Aquenſe celebratum anno 1583., in quo dicitur, quod miniſter, qui indulgentias largitur, ſit ſatisfactionis, & pœnitentiæ præco: *Ut cœleſtem eum Eccleſiæ theſaurum, ſpiritualiaque munera exponi omnes intelligant non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatisfactionem, & ad pietatis exercitationem.*

Arguunt I. antiquis temporibus ad libellos Martyrum concedebantur indulgentiæ illis, qui in ſtatu mortis erant, & nulla in vita pœnitentiæ opera egerant: ergo indulgentiæ eximunt a debito convenientis ſatisfactionis. Antecedens patet ex epiſt. quam Clerus Romanus ſcripſit ad Cyprianum; & eſt 31. inter ejuſdem epiſtolas: *Eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis, ac vere pœnitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum caute, & ſollicite ſubveniri.* II. Si conveniens ſatisfactio deberet præcedere indulgentiarum virtutem, nullus fructus ex indulgentiis perciperetur; quia conveniens ſatisfactio purgaret totam pœnam in altero ſeculo peccatis debitam. III. Sunt Scriptores, qui docent tempore indulgentiarum non eſſe imponendam pœnitentibus ſatisfactionem Sacramentalem, & ſi aliqua imponenda judicabitur, debeat eſſe leviſſima, etiamſi graviſſima ſint delicta: ergo ex mente horum Scriptorum tempore indulgentiarum non eſt neceſſaria conveniens ſatisfactio. IV. Indulgentiæ ſuccedunt Martyrum precibus; ſed per Martyrum preces, abſque convenienti ſatisfactione pœnæ peccatorum remittebantur; ergo pariter per indulgentias pœnæ peccatorum remittuntur abſque convenienti ſatisfactione.

Reſpondemus ad I. quod lapſis in fine vitæ concedebantur indulgentiæ ſub ea conditione, ut ſi ſani fierent, convenientem peccatis ſatisfactionem exhiberent. Et hæc eſt mens Sancti Cypriani, qui ſcribit: *Qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu a vobis in pœnitentiam impoſita, cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.*

Ad II. dicitur, quod nomine convenientis ſatisfactionis non intelligitur, quæ ſolvat pœnam temporalem in altero ſeculo debitam, ſed quæ in hoc ſeculo fit, & per eam redimitur ea, quæ

in

in altero ſeculo fieri deberet. Seu clarius per convenientem ſatisfactionem intelligitur pœna, quæ habet aliquam proportionem cum gravitate peccati; ita ut, ut Jueniuus aſſerit, „ & tam
„ ſi minnr ſit ea, quã Canones injungunt,
„ tamen leve non ſit aliquod opus, ſed
„ ejus ſit naturæ, cui hæc conveniant,
„ quæ Concilium Tridentinum ſeſſ. 14.
„ cap. 8. quibuſcumque ſatisfactionibus
„ cnnvenire debere decernit: *Procul dubio maguopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilautiores in futurum pœniteutes efficiunt, medeutur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt ..... Accedit ad hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur ..... Habeant autem præ oculis (Sacerdotes) ut ſatisfactio, quam imponunt, uon ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Ex his colligit citatus Jueninus, quinque eſſe neceſſaria ad hoc, ut ſatisfactio, de qua loquimur, ſit conveniens; I. ut terreat pœnitentem a committendis iterum criminibus. II. ut tnllat pravos habitus; III. ut pœnitentem aſſimilet Chriſto patienti; IV. quod ſatisfactio ſit in vindictam, & caſtigationem peccatorum; V. demum, ut accedat ad acerbitatem pœnarum, quibus tenentur pœnitentes, de quibus loquitur citatum Concilium Tridentinum laudato loco: *Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei unquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolere frequeutarent.*

Ad III. dicitur, quod utique Sancti Cypriani tempore erant miniſtri, qui ad libellos Martyrum pœnitentia lapſos eximebant; ſed hoc reprobabat Cyprianus, irridebat, condemnabat; ut in pluribus ejus locis videre eſt.

Ad IV. Negatur minor; hoc enim non fiebat, niſi a perverſis miniſtris, qui legem Dei ſubvertebant, nnn obſervabant, & contra quos invehitur Cyprianus per hæc verba: *Nou poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes, rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porro ſi fides, quæ vicerit, coronatur, neceſſe eſt ut victa perfidia puniatur. Ita Martyres aut nihil poſſunt, ſi Evangelium ſolvi poteſt: aut ſi Evangelium non poteſt ſolvi, contra Evangelium facere non poſſunt, qui de Evangelio Martyres fiunt.*

Ad ſecundam vero Diſſertationis partem devenientes, ultra ea, quæ diximus alibi de ſtatu gratiæ requiſitin in illis, qui indulgentias vere lucrantur, ſubdimus pro tota rei integra intelligentia, ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſtatum gratiæ obtinendum, & ea, quæ ſunt neceſſaria ad illum ipſum conſervandum. Unde.

Dicimus II. Eſſe neceſſarias contritionem, Confeſſionem ſacramentalem, & ſatisfactionem, vel in actu, vel in voto.

Probatur Concluſio pro prima parte I. Peccator non cnntritus non eſt Deo amabilis: ergo non eſt in ſtatu gratiæ: ergo non eſt diſpoſitus, ut indulgentias lucretur: II. Concilium Nicænum I. can. 20. vult, ut indulgentiæ concedantur illis, *qui metu, & lacbrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipſis converſionem ſuam, non ſimulatione, demonſtrant*; Sed hi ſunt contriti: ergo &c: III. Sanctus Cyprianus lib. de lapſis docet, quod indulgentiæ concedantur illis, qui vere peccatum deteſtabantur; & hæc ſunt ejus verba: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos, fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœniteutiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur.* IV. Diplomata Pontificia declarant, indulgentias concedi *contritis, & vere pœnitentibus.*

Concluſio probatur pro ſecunda parte. I. qui lucrantur indulgentias debent eſſe in ſtatu gratiæ; ſed per confeſſionem ſacramentalem homo peccator tranſit ad ſtatum gratiæ: ergo &c. II. Aliquando in Diplomate indulgentiarum ponitur confeſſio ſacramentalis, ut opus injunctum: ergo tunc eſt neceſſaria, ſive pro peccatoribus, ſive pro juſtis. Cæterum quan-

do homo ſupponitur in ſtatu gratiæ, & confeſſio ſacramentalis non præſcribitur ut conditio, vel ut opus injunctum, ad lucrandas indulgentias; tunc non eſt neceſſaria ſacramentalis confeſſio.

Tertia Concluſionis pars I. probatur. Indulgentia ex probatis in ſuperioribus, remittit partem ſatisfactionis debitæ: ergo pars, quæ remanet ſolvenda, ſolvi debet a pænitente: II. probavimus contritionem ſemper, & confeſſionem ſacramentalem aliquando eſſe neceſſarias ad indulgentias lucrandas; ſed hæ ſupponunt ſemper ſatisfactionem vel in re, vel in voto: ergo ſemper eſt neceſſaria ſatisfactio.

Objiciunt I. Pro indulgentiis lucrandis ſunt etiam neceſſariæ ſtationes, Jejunia, & Eleemoſinæ: ergo non eſt neceſſaria ſola contritio, vel confeſſio, vel ſatisfactio. II. Non eſt determinatum pro quo iſtanti ſit neceſſarius ſtatus gratiæ in eo, qui vult indulgentias lucrari: ergo ſemper remanet in dubio, an indulgentias lucratus fuerit. III. Indulgentiæ concedebantur antiquitus, antequam quis ad reconciliationem Eccleſiæ admitteretur, ergo non erat neceſſarius ſtatus gratiæ. IV. Nec modo certum eſt quo tempore pænitens eſſe debeat in ſtatu gratiæ, ut indulgentias lucretur; ergo hæc conditio vel impoſſibilis, vel difficilis eſt, ut obſervetur.

Reſpondemus ad I. concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio eſt, quia incluſio unius, non eſt excluſio alterius; ſunt utique neceſſariæ contritio, confeſſio ſacramentalis, & ſatisfactio; ſed etiam ſunt neceſſariæ Stationes, Jejunia, & Eleemoſinæ; cum hac tamen differentia, quod ab his ultimis poteſt Confeſſarius diſpenſare pænitentes ob impedimenta inſuperabilia, non autem poteſtas primis, ſaltem contritione, & confeſſione.

Ad II. dicitur, quod eſt neceſſarius ſtatus gratiæ pro eo iſtanti, quo pænitens exequitur ultimum opus ex operibus injunctis per Bullam; & hoc certum eſſe puto apud omnes.

Ad III. dicitur, quod etſi indulgentiæ conceſſæ fuerint antiquitus ante reconciliationem cum Eccleſia, nemo tamen eas lucrabatur, niſi præmiſſa confeſſione ſacramentali, & reconciliatione cum Eccleſia.

Ad IV. Reſponſio patet ex modo dictis; & ex aliis, quæ pariter diximus in ſuperioribus.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM,

Quæ in hoc Volumine continentur. Prior numerus Diſſertationes; Secundus vero Paginas indicat.

A

ABſolutio eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ. diſs. 363. pag. 82. Neceſſario debet eſſe vocalis. diſs. 364. 89. literis ſcripta & ad abſentem directa, eſt invalida. ibid. 90. & ſeq. ſicut eſt invalida expreſſa verbis deprecativis. 365. 97.
Abſolutio ſacramentalis vere & proprie dimittit peccata coram Deo, non vero declarat tantum eſſe dimiſſa. Remittit culpam, ſeu reatum culpæ, non vero ſolum pœnam peccatis debitam, ſive temporalem, ſive æternam. 365. 107. & ſeq. Remittit partem aliquam, pœnæ temporalis, eamque majorem, vel minorem, ſecundum Pœnitentis diſpoſitionem. ibid. 113.
Abſolutio ſub conditione de præterito, & de præſenti, poteſt eſſe valida; ſub conditione vero de futuro, non. 366. 115. & ſeq. Quando ſub conditione conferri debeat moribundo, & quando abſolute? 379. 230.
Abſolutio ſacramentalis non facit hunc ſenſum: *remitto tibi pœnam peccatis debitam*; ſed hunc: *confero tibi gratiam remiſſivam peccati poteſt Baptiſmum commiſſi*; vel etiam: *remitto tibi peccata tua*. 366. 116. & 117.
Abſolutio ſacramentalis in Eccleſia Græca & Latina data eſt Pœnitentibus ſtatim poſt Confeſſionem peccatorum; & referuntur quædam exempla. 383. 271. Interdum differebatur poſt impletam ſatisfactionem ſacramentalem, & quidem laudabiliter: 384. 275.
Abſolutio denegabatur a Sacerdote pro peccatis ſemipublicis, niſi prius pænitentia publica perageretur 386. 292. Nuſquam denegata eſt Reis criminum etiam graviſſimorum, qui pænitentiam agebant, vel egerant, neque ab Eccleſiis Orientalibus, neque a Romana, Carthaginenſi, Hiſpanica, & aliis illuſtrioribus 387. 296. Neque fuit denegata, nec eſt deneganda, infirmis Catholicis, & piis, ſi dent doloris ſigna, qui inopinato caſu opprimantur, & deſtituuntur voce, & ſenſibus. ibid. 297
Abſolutio concedenda non eſt toties, quoties peccator crimen ſuum confitetur, & abſolvi petit. 387. 299. Sed differenda eſt juxta Pænitentium diſpoſitiones. Adducuntur caſus. 300. Neque danda eſt Pænitentibus, qui renuunt adhibere media a Confeſsario ipſis data ad peccata deinceps vitanda. 389. 305. Neque Peccatoribus Pænitentibus habentibus affectum ad peccatum mortale. ibidem. Neque concedenda eſt ſtatim illis, qui peccandi conſuetudine detinentur. ibidem. 308.
Abſolutio, quæ dabatur olim in Eccleſia publicis Pænitentibus poſt pænitentias expletas, erat canonica, & cœremonialis 383. 271.
Abſolvendi poteſtas eſt in ſolis Epiſcopis, & Sacerdotibus. 390. 310.
Abſolutio idem eſt, ac *remitto*. 363. 86. *Abſolvo te* ſunt tantum verba eſſentialia formæ ſacramenti Pænitentiæ. ibid.
Artius docuit, Sacerdotem non poſſe abſolvere peccatum, quod vocatur *ad mortem*. 361. 54.
Actio una tendens ad plura objecta collective conſtituit unum peccatum; tendens vero ad plura diſtributive, conſtituit plura peccata 378. 224.
Actiones plures ſunt unum peccatum, quando ſunt plures phyſice, non moraliter; ſecus vero quando ſunt plures, & phyſice, & moraliter. ibid. & ſeq.
Actus Pænitentias qui, & quot ſint? 356. 12. Actus Pænitentis ſunt materia *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. 362. 74. & ſeq. Quare dicantur a Tridentino *quaſi materia*? ibid. 79. Poſſunt concurrere ad productionem gratiæ, & quomodo? ibid. 80.
Albigenſes negabant peccata eſſe confitenda. 374. 182.

Digitized by Google

Amor,& Charitas quomodo conveniant, & quomodo differant inter ſe? 370. 135. Amor Dei eſſentialiter verus quid importet? ibid. 138. Poteſt eſſe eſſentialiter verus, & non eſſe perfectus: eſſe, verus, quando eſt ſuper omnia: ſuper omnia autem eſt ſive perfectus ſit, ſive imperfectus, quaodo eſt verus. 370. 138. & ſeq.

Amor Dei ſuper omnia dici poteſt ſimpliciter, & ſecundum quid. Quid hæc importent? 370. 139. Amor perfectus ab imperfecto non diſtinguitur eſſentialiter per intenſionem, vel remiſſionem gradus, ſed ex motivis formalibus ſpecie diſtinctis. ibid. 140. Perfectus habet pro motivo formali, & ſpecifico Deum ut in ſe abſolutè bonum, & perfectum: amor vero imperfectus, ſeu ſpei, habet Deum ut nobis bonum. ibid.

Amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ quid ſint? ibid. Amor ſpei eſt bonus, & meritorius. ibid. 143. Amor Dei verus quot modis dici poſſit incipiens, & imperfectus? ibid. 145. Amor imperfectus quia etiam dicitur inchoatus, & initialis, & quamvis ad charitatem comparatus imperfectus ſit, tamen in ſe eſt caſtus, gratuitus, bonus, & honeſtus. 372. 170. & ſeq.

Anni, & dies Indulgentiarum primario referuntur ad pœnam in hoc ſeculo ſolvendam; ſecundario vero ad pœnam Purgatorii. 398. 339.

Apoſtolici nullam veniæ ſpem lapſis relinquebant. 359. 33.

Appellatio ab Eccleſiæ judicio ad ſeculare, a legibus Principum reprobatur. 361. 60.

Armeni quid docuerint de Confeſſione? 374. 182.

Attritio quid ſit, & quot modis conſiderari poſſit? 372. 150. De ejus nomine, inventione, & differentia a contritione perfecta; quid docuerint moderniores Scriptores? ibid; & ſeqq. Ex motivo timoris pœnæ æternæ concepta, eſt bona, laudabilis, & eſt donum Dei. ibid. 161. Perfecta debet includere aliquem amorem Dei ſaltem inchoatum, & initialem; & hic amor debet eſſe amor ſpei, quo Deus diligitur ut nobis bonus, ut noſtra beatitudo, & finis ultimus. 372. 170. & ſeq.

Audeani, ſive Audiani, nullam Pænitentibus injungebant pænitentiam, ſeu mulctam. 383. 255. & 374. 182.

Audientes manebant in porticu oblongiori, qui foribus ejusdem templi adjaciebat interius, & a cæteris interioribus partibus templi per tabulata, vel cancella, diſtinguebatur. 385. 284. Vide *Statio*.

B

BAjus *Michael*, Docebat per abſolutionem ſolam pœnam remitti, non culpam. 365. 106. Item ſatisfactiones non valere ad expiationem 383. 256. Male etiam docuit loquendo de charitate. 370. 136. & 371. 147. & 372. ibi.

Baptiſmus eſt verum novæ legis ſacramentum. 369. 81. Eſt neceſſarius in lege Evangelica in re, vel in voto, neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti. 369. 132.

Baptizati ſoli, & omnes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, tenentur ad præceptum annuæ Confeſſionis, ſi aliquod peccatum mortale commiſerint. 376. 211. & ſeq. non vero, qui tantum venialiter peccaverunt. ibid. 212. Legibus Eccleſiæ ſunt ſubjecti. ibid.

Beza *Theodorus*, negavit Pænitentiæ Sacramentum 358. 30.

Blaſphemia in Spiritum Sanctum, qua ratione dicatur peccatum irremiſſibile? 360. 53.

Borboritæ, & Berbatiani. 359. 31. Vide *Gnoſtici*.

C

CAjani negarunt in Eccleſia poteſtatem dimittendi certa quædam peccata. diſs. 359. pag. 31.

Calvinus negavit ſatisfactionem in Pænitentia, aſſeruitque quod pœnæ peccatorum nequeunt operibus redimi, Deumque nullas pœnas expetere ab hominibus juſtis. 383. 256. Inſuper docuit Pænitentiam non eſſe virtutem 355. 6. 356. 13. Negavit etiam eſse Sacramentum. 358. 30. 359. 35. & 362. 70. Reprobavit quoque Confeſſionem auricularem 375. 186. Et tandem aſſeruit Sacramentum Pænitentiæ non fuiſſe inſtitutum a Chriſto Domino. 367. 119.

Cathecumeni; Eorum confeſſio, quæ? 376.

376. 201. Quomodo differant a Pœnitentibus? 383. 265.

Caſus, in quibus differenda eſt abſolutio Pœnitentibus, indicantur. 387. 300. Et in quibus non eſt integritas formalis confeſſionis 377. 217. Caſus reſervatus Epiſcopo, in dubio non cenſetur reſervatus: ſecus vero ſi ſit reſervatus Papæ. 392. 322. & ſeq. Vide *Reſervatio*, *Regulares*, *Sacerdotes inferiores*.

Cauſa voluntarie data, & licet retractata, debet in Confeſſione aperiri, & ejus effectus ſecutus, non obſtante retractatione. 381. 239. Cauſa juſta concedendi Indulgentias. duo requirit, finem, & media. Interdum finis ſufficit ſine ullis mediis. 397. 337. Require *Indulgentiarum cauſa*.

Cenſuræ, & Irregularitas incurruntur etiamſi fuerit prima voluntas revocata. 381. 240. Ab Eccleſia ferri poſſunt, & abſolvi. 361. fere per totam.

Charitas quomodo differat a Pœnitentia? 355. 8. Ejus actus habet pro ſubiecto immediato voluntatem. ibid. 12. Quid importet. 370. 135. Et quomodo differat ab amore? ibid. Vide *Amor*.

Chriſtus dedit poteſtatem Eccleſiæ dimittendi peccata. 361. 55. Non inſtituit determinata verba pro forma Sacramenti Pœnitentiæ. 363. 83. Determinando materiam, & formam ſacramentorum, voluit eorundem adminiſtrationem eſſe certam. 366. 115. Chriſtus quandonam inſtituerit ſacramentum pœnitentiæ? Vide *Inſtitutio*, *Sacramentum Pœnitentiæ*. Chriſtus ſatiſfactione divina plene & perfecte ſatisfecit Deo Patri. 383. 254.

Circunſtantiæ peccatorum duplicis ſunt generis, aggravantes, & mutantes ſpeciem. 377. 218. Hæ ſunt aperiendæ in confeſſione non tantum in genere, ſed & in ſpecie. ibid. Illæ vero ſi intra eandem ſpeciem ſint notabiliter aggravantes, pariter ſunt neceſſario confitendæ; ſecus vero ſi non ſint notabiliter aggravantes. ibid. 220. & ſeq.

Claſses Pœnitentium antiquitus fuerunt quatuor. Vide *Auditio*, *Fletus*, *Stationes*, *Subſtratio*.

Claves ligandi, & ſolvendi dedit Chriſtus Petro, & Succeſſoribus ejus. 361. 55.

Clericus major nec tribus primis ſeculis, nec ſequentibus, obnoxius fuit publicæ pœnitentiæ. 388. 202. Secus vero Clericus minor, ſi gravia crimina commiſiſſet. ibid. 204. Et hi deponebantur. ibidem.

Complex criminis cadit ſub ſigillo ſacramentali dum revelatur in Confeſſione. 382. 251. Generaliter loquendo non debet in Confeſſione reticeri, nec impedire integritatem Confeſſionis. 378. 226. & ſeq.

Concilium Tridentinum nihil definivit adverſus ſententias Theologorum, qui pugnant, vel pro neceſſitate contritionis perfectæ, vel pro ſufficientia contritionis imperfectæ, ex ſolo pœnarum metu conceptæ. 372. 174.

Conditio de præterito, & de præſenti in abſolutione ſacramentali eſt valida; ſecus vero de futuro. 366. 115. & ſeq. Debet tamen conditio eſſe certa. ibid.

Conditio aliqua ſemper intelligitur in conceſſione Indulgentiarum, & quæ? 397. 337. Conditiones neceſſariæ pro acquirendis Indulgentiis enumerantur. ibid. 338.

Confeſſarius non habens facultatem abſolvendi a reſervatis, non poteſt abſolvere Pœnitentem a non reſervatis, & mittere ad Superiorem pro reſervatis ſine rationabili cauſa, & urgente neceſſitate 379. 134. Tenetur interrogare pœnitentem, ſi aliquam habeat ſuſpicionem, quod pœnitens, vel ex oblivione, vel ex pudore, vel ex mala fide, omnia, & ſingula peccata ſua non confiteatur. ibid. 235. & ſeq.

Confeſſarius interrogatus a Judice de iis, quæ novit in confeſſione, quomodo ſe gerere debeat, indicatur. 382. 240. Nequit uti ſcientia habita in confeſſione. ibid. 249. Et quid dicendum, ſi noverit ex confeſſione paratas ſibi eſſe inſidias? ibid. Jure imponit ſatisfactionem. 383. 256. & ſeq. Eſt Judex quando pronuntiat ſententiam. 365. 97. Nequit abſolvere a caſibus Papæ, vel Epiſcopis reſervatis. 391. 317. Vide *Caſus reſervati*.

Confeſſio dimidiari poteſt, & quando 279. 233. & ſeq. Vide *Prælatus*. Idem importat ac *declaratio*, ſeu *manifeſtatio*. 373. 177. Confeſſio peccatorum alia eſt civilis, alia ſatisfactoria, alia conſolatoria, alia legalis, & alia ſacramentalis, ibid. 178. Definitur, & deſcribitur. ibid. 180.

Confeſſio ſacramentalis apud Latinos, an ſit eadem ac *Exomologeſis* apud Græcos? diſſ. 573. 108. & ſeq. Confeſſio auricularis traditione Patrum omnium ſe-

ſecularum probatur. 374. 187. & ſeqq. Eſt neceſſaria. 375. fere per totam. Non tamen de jure naturæ, ſed ſolum quia præcepta de jure divino. ibidem. 198. & ſeq.

Confeſſio debet habere ſexdecim proprietates, & quas? 377. 214. & ſeq. Debet eſſe integra. Vide *Integritas*. Confeſſio eſt unus ex actibus illis Pænitentis, qui conſtituunt materiam ex qua ſacramenti pænitentiæ. 362. 74. & ſeq. Confeſſio, quæ fiebat in veteri lege, non erat ſacramentalis. 369. 132. Vide *Præceptum Confeſſionis*.

Confeſſio fidei, ſeu Profeſſionis, vel Religionis; confeſſio laudis, ſeu gratiarum actionis; & confeſſio accuſationis, quid ſint? 373. 177.

Confeſſor, qui dicebatur? ibid.

Conſiſtentia erat ſtatio Pænitentium, quę vocabatur etiam congregatio, communicatio in orationibus, ſegregatio, excommunicatio. Hæc erat quarta pænitentium ſtatio, quæ fuit perantiqua in Eccleſia, & comprehendebat, atque extendebatur ab Ambone Sanctuarium verſus, uſque ad fideles. 385. 286.

Conſcientiæ terrores incuſſi, non ſunt materia ex qua pænitentiæ. 362. 71.

Conſuetudinarii non ſunt ſtatim abſolvendi. 389. 506.

Contritio eſt unus ex actibus Pænitentis, qui conſtituunt materiam *ex qua* ſacramenti pænitentiæ. 362. 74. & ſeq. Perfecta in caſu neceſſitatis, hominem Deo reconciliat, antequam ſacramentū actu percipiatur. 371. 147. & ſeq. Non diſpenſat tamen a lege percipiendi ſacramentum. ibid. 150. Quid de perfecta, & imperfecta doceat Concilium Tridentinum? 370. 134.

Contritio perfecta, quæ juſtificat ante ſacramentum, non eſt diſpoſitio neceſſario requiſita ad ſacramentum pænitentiæ debite percipiendum. 371. 153. Debet includere votum explicitum ſacramenti pænitentiæ. ibid. 154. & ſeq.

Contritio imperfecta, ex motivo timoris pœnæ æternæ concepta, eſt bona, laudabilis, & donum Dei 372. ibi. & ſeq. Vide *Attritio*.

Cornelius Janſenius. Vide *Janſenius*, *Janſeniſtæ*.

Culpa remittitur in ſacramento pænitentiæ. 365. 107. Et remittitur una cum pœna æterna. 366. 116. Non tamen remittitur per Indulgentias. 394. 327.

D

De Dominis *Marcus Antonius* plura docuit contra pænitentiam, & quæ? 359. 34. & 361. 54. & 65.

Deſiderium ſacramenti pænitentiæ, quod includitur in contritione perfecta, debet eſſe explicitum. 371. 154. & ſeq.

Deus ſupplet ſua miſericordia quod homo facere non poteſt. 357. 21. Licet ſit miſericordia ejus infinita, actus tamen ſunt finiti, & limitati, 357. 26. Deus ſolus remittit peccata principaliter, homo miniſterialiter. 360. 43. & 365. 112. Deo non convenit pænitere, niſi improprie loquendo 354. 3.

Diaconi nec primis tribus ſeculis, nec ſequentibus, obnoxii fuerunt publicæ pænitentiæ. 388. 202.

Dies, & anni Indulgentiarum. V. *Anni*.

Differentiæ inter Baptiſmum, & Pænitentiam indicantur. 360. 41.

E

Eccleſia recepit poteſtatem dimittendi peccata diſſ. 361. 55. Habet Forum internum, & externum. ibidem. 57. & ſeq. 61. & ſeq. Non inſtituit ſacramentum pænitentiæ. 367. 120. Habet facultatem præcipiendi, & determinandi ſacramentorum uſum. 376. 202. & ſeq. De facto præcepit confeſſionem faciendam ſingulis annis. ibid. 203.

Eccleſia non poteſt variare ſubſtantiam Sacramentorum. 383. 271. Græca, & Latina ſemper abſolverunt ſacramentaliter pænitentes ſtatim poſt confeſſionem peccatorum, & enumerantur caſus. ibid. Eccleſia Romana, & plures aliæ illuſtriores etiam Orientales, nuſquam negavit abſolutionem ſacramentalem reis graviſſimorum criminum, qui pænitentiam egerant, vel agebant 386. 296.

Eccleſia habet Theſaurum. Vide *Theſaurus*.

Eccleſia quomodo dicatur abſolvere, vel damnare defunctos? 399. 342.

Effectus principalis Sacramenti pænitentiæ

tiæ eſt remiſſio peccatorum. 363. 86. & 366. 117. Effectus ſequtus ab aliqua cauſa voluntarie data, licet retractata, debet aperiri in confeſſione. 381. 239. & ſeq.

Epiſcopi nec tribus primis ſeculis, nec ſequentibus, obnoxii fuerunt publicæ pænitentiæ. 388. 202. Soli, cum Sacerdotibus, habent a Chriſto derivatam abſolvendi poteſtatem, a peccatis. 390. 310. Habent poteſtatem ſibi reſervandi peccata quædam, a quibus alii Confeſſarii, etiam Regulares, abſolvere non poſſunt. 391. 317.

Eraſmus quomodo vocet pænitentiam? 354. 2. & 356. 13.

Errores hæreticorum circa pænitentiam enumerantur. 356. 13. & 374. 183. Require errores Hæreticorum per eorum nomina.

Eccleſiæ. Vide *Maſſaliani*.

Exomologeſis an ſit idem ac confeſſio ſacramentalis. 373. 178. & ſeq. Quid ſit, & quid ſignificet? ibid. 179.

F

Feliciſſimus negabat pænitentiæ neceſſitatem. diſſ. 369. 31.

Fideles qua ratione pænitere debeant? 354. 4. Quandonam confiteri teneantur, & quando non? Vide *Præceptum Sacramenti Pænitentiæ*.

Fides ex Evangelio concepta, vel ex abſolutione in ſenſu Lutheri, non eſt materia neceſſaria *ex qua* pænitentiæ. 362. 71.

Finis abſolutionis ſacramentalis quinam ſit? 366. 117.

Flagellantes aſſerebant inutile eſſe confiteri Sacerdoti mortalia crimina. 374. 182. Inſuper docebant in Eccleſiæ Præſulibus extinctam eſſe auctoritatem concedendi Indulgentias. 393. 324.

Fletus Pænitentium fiebat in porticu Eccleſiæ ſub tecto humilioris ſitus a tecto Eccleſiæ, quod erat ſublimius, & diſtinctum a tecto porticus. 385. 282.

Forma ſacramenti pænitentiæ eſt abſolutio. 363. 82. Ejus ſenſus eſt, quod per pænitentiæ ſacramenti miniſtrum pænitenti remittantur peccata, quæ commiſit. 363. 85. & ſeq. Eſſentialiter conſiſtit in his duobus verbis: *abſolvo te*. ibid. 86. & ſeq. Poteſt eſſe valida ſub conditione de præterito, & de præſenti, non autem de futuro. 366. 115.

Forum pro judicandis peccatis internum eſt in Eccleſia. 361. 57. Externum pro cenſuris datur in Eccleſia. ibid. & ſeq. Internum pro peccatis eſt Eccleſiæ. ibid. 61. & ſeq.

G

Gnoſtici in hominibus perfectis nullum agnoſcebant peccatum. 359. 31.

Græci quibus verbis abſolvant? 365. 95. & 103.

Gradus Pænitentium quatuor fuerunt, ſcilicet Fletus, Audientia, Subſtratio, & Conſiſtentia. 385. 282.

Gratiæ infuſio, & peccati remiſſio fiunt eodem inſtanti. 366. 117. Ut gratia obtineatur, requiruntur contritio, confeſſio ſacramentalis, & ſatisfactio, vel in actu, vel in voto. 400. 345.

H

Habitus pænitentiæ fuit a Deo infuſus primis Parentibus ante lapſum. 355. 11. Reſidet in voluntate. ibid. Probabilius non eſt in Beatis, nec in damnatis. ibid.

Hæretici quid docuerint circa pænitentiam ut virtus eſt? 356. 13. & ut Sacramentum? 358. 29. & ſeq. & 359. 31. & ſeq. Require ſingularum nomina.

Hoffmannus docuit, poſt gratiam ſemel receptam, ſi quis denuo peccaret, deinceps in gratiam non recipi. 359. 35.

Homines in lege naturæ, & in lege ſcripta tenebantur confiteri peccata coram Deo. 369. 132.

Huſſitæ docuerunt Sacerdotem vere non abſolvere. 359. 34.

I

Jacobitæ erraverunt circa confeſſionem. diſſ. 174. 182.

Janſenius, ejuſque Aſſeclæ, quid docuerint de charitate? 370. 135. & 372. ibi.

Illyricus. Vide *Mathias Illyricus*.

Indulgentiæ antiquiſſimæ ſunt, & a primis Eccleſiæ temporibus eorum antiquitas repetenda eſt. 393. 324. & ſeq. Quid ſint, & quid ſignificent? Ibid. Non remittunt culpam, nec pœnæ æter-

æternæ reatum. 394. 327. Remittunt tamen pœnam temporalem, quæ ſupereſt luenda poſt culpam. 393. 224. Remittunt haoc pœnam tam coram Eccleſia, quam coram Deo. 394. 327. Dividuntur in plenarias, & non plenarias; & definiuntur, atque explicantur. 398. 338. Sicut & aliæ Indulgentiæ enumerantur. ibid. pertot. Plenaria non eximit peccatores a debito convenientis ſatisfactioois. 400. 343.
Iodulgentiæ ſolum concedi poſſunt ab Eccleſiæ Prælatis, qui juriſdictionem habent in utroque foro. 395. 329. Earum uſus repetendus eſt ab antiquis Romanis Pontificibus. ibid. 331. Earum cauſæ plures eſſe poſſunt. 397. & enumerantur. ibid. 335. Non valent ſi ſint abſque juſta, & legitima cauſa. 397. 335. Juſta autem cauſa eſt proportio quædam, quæ explicatur. ibid. 2. 336. Earum acquiſitio. Vide diſſ. ſeq.
Indulgentiæ non poſsunt concedi animabus mortuorum per modum Judicii, & abſolutionis, 399. 341. ſed ſolum per modum ſuffragii. ibid. & ſeq.
Imfamia propria vel complicis criminis non excuſat generaliter loquendo ab iotegritate confeſſionis. 378. 226. Sed ſolum attentis quibusdam circuoſtantiis, quæ eoumerantur. ibid. 227. & ſeq.
Infidelibus quomodo conveniat Pænitentia? 354. 4.
Infirmi catholici, & pii, ſi inopinate opprimantur, & vocis, ac ſenſuum uſu priventur, non eſt eis deneganda abſolutio, ſi deot ſigna doloris. 387. 292. Vide *Abſolutio*.
Inſtitutio Sacramenti pænitentiæ facta fuit a Chriſto poſt Reſurrectionem ſuam, quando dixit Apoſtolis. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c.* 367. 121. & ſeq.
Integritas confeſſionis duplex eſt, materialis, & formalis. 377. 214. & ſeq. Formalis requiritur ad valorem confeſſionis. ibid. Materialis vero non ſemper eſt neceſſaria. ibid. 216. & ſeq. Et enumeraotur caſus. ibid. 217.
Interruptio triplex eſt, & quænam, ac quando multiplicet, vel non multiplicet peccata? 378. 225.
Joannes Wigandus. Vide *Wigandus*.
Jovinianus docuit omnia peccata mortalia eſse æqualia. 377. 220.
Irregularitas incurritur etiamſi fuerit prima voluntas revocata. 381. 240. & ſeq.
Jubilæum quid ſit, & quid contineat? 398. 339. & ſeq. Vide *Indulgentia*.
Judicium pænitentiale differt a judicio civili. 366. 116.
Juſtificatio importat amorem Dei verum, non autem perfectum. 372. 138.
Juſtitia quomodo differat a Pænitentia. 355. 8.

K

Kemnitius afferit Petrum Lombardum primum fuiſse, qui ex pænitentia ſacramentum fecerit. 259. 35. & 367. 119. Negat ſatisfactionem requiri ad delenda peccata. 383. 256. Aſſeruit Indulgeotiarum uſum incæpiſſe auno 1200. diſſ. 393. 324.

L

Laicus publicæ pœnitentiæ adſtringebatur. Diſſ. 388. 204.
Laurentius Valla quid docuerit circa Pœniteotiam. 354. 2. & 356. 13.
Lex naturæ & lex ſcripta non habebant neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ, nec neceſſitatem medii, nec neceſſitatē præcepti 369. 130. & ſeq. In lege tamen Evaogelica hoc Sacramentum in re, vel in voto eſt neceſſarium utraque neceſſitate iis, qui peccaverunt. ibid. 132.
Luciferiani docebant non eſſe recipiendos, qui conſenſeraut hæreſi Arianæ. 359. 33.
Lutherus *Martinus* voluit Pœnitentiam non eſſe virtutem. 355. 6. pluraque alia docuit contra eaodem. 356. 13. Negavit eſſe ſacramentum. 358. 29. & 359. 34. & 362. 70. Neque a Chriſto inſtitutum. 367. 119.
Lutherus docuit amorem Dei ex motivo æternæ mercedis eſſe impurum, & illicitum. 370. 137. Quid ſcripſerit contra Contritionem, & Attritionem indicatur. 372. 160. Et contra Confeſſionem. 374. 184. Et contra Satisfactionem. 373. 254. Et tandem contra Indulgentias. 393. 324.

M

Manichæi de medio tollebant Pœnitentiam. Diſſ. 359. 31. & 374. 183. Abſolvebant ab omni peccato abſque

Digitized by Google

ſque ulla ſatisfactione. 383. 154.
Marcus Antonius de Dominis. Vide *De Dominis*.
Maria Virgo non fuit capax Sacramenti Pœnitentiæ; fuit tamen capax omnis gratiæ. 366. 119.
Martinus Kemnitius negat Pœnitentiam eſſe ſimpliciter Sacramentum. 358. 30. Vide *Kemnitius*.
Martinus Luther. Vide *Lutherus*,
Maſſaliani, ſeu Euchytæ, putarunt per Orationes peccata dimitti poſſe. 374. 181. Recipiebant peccatores ſine fructu pœnitentiæ. 383. 254.
Materia Sacramenti Pœnitentiæ quæ, & quotuplex ſit? 362. 67. Remota, ſeu *circa quam*, non eſt originale peccatum, ſed actuale tantum commiſſum poſt Baptiſmum: mortale ſcilicet eſt materia neceſſaria; veniale vero materia libera, & ſufficiens. 361. 67, per tot. Eſſentialis *ex qua* non ſunt terrores conſcientiæ incuſſi, nec fides ex Evangelio, vel abſolutione concepta in ſenſu Lutheri: neque mortificatio, & vivificatio in ſenſu Calvini. 362. 71. Sed ſunt tres Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. ibid. 74. & ſeq.
Materia Sacramentorum quomodo debeat eſſe ſenſibilis? ibid. 80.
Materia ſatisfactionis ſacramentalis ſunt opera pænalia, opera bona debita, & indebita, tum externa, tum interna. 384. 372. Materia Sigilli Sacramentalis ſunt ea omnia, quæ reddunt Pœnitentibus odioſam Confeſſionem, 382. 250. Non ſunt tamen dona ſupernaturalia, virtutes, revelationes &c. ſed ſolum ſunt materia ſigilli naturalis; durante vita Pænitentis. ibid. 250.
Mathias Illyricus negavit Pœnitentiam eſſe proprie Sacramentum. 358. 30.
Matrimonium, quomodo differat a Pænitentia? 366. 116.
Melancton *Philippus* negavit Pœnitentiam eſſe ſacramentum. 358. 29. & 359. 34. Repudiavit ſatisfactionem. 383. 254.
Melchior Hoffmannus. Vide *Hoffmannus*.
Melatiani, in quo erraverint circa Pœnitentiam? 354. 33. & 361. 54.
Mendacium in materia gravi in Confeſſione eſt peccatum mortale, & irritum reddit Sacramentum. 380. 236. & ſeq. Committitur quando a Pœnitente negatur mortale peccatum, vel circumſtantia notabiliter aggravans: vel quando confitetur ut mortale quod eſt veniale: vel quando interrogatus de conſuetudine alicujus gravis peccati, eam negat, vel reticet. ibid. Mentiri vero in materia levi eſt tantum peccatum veniale. Ibid. 237.
Merita ſuperabundantis ſatisfactionis Chriſti conſtituunt theſaurum Eccleſiæ. 396. 335. Etiam merita Sanctorum, & ſatisfactiones, ingrediuntur theſaurum Eccleſiæ per modum ſuffragii, & impetrationis, & etiam abſolutionis. Ibid.
Michael Bajus. Vide *Bajus*.
Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ ultra Ordinis poteſtatem debet habere etiam poteſtatem Juriſdictionis. 390. 314. Eſt ſolus Sacerdos. 384. 273. Cogebat antiquitus Pænitentes ad ſatisfactionem implendam ante abſolutionem; hæc tamen non erat praxis communis, & multis eſt obnoxia exceptionibus. Ibid. 274. fuit tamen laudabilis. Ibid. Conſuevit miniſter abſolvere a peccatis Pænitentes poſtquam adimpleviſſent, vel adimpleturos ſpopondiſſent ſatisfactionem. 386. 287. Vide *Abſolutio*, *Pænitentia*.
Montanus, & Montaniſtæ plura docuerunt contra Sacramentum Pœnitentiæ. 359. 31. & 374. 181. Negarunt poſſe Eccleſiam Indulgentias concedere. 393. 124.
Moribundus abſolvi poteſt, & debet; primo, quando in genere dicit ſe peccaſſe: ſecundo, quando Confeſſionem petiit antequam ſenſibus deſtitueretur: tertio, quando ſenſibus deſtitutus ſigna doloris non dedit, nec Confeſſionem petiit, ſed tamen ſolitus erat confiteri ſaltem ſemel in anno: ſed in hoc ultimo caſu ſolum ſub conditione. 379. 230. & ſeq. Mortuis quomodo proſint Indulgentiæ? Vide *Indulgentia*.
Motiva formalia, & ſpecifica amoris perfecti, & imperfecti, quæ? 370. 140. & ſeq.
Muſculus negavit Pœnitentiæ Sacramentum. 359, 35.

N

NEceſſitas Confeſſionis Sacramentalis oſtenditur ex Scripturis, Patribus, & exemplis. 375. 192. fere per tot.

tot. Vide *Confeſſio Sacramentalis*.
Nectarius an abſtulerit Confeſſionem? ibid. 198.
Nicolaus Selneccerus. Vide *Selneccerus*.
Nomina Pœnitentiæ enumerantur. 354. 1. & ſeqq.
Novatiani negarunt Eccleſiam habere poteſtatem dimittendi peccata illorum, qui in perſecutione lapſi fuerant. 359. 32. & ſeq. & 361. 54. & 374. 181. Non recipiebant lapſos nec etiam poſt opera ſatisfactionis. 383. 255. Nullum volebant inſtitutum in Eccleſia Miniſtrum abſolvendi, 390. 309.
Novatores docent, Sacerdotes non habere poteſtatem ligandi, & ſolvendi. Ibid. Vide *Hæretici*.

O

OBjectum virtutis quid, & quotuplex ſit? Diſſ. 355. 9. Materiale proximum Pœnitentiæ ſunt actus pœnales; remotum verò ſunt actus peccaminoſi: formale autem eſt correſpondentia moralis inter pœnam, & culpam. Ibid. & ſeqq. Non eſt itaque malum invindicabile, ſed vindicabile ad æqualitatem. 354. 10.
Objectum alicujus virtutis, vel actionis poteſt etiam eſſe effectus. 355. 10. Objecta ſumpta collective conſtituunt unum peccatum numero; ſumpta vero diſtributivè, plura peccata, & quare? 378. 224.
Obligatio confitendi eſt a Chriſto Domino inſtituta. 367. 119. & ſeq. Non ſolum reſpicit peccata in genere, & in ſpecie, ſed etiam in numero. 378. 224. Obligatio Sigilli Sacramentalis arctiſſima eſt, nec in ullo caſu debet, aut poteſt violari. 382. 245. & ſeq.. Vide *Præceptum Confeſſionis, Sigillum*.
Opera pœnalia bona debita & indebita, ſive externa, ſive interna ſunt, materia ſatisfactionis ſacramentalis. 384. 272. Opera injuncta pro Indulgentiis acquirendis non exigunt abſolutè ſtatum gratiæ. 397. 338.

P

PAtres, qui quovis ſeculo docuerunt Confeſſionem auricularem, referuntur. Diſſ. 374. 187. & ſeqq.
Peccata remiſſa quoad culpam aliquando non remanent remiſſa quoad pœnam temporalem a peccatore expiandam, quæ expiatur per ſatisfactionem ſacramentalem. 383. 256. & ſeq. Omnino occulta non ſubjiciebantur publicæ pænitentiæ ex vi Canonum, ſed ſolum ex conſilio Sacerdotis, vel ex voluntate Pænitentis: publica ſubjiciebantur publicæ pænitentiæ ex vi Canonum: ſemipublica ex imperio Sacerdotis, etiam cum denegatione abſolutionis. 386. 292.
Peccata, quæ committuntur poſt Baptiſmum, difficilius dimittuntur, quam ea, quæ ſunt perpatrata ante Baptiſmum. 360. 45. Nulla tamen ſunt irremiſibilia in hac vita. Ibid. 47. qua ratione dicatur irremiſibile peccatum in Spiritum Sanctum. 360. 53. Peccata vere, & proprie dimittuntur coram Deo in Sacramento Pænitentiæ, non vero tantum declaratur eſſe dimiſſa. 365. 107. & ſeq.
Peccata occulta aperienda ſunt Sacerdotibus. 375. 192. Mortalia omnia ſunt neceſſario confitenda, quorum poſt exactum examen Pœnitens recordatur, non tamen in genere, ſed etiam in ſpecie, ad hoc ut Confeſſio ſit valida. 377. 215. & ſeq. & pag. 224. An poſſint abſolvi peccata reſervata abſque reſervatis, & e contra? 379. 232. fere per tot.
Peccatores tenentur agere pænitentiam ſub præcepto 357. 19. & ſeq. Et ad Sacramentum Pænitentiæ recipiendum. 368. 124. & ſeq. Vide *Pænitentes*.
Peccatum originale non eſt materia remota Sacramenti Pænitentiæ; ſed eſt tantum actuale poſt Baptiſmum; mortale quidem eſt materia neceſſaria: veniale vero ſufficiens. 362. 67. & ſeq. Veniale eſt verum peccatum. Ibid. 68. Remiſſum alias per abſolutionem poteſt iterum per aliam abſolutionem remitti; & quomodo? 366. 118. eodem inſtanti, quo remittitur, ſit gratiæ infuſio. Ibid.
Peccatum dubium quid ſit.? 378. 222. Dubium circa circumſtantiam facti, & circa qualitatem actus, quodnam ſit? ibid. Aperiendum eſt in Confeſſione ut dubium, ſive de ſubſtantia facti, ſive de qualitate actus dubitetur. ibid. 222. & ſeq. Peccatum quando multiplicetur ratione objecti, & ratione actionis, vel quando non? ibid. 224. & ſeq.

Petrus de Oſma docnit, Pænitentes non eſſe abſolvendos niſi peracta prius pænitentia ipſis injuncta. 383. 271. Et peccata dimitti ſine Confeſſione. 359. 33. Et Papam non poſſe remittere pœnam Purgatorii. 394. 228. Non admittebat Confeſſionem ex jure divino. 374. 183.
Philippus Melancton. Vide *Melanton*.
Piccardi. Vide *Valdenſes*.
Pœna temporalis aliqua a peccatore expianda aliquando remanet poſt peccatum remiſſum quoad culpam. 383. 256. & ſeq. Remittitur per Indulgentias. 393. 325. Non tamen remittitur pœna æterna. 394. 327. Sive temporalis, ſive æterna remittitur in ſacramento Pænitentiæ 365. 167. & ſeq. Diverſe pœne pro diverſitate peccatorum, licet ejuſdem ſpeciei, a ſacris Canonibus ſtatutæ, enumerantur. 377. 220. & ſeq. Pœnæ contra frangentes ſigillum Confeſſionis Sacramentalis. 382. 253.
Pænitens, ſi moriatur ante adimpletam ſatisfactionem, quid eveniat? 385. 270. Eſt ſubjectum Sacramentalis Confeſſionis. 384. 276. Tenetur acceptare pænitentiam ſibi a Confeſſario impoſitam ibid. 277. Et renuens adhibere remedia, quæ illi a Confeſſario dantur, abſolvi non debet. 389. 305. ſicut abſolvi non debet ſi habeat affectum ad peccatum mortale. ibid. Tenetur explicare Confeſſario cauſam voluntarie datam, & retractationem ab ipſo factam, & effectum, qui non obſtante illius retractatione ſecutus eſt. 381. 338. & ſeq. Non tenetur ſub ſigillo ad manifeſtandum peccata, quæ ipſemet in Confeſſione aperuit: tenetur tamen ſub ſigillo naturali ad celandum defectus, ſi quos ratione Confeſſionis in Confeſſario agnovit. 382. 252. Vide *Stationes*.
Pænitentia non debet præmitti abſolutioni Sacramentali. 383. 271. Publica nunquam data fuit majoribus Clericis, ſcilicet Epiſcopis, Præsbyteris, & Diaconibus. 388. 202. Accipitur pænitentia pro pœna. 354. 1. pro odio & deteſtatione veteris vitæ, & pro reſipiſcentia. ibid. Præcipue tamen habet nomen a pœna. ibid. 2.
Pænitentia ſignificat dolorem de qualibet re non recte facta, reſpiciendo ad commodum, vel ad incommodum, quod percipimus. Inſuper importat dolorem non ex Dei motivo, ſed noſtro. 354. 2. Tandem importat dolorem ob peccatum commiſſum, quatenus eſt offenſa Dei. ibid. 3. Ut Sacramentum vocatur manuum impoſitio, Exomologeſis, id eſt Confeſſio, vel Communio, ſeu Communicatio, & pax. ibid. Laborioſum Baptiſma, ſecunda tabula poſt naufragium. ibid. 4. Tria requirit, reſipiſcentiam, animi dolorem, & pœnam. ibid.
Pænitentia quibus nominibus vocetur a Græcis, Syris, Hebræis, Chaldæis, & Rabbinis. ibid. 5. Eſt vera virtus, non tantum generalis in omnibus virtutibus incluſa, & ex omnibus aggregata, ſed & ſpecialis ab omnibus aliis diſtincta. 355. 6. & ſeqq. Eſt habitus, qui facit recedere a malo, & accedere ad bonum. ibid. Ut virtus deteſtatur peccatum non ſolum ex motivo ſingularum virtutum, ſed ex alio motivo etiam particulari ſibi proprio. ibid. 7. quomodo differat a verecundia, a charitate, & a juſtitia. ibid. 8.
Pænitentia non eſt virtus theologica, ſed moralis: neque per ſe infuſa, ſed acquiſita. 355. 8. Ut virtus eſt, regulatur ſecundum juſtitiæ commutativæ leges. ibib. 10. Habitus Pænitentiæ fuit infuſus primis Parentibus ante lapſum. ibid. 11. Pænitentia dupliciter ſumitur, late, & ſtricte. Virtualis includitur in actu Charitatis. ibid. 12. Alia actualis, alia habitualis. 356. 12. Deſcribitur. ibid. Non eſt ſola reſipiſcentia, & ceſſatio a peccato, ſed etiam dolor de peccato, ac de offenſa præterita. ibid. 13. & ſeq. quomodo excitet ſimul dolorem, & delectationem? ibid. 15.
Pænitentia non requirit tantum veteris vitæ abjectionem, & novæ inſtaurationem, ſed inſuper animi dolorem, & peccati deteſtationem. 356. 15. & ſeqq. In nobis gerit vicem divinæ juſtitiæ. ibid. 16. Importat judicium, quod homo exercet in ſemetipſum. ibid. 17. Eſt neceſſaria, & quotupliciter? 357. 18. & ſeq. Pænitentia virtus, quomodo differat a Pænitentia Sacramento? 358. 26. & ſeq. Ut Sacramentum, ejus eſſentia explicatur, & definitur. ibid. 29. ejus nomina enumerantur. 354. 1. & ſeq.
Pænitentia eſt vere, & proprie Sacramentum. 360. 35. & ſeq. Æquiparatur Baptiſmo. ibid. 41. In veteri lege non

Digitized by Google

non erat Sacramentum. ibid. 42. Eſt diſtinctum a Baptiſmo. ibid. 44. & 46. Ejus materia remota non eſt peccatum originale, ſed actuale poſt Baptiſmum. 362. 67. & ſeq. Ejus materia proxima & ex qua ſunt tres actus Pænitentis, ſcilicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. ibid. Ejus forma ſunt verba, quæ tamen non ſunt adeo determinata, ut verba formæ Baptiſmi, & Euchariſtiæ: ſtandum tamen eſt verbis, quæ Eccleſia approbavit. 363. 83. Ejus ſubjectum. Vide *ſubjectum*. Hoc Sacramentum inſtitutum fuit per modum judicii. ibidem. Quomodo differat a Sacramento Matrimonii? 366. 116. Non fuit inſtitutum ab Eccleſia. 367. 109.

Pænitentia debet eſſe perpetua, ſed negativè, non poſitive. 368. 128. Non fuit eodem modo neceſſaria in lege veteri, ac ſit in nova. 369. 130., & ſeq. Pænitentiæ actiones ab aliquibus Patribus explicantur per verbum *Exomologeſis*. 373. 179. Vide *Confeſſio*, *Lex*, *Sacramentum Pænitentiæ*. *Abſolutio*.

Pænitentia publica modo fuit longa, modo brevis, & quandonam? 385. 280. Vide *Tempus*. Ex vi Canonum non dabatur pro peccatis omnino occultis, ſed ſolum pro peccatis publicis; & pro ſemipublicis dabatur ex imperio Sacerdotis. 386. 292. Pro peccatorum varietate eſt pæna a Conciliis ſtatuta. 361. 56.

Pontifex Summus habet poteſtatem ſibi reſervandi peccata quædam, a quibus alii Confeſſarii, etiam Regulares, abſolvere non poſſunt. 390. 317.

Poteſtas juriſdictionis quid, & quotuplex ſit? 390. 314. Utraque requiritur in Miniſtro ſacramenti Pænitentiæ. ibid. Poteſtas ligandi, & ſolvendi conſtituit forum internum. 361. 63. Eſt a Chriſto Domino. 367. 119. & ſeq.

Præceptum divinum aliud eſt negativum, aliud poſitivum 357. 19. Aliud poteſt adimpleri quoad ſubſtantiam actus, aliud quantum ad intentionem finis. ibid.

Præceptum Pænitentiæ non obligat peccatorem ſtatim ac commiſſum eſt peccatum, ſed pro prima opportunitate, pro certo, & determinato tempore, maximè in mortis articulo. 357. 21. & ſeq. Non eſt negativum, ſed affirmativum. ibid. 22. Obligat per ſe ſub mortali, ſi imminet periculum mortis; per accidens vero in aliis plurimis periculis, & occaſionibus, ut cum quis debet miniſtrare, vel ſuſcipere Sacramenta; & cum urget gravis tentatio; & adeſt publica calamitas: ſemper tamen periculoſum eſt pœnitentiam ad mortem uſque prorogare. ibid. 23. Eſt diſtinctum a præcepto Baptiſmi. 360. 46.

Præceptum recipiendi Sacramentum Pænitentiæ datur. 368. 124. & ſeq. Non obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum, neque ſtatim ac occurrit peccatum menti; & multo minus toties quoties peccati quis reminiſcitur. ibid. 127. & diſſ. 376. 201. Sed ſolum in articulo mortis, quando quis intendit illud, ad quod eſt neceſſaria Confeſſio, & non ſemel in anno 368. 128. & 376. 202. Præceptum Contritionis eſt conforme rationi naturali, & quomodo? 368. 126.

Præceptum Confeſſionis ſacramentalis non eſt de jure naturæ, ſed de jure divino. 375. 198. Obligat omnes adultos, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccaverunt. 376. 201. Eccleſiaſticum obligat ſemel in anno. ibid. 202. Solos, & omnes Baptizatos, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, ſi aliquod mortale commiſerint. ibid. 211. Non vero ſi veniale tantum. ibid. 212. Præceptum de Sigillo. Vide *Sigillum*.

Prælatus audiens a pænitente peccata reſervata, & non reſervata, poteſt a reſervatis abſolvere, & pro non reſervatis ad inferiorem Confeſſarium remittere, ut audiat, & abſolvat: non tamen ſemper, ſed ſi adſit juſta cauſa, & neceſſitas urgens. 379. 332. & ſeq.

Presbyteri ſunt Judices Chriſtianorum in rebus ſpiritualibus, & conſcientiæ. 351. 57. Nec primis tribus ſeculis, nec ſequentibus, obnoxii fuerunt publicæ pænitentiæ 387. 202.

Priſcillianiſtæ docuerunt quæ Gnoſtici. Vide *Gnoſtici*.

Proprietates Confeſſionis quæ, & quot ſint? 377. 214. & ſeqq.

Proteſtantes negant Forum internum, in quo peccata remittantur. 361. 54.

Q

Queſnellus quid docuerit circa timorem? diſs. 372. 161.
Quietiſtæ quid docuerint circa charitatem? 370. 137.

R

Reatus culpæ remittitur in Sacramento Pænitentiæ. diſser. 365. 107. & ſeq. Explicatur quid ſit, & quid reatus pœnæ temporalis. 383. 254.
Regulares habent facultatem audiendi annuam Fidelium Confeſſionem 376. 208. Abſolvere nequeunt a caſibus reſervatis. 391. 317.
Religio eſt virtus moralis. quæ attingit Deum mediante cultu. 355. 9.
Remittere, quid ſignficet? 365. 111.
Reſervata peccata an poſſint abſolvi non abſolutis Cenſuris, & e contra? 379. per totam.
Reſervatio Caſuum inducta eſt in Eccleſia ad ædificationem. 392. 321. Poteſt fieri de peccatis mortalibus gravioribus,& externo opere conſummatis, ibid.
Retractatio alicujus cauſæ voluntarie datæ, & effectus ſecutus,debet aperiri in Confeſſione,non obſtante retractatione. 381. 239. & ſeq. Non impedit quo minus in Cenſuras, & Irregularitatem quis incurrat. ibid. 240. & ſeq.

S

Sacerdos novæ legis accepit poteſtatem remittendi quæcunque peccata. diſs. 361. pag. 65. Hebraicæ legis non habebat talem poteſtatem. 365. 99. Legis Evangelicæ Sacerdos habet poteſtatem reconciliandi fideles poſt Baptiſmum lapſos. 366. 117. Eſt ſimul Miniſter, & Judex 375. 197. Proprius, alienus, & communis, qui ſint? 376. 206. Proprius reſpectu Confeſſionis excipiendæ pro Paſchate eſt Parochus cum incluſione Summi Pontificis,Epiſcopi, & illorum,qui ab iisdem ſunt delegati. ibid. 207. & ſeq. An poſſit abſolvere a non reſervatis, & mittere ad Superiorem pro reſervatis? 379. per totam. Eſt Miniſter Sacramentalis Confeſſionis. 384. 273. Solus habet a Chriſto derivatam abſolvendi a peccatis auctoritatem. 390. 310. Inferior non poteſt valide, & licite abſolvere pænitentes,niſi a Superiore ſit approbatus. 391. 316. Vide *Abſolutio*.
Sacramenta alia habent materiam phyſicam, alia moralem. 361.
Sacramentalis confeſſio. Vide *Confeſſio*.
Sacramentum pænitentiæ eſt inſtitutum per modum Judicii. 363. 83. Ejus materia, & forma. Vide *Materia*, *Forma*. Vere & proprie dimittit peccata coram Deo. Ibid. 107. & ſeq. Ejus forma poteſt eſſe conditionata. Vide *Forma*, *Conditio*. Remittit pœnam æternam una cum culpa. 366. 116. Fuit a Chriſto inſtitutum quoad omnes ſuas partes, ſcilicet, & quoad poteſtatem abſolvendi, & quoad obligationem confitendi. 367. 119. & ſeq. Non vero ab Eccleſia. Ibid. 120. Fuit inſtitutum poſt Reſurrectionem ſuam,quando dixit Apoſtolis. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c. 367. 121. & ſeq.
Sacramentum pænitentiæ nec neceſſitate præcepti fuit neceſsarium in lege naturæ, nec in lege ſcripta. 369. 130. Secus vero in re, vel in voto in lege Evangelica iis, qui peccaverunt. ibid. 132. & ſeq. Vide *Pænitentia*.
Satisfactio ex unus ex actibus Pænitentis, qui conſtituunt materiam,ex qua Sacramenti pænitentiæ. 365. 74. & ſeq. Quid ſit? 383. 254. Alia eſt in pœna, alia pro pœna. ibid. Sacramentalis expiat pœnam temporalem, quæ aliquando remanet, poſt peccatum remiſſum quoad culpam. ibid. 256. Illa, quæ adimpletur ab eo, qui novum peccatum mortale commiſit, eſt valida. ibid. 270. & ſeq.
Satisfactio, quæ in veteri Eccleſia per plures annos a Pænitentibus exigebatur,non erat ſacramentalis, ſed canonica, & cæremonialis. 383. 271. Sacramentalis complectitur opera pœnalia, opera bona debita, & indebita, tum externa, tum interna. 384. 272. Poteſt ab uno fieri pro alio quando dicit ordinem ad ſolutionem; ſecus ſi dicat ordinem ad remedium. ibid. 176. Eſt invalida ſi adimpleatur in actu peccati, vel cum affectu ad peccatum; ſecus vero cum reatu tantum peccati. ibid. 277. Eſt neceſſaria de jure divino iis, qui poſt Baptiſmum pec-

Digitized by Google

peccaveruut ; 386. 287. Debet eſſe proportionata gravitati crimidum, & Pænitentium viribus. ibid. 289.

Satisfactionis Chriſti, & Sauctorum. Vide *Theſauſus Eccleſiæ Merita*.

Secretum. Vide *Sigillum*.

Seleneccus Pæniteutiam a uumero ſacrameutorum expunxit. 358. 30.

Senſus Abſolutinnis ſacrameutalis quinam ſit? 366. 116. & ſeq. Vide *Abſolutio*.

Sigillum uaturale, & ſacramentale quid ſiut? 382. 242. Obligat pro ſemper, & eſt obligatio ſtrictiſſima. ibid. Sacramentale eſt præceptum jure naturali, divino, & eccleſiaſtico. ibid. & ſeq. Vide *Obligatio ſigilli*. Ejus matèria ſunt illa omnia, quæ reddunt Pænitentibus Confeſſionem odioſam. 382. 250. Obligât omnes, qui proxime, vel remote, directe, vel indirecte, verbis, aut ſignis aliquam materiam ſigilli uorunt iu Coufeſſione. ibid. 251. Nempe Confeſſarios, Superiores, Interpetres, eoſque, qui caſu, vel furtive confeſſionem audiunt; & Laicum, qui ſe Confeſſurem fiugit. ibid. Au vero obliget Pænitentem? Vide *Pænitens*.

Stationes Pæniteutium antiquitus fuerunt quatuor, ſcilicet Fletus, Audientia, Subſtratio, Conſiſtentia. 285. 281. Require ſiugulos ſuis locis.

Status gratiæ uou eſt ueceſſarius pro tempo re, quo Indulgentiæ publicautur; ſed pro tempore, quo perficitur ultimum opus injuuctum. 397. 338.

Subiectum Pæuitentiæ aliud mediatum, aliud immediatum. 355. 11. Mediatum pæniteutiæ habitualis eſt omnis homo viator potens peccare, licet nunquam peccaverit : immediatum vero eſt voluntas. ibid. Subiectum Sacramentalis Confeſſionis eſt Pænitens. 384. 276.

Subſtratio vocabatur ſubiectio, pænitentia. 385. 284. Fuit hæc ſtatio antiqua iu ambitu Templi; & ſuper pæuiteutes hos ſiebat manus impoſitio, recitabantur oratioues, & pæuitentiæ iiſdem injuugebantur. ibid.

Superior uequit uti ſcientia habita in Coufeſſioue ad exteriorem gubernationem. 382. 249. Non poteſt ſibi reſervare licite, quamvis valide, quælibet peccata. 392. 321.

Symporiauus docuit Eccleſiam uon poſſe remittere peccatum mortale. 361. 54.

T

Tempus pæniteutiis publicis nullum certum fuit obſervatum ab Eccleſiæ exordio uſque ad Montanum; fuit tamen brevius. A Moutauo uſque ad Novatianum fuit longius. A Novatiano fuit per plures anuos, pro criminum couditione. Et tandem poſt quartum ſeculum in Eccleſia Orientali, & poſt ſeptimum in Eccleſia Occidentali, fuit abbreviatum, & pariter abrogatæ publicæ pænitentiæ ſolemnes Stationes. 385. 280.

Terrores Conſcientiæ incuſſi nou ſunt materia eſſentialis *ex qua* Sacramenti Pænitentiæ. 362. 71.

Theodorus Beza. Vide *Beza*.

Theſaurus Eccleſiæ conſtat ex meritis ſuperabuudantis ſatisfactionis Chriſti. 396. 333. Eum iugrediuntur etiam Sanctorum merita, & ſatisfactiones, per modum ſuffragii, & impetrationis, & etiam abſolutionis. ibid.

Timor pœnæ æternæ eſt bonus, laudabilis, & donum Dei. 372. 161. & ſeq. Reprimit vitia, & ad virtutes diſponit, etiamſi ſit ſervilis : immo eſt Spiritus Sancti donum. ibid. 164. Laudatur ab Auguſtiuo. ibid. & ſeq. Duplex eſt, unus bouus, alter malus. ibidem. 167.

Tridentinum. Vide *Concilium Tridentinum*.

V

Verba formæ Sacrameuti Pænitentiæ non ſunt adeo determinata, ut ſunt verba formę Sacramentorum Baptiſmi, & Euchariſtiæ; ſtaudum eſt tamen verbis, quæ Eccleſia approbavit. Diſſ. 363. pag. 83. Eorum ſenſus eſt, quod per Pænitentiæ Sacramenti Miniſtrum remittantur peccata, quæ peccator commiſit. ibid. 85. Eſſeutialia ſunt tantum hæc duo : *Abſolvo te* : cætera vero uou, ſed ſunt de ſola integritate. ibid. 86. & ſeq.

Verecundja quomodo differat a pænitentia? 355. 8.

Veritas Coufeſſionis Sacramentalis. Vide *Mendacium*.

Virtus Theologica habet per obiecto immediato Deum . 355. 8. Moralis reſpicit immediate quid creatum. ibid. 9.

Vivificatio, & mortificatio in ſenſu Calvini, non eſt materia eſſentialis *ex qua* Pænitentiæ 362. 71. Rivificatio animæ quotuplex ſit? 365. 111.

Voluntas eſt ſubiectum immediatum Pænitentiæ, & Juſtitiæ. 355. 11.

Votum Sacramenti quid, & quotuplex ſit? 371. 154. Non agit *ex opere operato*, ſed ex *opere operantis*. ibidem. Illud, quod includitur in contritione perfecta, debet eſse explicitum. ibid. & ſeq.

Uſpergienſis Abbas ſibi ſoli tribuebat facultatem concedendi Indulgentias. 393. 324.

Waldenſes, quid docuerint circa pænitentiæ Sacramentum? 374. 183. Irridebant Confeſſionem auricularem. ibid. Dixerunt bonum Laicum, non vero malum Sacerdotem, habere poteſtatem. 390. 309. Reprobarunt Indulgentias. 393. 324.

Wiclefus docuit Sacerdotem vere non abſolvere. 359. 34. & 374. 183. Sed Laicum Clavium poteſtatem a Chriſto accepiſse. 390. 309. Docuit Indulgentias nihil prodeſse. 393. 324.

Wigandus negavit pænitentiam eſse Sacramentum. 358. 30.

Wolfangus Muſculus. Vide *Muſculus*.

Z

Zuinglius expunxit Pænitentiam a Sacramentorum numero. diſs. 358. pag. 30. Aſseruit Indulgentiarum uſum incæpiſse anno milleſimo ducenteſimo. 393. 324.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google